

WiMBP
Opole

Biblioteka Wojewódzka w Opolu

I

161 st.

161/II st

8

M. T. CICERONIS
ORATIONVM VOLVMEN SECVNDVM.



Cum gratia & priuilegio Cesareo ad annos octo.

ARGENTORATI
M. D. LXXVIII.

AD ILLVSTRISSI-
MVM PRINCIPEM ELECTO-
rem Hermannum Archiepiscopum Colo-
nienſem, Ioannis Sturmij
Præfatio.



EMINI ego Hermanne Princeps Illuſtriſſime, cum Louanij ante annos quindecim eſſem, præclaram de Comite Schauemburgio, quem tu tibi adiutorẽ, atq; ſucceſſorem cooptaſti, ſpem nobis omnibus datam eſſe. Audiuit ille tũ quotidie in Latina lingua doctorem, diſertum hominem Conradũ Goclenium: cum ego Rutgeri Reſcij propter Græcas literas, quas ille omniũ optimè tradebat, eſſem ſtudioſus. ob eamq; cauſam minus ego Conrado familiaris, qui à Rutgero diſſentiebat. Sed de Schauẽburgio conſentientes noſtri ſenſus erant maximũ aliquando ornamentũ, atq; lumen in ſua Rep. futurũ, ſi eum curſum ſtudiorum, in quo tũ erat, poſſet conficere. Erat in eo corporis dignitas, amabiles mores, & venuſtum ingenium, & quoniã omni cura diligentiaq; in eius educationem incumbebant hi, in quorum diſciplinam traditus erat: nos qui coæui eramus ad maiorem diligentiam ſua induſtria excitauit: ne nobis præcurreret, in eo itinere in quod nos quoq; eſſemus

Akc VI Nr 64/8/65/C

ingressi. Sed tum nobis eum puerilis quædam emulatio proposuit: nunc mihi publica fama cõmendat: magnaq; lætitia affectus sum, cum audirem eum tibi, tua voluntate, successorem esse designatũ. idq; in ista regione, quæ Solædæ patriæ meæ ita finitima est, vt cognatione gentis, & locorum vicinitate, vos beati esse non possitis: quin ad nos quoque Iſtios pars aliqua vestræ fœlicitatis demanet: quam quidem percipiemus ceriè, si vt in tuarũ facultatum & dignitatis: ita etiam in virtutum & bonitatis possessionem veniat. Nam inter ceteras virtutes, quas in te homines semper amauerunt: tres nostra ætate clarissimum lumen emittunt: quarum vna iustitiæ tuæ est, amicitia cum vicinis gesta, & pax celebrata: cuius fructus ad alias quoque ciuitates vberrimi peruenerunt: altera prudentiæ est, in maximis dissidys religionis, atque Germaniæ, summa lenitas et mansuetudo: qua cum alteram partem sequaris: aduersus alteram tamen æquũ te semper præbuisti: & quantũ in te fuit non passus es: vt odia nimis exacerbarentur: aut armis potius de religione quàm legitimo consilio decerneretur. Sed hæ duæ virtutes populares sunt: tertia summorum virorum est: literarum amor: & literatorũ propugnatio: qui nostro seculo à nimium multis vestri ordinis hominibus contemnuntur. At principem hominẽ: & eũ qui Remp. gerit: cũ populi tum vel maximè doctorum, & studiosorum virorum cogitationes decet reuereri. Nulli enim sunt, qui vel iudicent cognitione rerũ grauius: vel vindicent se verius memoria posteritatis: vel literarum monumentis exornent præclarius. Hæ verò virtutes quoniã in te sunt, sunt enim profecto: & quoniam quasi in specula non solum

lum tuorum ciuium, sed etiam Germaniæ sedes: cõuersi sunt & tui populi in te oculi: & cæterorum etiã multorum virorum animi conciliati: qui testes atq; exornatores esse cupiunt, tuæ honestatis, prudentiæ, iusticiæ. Sed hæc ego ad aliũ, quàm ad te scribere malo, metuo enim adulandi suspicionẽ. Verũtamen ista præterire nequaq; silentio potui, primũ quo tibi ostenderem hominum opinionem, & cæteris demonstrarem quas virtutes maximè colere, in hac rerum & temporum inclinatione deceat, vt pax retineatur, libertas non amittatur, de religione decidatur, non armis quibus tolluntur, sed iustis deliberationibus, quod nullius mens veritati conscia potest reformidare. Deinde vt Colonienſibus meis aliquid adferrem: si pro ipsis dicerem, quorũ voces propter barbarorum hominũ importunitatem, ad te peruenire non possunt. Floruerunt aliquando in hac ciuitate literæ, cum in ea Sobius & Cæsarius & Phryſemius docerent: cœperant etiam quidam Dialecticorũ collegia emendare: & fama etiã tum fuit de stipendys constituendis & doctoribus comparandis, quod Ecclesiæ facultatibus facilè fieri posse videbatur. Sed & hæc rumoris aura euanuit: & adhuc viciosa docendi ratio manet: & simul cum magistris atq; doctoribus vetus frequentia discipulorũ sublata est. Sobium vis morbi nobis abstulit: Phryſemius quoniam nullũ refugium in nostris studys esse videbat, ad iurisprudentiæ portum confugit: & iuris quàm sapientiæ consultus esse maluit. Senex adhuc ibi est, atq; omnium nostrũ tanquam parens Cæsarius: qui in hac affecta ætate, post tot tantorumq; laborum defunctionem, nisi ab amicis sustentaretur, viderent eum literæ egentem: quas

ipsē semper ornauit: semperq; maximi fecit. Fiunt hæc te imprudente, & video à nullis hoc vulnus populi tui indicari: cui nisi à te, & per eos quos tibi adiunxisti remedium adhibeatur: quæ spes poterit esse in hac ciuitate reliqua literarū? quæ etiā ocij? Optima ratio est colligendi ciuiū plebisq; gratias, literarū ppagatio: quæ homines magnos, & probos, beneq; moratos viros gignere solent: quibus & magistratus authoritas, & plebis necessitudo, & Reip. dignitas chara sit: ita vt plebis obseruantia, & optimatiū amor, perpetuo quasi vinculo constricti florentem fortunatamq; Remp. efficiant. Huius ego te monere volui: non quo prudentior esse videar: sed vt in eadem naui sæpe periti gubernatores, à vectoribus admonentur: ita etiā ego quæ video, nō quæ sapio, tibi prudentissimo viro demonstro. Si nos Argentorati id ius, easq; immunitates, atq; beneficia Imperatorum accepissemus: quæ tui maiores Colonienſibus impetrarunt: & quibus illa ciuitas cōpluribus iam annis vsa est: efficerem vt florentem & frequentia discipulorum, & delectu literatorum atq; doctorum Remp. breui cerneremus. Maximis de causis illa Imperatorum beneficia fuerunt olim à maioribus nostris instituta: quibus cū rectè vtuntur homines: neq; Ecclesia viris sanctis, neq; Senatus hominibus prudentibus: neque Resp. ciuibus pacificis potest destitui. Sed hæc duabus potissimum rebus conseruantur, seueritate disciplinæ & studiorum elegantia. Sacerdotum & auditorum petulantia ciues à literis alienat: & ipsæ literæ, barbarie viciatæ: magna plærunq; ingeniorū monstra pariunt. Quamobrem optimos semper doctorum collegia scriptores debent retinere: neque minus de mutandis

mutandis autoribus seuerè deliberare: quàm faciunt magnæ Resp. quæ sine causa veteres leges non solent tollere. Ac vt perpetua lex est, Deū colere: ita in scholis Cicero sempiternum exemplum esse debet perfectæ eloquentiæ: quod quādiu in his ludis manet, minus est extimescēda barbaries. Idem enim in literis accidit, quod in religione euenit: in qua, quoniā in Theologorum scholas, barbarorum hominum commentarij recepti sunt: deformatæ sunt cerimoniæ, & missa Dei cognitio, Christiq; doctrina. Similis error nostrā philologiam fœdauit: nam postquam nullus delectus scriptorum habitus est, primū meliores à deterioribus, deinde optimi à pessimis sunt electi: præsertim per Germaniam, quæ multa gymnasia habet, in quibus vel nunquam, vel rarò Ciceronis scripta explicantur. Sæpe mirari soleo, cum ad nostras scholas adolescentes aliunde mittuntur: esse permultos quibus cum Dialectica & Rethorica præcepta tradita sint, & explicati poëtæ Græci, tamen eorum quæ Cicero nobis scripta reliquit, nihil cognouerint. quasi aut minus vtiles sint huius quàm cæterorum libri: aut obscurius ipse de rebus quàm reliqui disserat: aut ibi necesse sit esse difficultatem, in quo sit elegantia: & in illo maximè tenebras, in quo sit summus ornatus. aut melius sit à Siculo, quàm Romano: Lilybæi quàm Romæ, sermonem Latinum discere. Quamobrem tibi Princeps Illustrissi. & hunc scriptorem & Colonienſe Gymnasium, & ipsa literarum studia commendo: ac quoniam primum volumen, ei quem tu amas & diligis, dedicaui: alterum tibi offero. tertium ad Comitem Vuertheimensem mittam. vt qui ætate & vitæ professione antecedis, dextra

Ienaq́, habeas duos egregios ætate quidem non grandes, sed virtute viros, quos cum opus erit, & tuo exemplo confirmes, & consilio iuues, & ope subleues, & authoritate tuearis.

PETRO BEMBO.

CVm multæ ac variæ Bembe artes sunt: quibus maximam inter mortales gloriam consequi possumus: tum duæ præcipuè in amplissimo & dignitatis & laudis gradu locare homines consueuerunt: res militaris, & eloquentia. hæc cum eiusmodi sint: vt nulla sit ars alia: quæ plura in communem omnium vtilitatem afferat: neque quicquam ab hominibus geri possit: quod non harum præsidio egeat: & sub earum quasi tutela contineatur: quippè illa bellum administratur: hæc pacis moderatrix est: in quarum rerum altera ciuitatis semper esse necesse sit: nullum gloriæ, nullum honoris præmium est: quod non illis meritò tribuendum putetur. Sed quoniam ita natura comparatum est: vt longè acrius nos ea perturbent: quæ molesta sunt: quam iucunda delectent: quod ea incommoda, quæ plurima inferre bellum solet, imperatoris scientia propulsantur: tum id quod primum ab hominibus ducitur, imperij sæpe fines proferuntur: ipsius deniq; pacis commodis, tum demum, cum bellum sublatũ est, perfrui possumus: hinc factum est: vt à plerisq; longè imperatoria laus, eloquentiæ præferretur. neque verò in vllam mihi nunc partem, disputandum est. hoc tantum dixerim: si quis ipsas has per se artes consideret: non esse, cur tam facile inferior imperatore orator haberi debeat: quid ille, vt præclarè

clarè omnia, quæ ei cognoscenda sunt, teneat: sine pedi-
tatu, sine equitibus, sine reliquo belli apparatu, facere
vnquam poterit? quid? nisi fortuna affuerit? in cuius ma-
nu, cum humana omnia, tum præcipuè belli euentus es-
se existimatur. Hic nullius præterea opera, aut auxilio
indiget: solus sibi ipse sufficit: solus ipse sine vllo comita-
tu, quod in ipsa arte est, præstare, ac suum tueri munus
potest. quid? quod sine dicendi vi ne ipse quidem impe-
rator satis instructus haberi debet? consolandi sæpe mi-
lites, reprimendi, animandi in hostes sunt: ea plerunque
incidunt tempora: vt vna hæc ars maximè omnium ne-
cessaria in castris sit: huic vni magni sæpe exercitus pro-
fligati, magnæ partæ victoriæ debeantur. Sed hæc omnis
hoc tempore disputatio omittatur: atque id modò mihi
satis sit: in pacatis ciuitatibus nullare magis homines,
quàm eloquentia cæteris anteferri. hoc vt vetustiora
omnia prætermittam, nonné in nostra maximè Rep.
intueri possumus? in qua cum omnibus bonis artibus sit
suus semper honos habitus: nulli tamen ampliora quam
eloquentiæ præmia constituta sunt. quàm multi patrum
memoria, quàm multi nostra, ob hanc vnam ad sum-
mos honorum gradus euecti sunt? neq; id immerito. cum
enim omnia maiorum nostrorum instituta, quibus hæc
vrbs administratur, nihil propè aliud, quàm pacem spe-
ctent: quisnā potius ad huiusce modi Reip. gubernacula
admittendus sit: quàm is, qui pacis artibus eruditus, quē
sibi illi proposuerunt, tenere cursum possit? Vnus profe-
ctò orator est, qui omnia, quæ ad conseruandum hunc
Reip. statum necessaria sunt, complectatur. Hic improbos eiycit: tuetur bonos: alienam à Reip. commodis & di-

gnitate

gnitate sententiam refellit: quæ vtilia simul, & decora
existimat, persuadere conatur: virtutes laudando, quasi
exempla quædam, quæ imitari debeant, ciuibus propo-
nit: vitia improbando, quid fugiendum maximè ac vi-
tandum sit, ostendit: deniq; quasi in specula quadam po-
situs, omnia circumspicit: ac nullā Reip. partem præter-
mittit. non est igitur quod miremur, si eam artem, quæ
omnium maximè hominum cōmodis, ac saluti consulit,
maximè homines admirantur: & qui ea præstant, præ-
stare cæteris, & vnum plurimū posse volunt. Sed quan-
quam maxima in hac Repub. proposita sunt eloquentiæ
præmia: & hac multi via ingressi, ad summos sæpe ho-
nores peruenerunt: non est adhuc tamen is nostra in
ciuitate orator auditus: qui perfectè eloquens dici posset.
quod nulla arte adhibita, ingenij vi, & exercitatione,
atque vsu quodam effici potuit: id nostri homines conse-
cuti sunt. ornatior ille ex eruditione cultus, & ea, quæ
maximè oratorem instruunt, præcepta defuerunt. sed
neq; id, quod omniū maximum existimandū est, è pro-
batissimis quempiam sibi vnquam illi, quem imitaren-
tur, proposuerunt. talem neminem cum audirent: ne ex
veteribus quidem aliquem, quod alia eos lingua locutos
videbant magnoperè quærendū esse iudicauerunt. qua
in re tantum abest, vt ego illis assentiar: vt id etiam cen-
seam: alia nunquam ratione summam illam eloquen-
tiæ gloriam acquiri posse. ac latina nos quidem lingua
iampridem loqui destitimus: & hac, qua nunc vtimur,
recentior multos iam annos tota Italia successit: sed &
ex illa tamen transferri in hanc permulta possunt: neq;
vllus elegantis orationis ornatus reperiri potest: quem

ipsa

ipsa hæc non recipiat. adhibendas modò latinis scriptoribus nostri homines sibi aures, atq; animum existimēt: hinc rerum cognitionem, hinc ea, quæ necessaria ad dicendum præcepta sunt, hinc verborum ornamenta hauriant: hinc demum sibi aliquem deligant, cuius similes velint esse: non est quod desperem, si ad naturæ vim, & frequentem dicendi vsum, hæc etiam accesserint: fore, vt aliquando nostra etiam in ciuitate summus orator audiri possit. Ne Romæ quidem, quæ hac maximè laude floruit, id prius contigit, quàm eloquentiæ studiosi græcorum hominum sibi scripta euoluenda, & quæ abillis essent tradita, percipienda esse penitus putauerunt. tum denique ita verbis, ita sententijs, ita omni dicendi copia, omni ornatus genere Romana se oratio locupletauit: vt ipsius etiam harum rerum & inuentricis, & perfectricis Græciæ felicitati breui tempore se adæquauerit. Idem nunc nobis faciendum est. vt à Græcis illi, sic à Latinis nostri, si esse aliquid volunt, multa transferant necesse est. cum omnes antiqui scriptores perlegendi, tum præcipuè Ciceronis scripta, & ex his orationes maximè semper in manibus habendæ sunt. nullus neq; in iudicijs, neq; in consultationibus incidere locus potest: cuius non plurima hinc exempla, tanquam è thesauro quodam, depromi possint. sunt quidem & alij, qui egregiè scripserint: nec quisquam omninò è veteribus illis est, quem ego non plurimum profuturum arbitrer. sed vnam fortasse illi aliquam eloquentiæ partem absoluerint: huic vni ita omnes illius opes concessæ sunt: vt eas nostri oratores si adepti fuerint, nihil sit, quod sibi præterea desiderandum putent. ita enim

locutus

locutus est: vt Ciceronis vox, ipsius vox esse eloquentiæ videatur. Quamobrem cum huius orationes, quas, vt plaraque omnia, vetustas penè delerat: mea nunc opera longè emendatiores factæ & facilius intelligi, & libentius legi possint: non Latinæ solum linguæ profuisse, sed & meis etiam ciuibus, qui dicendi facultate hominum sibi studia conciliare, atq; in Rep. principes esse voluerint: si sibi has legendas duxerint, quo maius quiddam, quàm cæteri adhuc omnes consecuti sunt, adipiscantur: non parum opis attulisse videri debeo. qua in re si excellenti eloquentia homines præter cæteros Reip. vtiles habendi sunt: nonnihil ipsi etiam Reip. profuisse existimandus sum. Harum ego orationum cum primū nuper Leoni X. Pontifici Maximo volumen miserim: cui hoc alterum à me potius, quàm tibi Bembe mittendum fuit? si amicus quærendus? quem mihi ego te amiciorem putem? qui nouum aliquod quotidiè tuæ in me beneuolentiæ signum ostendas: neq; vnquam bene de me mereri desinas: vt tuus scilicet ille in me animus, qui mihi quidem est perspectissimus, perspectior indies tamen & mihi, & cæteris omnibus esse possit. Si is cui plurimum deberem: ea sunt tua in me merita: vt ego ne ad habendas quidem tibi gratias parum me esse sentiam, & ea iccirco non commemorem: ne cum & plurima, & maxima à me dicta fuerint: & plura tamen, & maiora præterita esse videantur. Quid? quod Ciceronis scripta nemini aptius mitti potuerunt, quam ei, qui ita illa sequitur, vt assequatur. tibi quidem & felix, & ad omnes æquè res accommodatum ingenium est. sed nescio quo pacto tamen hac vna in re maximè elucet: quod

quencunq;

quencunq; dignum iudicaueris, quem tibi proponendū putes: præclarè tuis scriptis semper effinxeris. quis solutā vnquam oratione ipsum hunc Ciceronem, tam vberem, tam vnum ex omnibus omnire absolutum oratorem, felicius reddidit? quis versibus diuinam illam Maronis vim, & maiestatem propius accessit? magnū quiddam, hac præsertim tempestate, fecisse videri solent: qui in horum altero ita elaborarint: vt non omnem saltem operam lusisse existimentur. tu, qui in vtroque excellis, quibus laudibus, quanta admiratione dignus es? Quid? nostra hac lingua, quam non secus nunc, ac veterem quondam illam latini, sibi Hetrusci vendicant: nonné hoc tibi idem contigit? cuius omnem ita elegantiam assecutus es: vt cum & multa iam à plerisq; eo sermone scripta sint: quæ nonnulli vel latinis etiam aquanda censeant: neque eorum tu cuiquam vllo in genere cedere videaris: longè tamen maius quiddam, quàm ad hanc diem effectum sit, de te sibi homines polliceantur. hanc adeo tua illa scripta quæ partim maxima cum tua laude in manibus hominū iamdiu versantur: partim egregiè inchoata, apud te adhuc sunt: expectationem excitarunt. tu profectò is eras, qui eam gloriam, quam deriuari adhuc diximus, in nostram Remp. inferre posses. sed alia te ab hac cura negotia auerterunt. ab Leone X. Pont. Max. accitus, qui illi à secretis esses, à nobis abstractus es: & earum quibus orbis regitur, curarum particeps, ita maximis semper rebus distineris, vt ne ea quidem, quæ tam præclarè cœperas, adhuc scripta perfici potuerint. Sed dabitur profectò id aliquando, quod & tu tantoperè exoptas, ocium: dabitur tempus id,

id, quo totum te ad literarum studia referre possis: quod tibi omne in optimis artibus summa cum tranquillitate animi tuo arbitratu consumendum sit. tum certè id in te videbimus, quod plerunq; in agris fieri consueuit: qui intermisso cultu maiore quadam vbertate quasi referre gratiam quietis solent. tum tu, quanquam Latinæ linguæ splendor ob oculos maximè tuos obuersabitur: hanc tamen nostram ne contemnito. sed & illi etiam cogitationē tuarum aliquid impertire. vetus illa tam multos in omni genere illustres scriptores habet: vt neq; vllius iam ingenio fieri possit ornatior: & tu illis fortasse par, superior quidem certè nullo modo esse possis. Hæc ab nullo ita culta adhuc est: vt non facillimum tibi ipsi præsertim sit, lōgo interuallo omnibus anteferri: ac principē tibi locum sine vlla controuersia vendicare: & certè quod à patribus nobis nostris est tradita: quod ea loq; contigit: id à nobis illi quasi deberi videtur: vt omnium maxime, quantum fieri à nobis potest, & vberem esse, & ornatum velimus. in hanc tu rem si animum intenderis: breui tempore futurum video: vt sicut à Latinis quondam illi ipsi: quos sibi proposuerant, Græci de possessione eloquentiæ deturbati sunt: sic nos neque verborum copia, neque vllo orationis ornatu à Latinis vincamur. hoc aut tu, nemo hac tempestate facere alius potest. quam ob rem ad eam tu quidem te gloriam præpara: à nobis hæc quantacumque sunt, quoniam maiora non possumus, ita accipito: vt maxima tamen existimes: quoniam maxima eorum sunt, quæ ab ingenio meo prouenire possunt.

INDEX SECVNDI VOLVMINIS.

Pro Lege Manilia. Oratio XIII. 4
Pro A. Cluentio. Oratio XIIII. 18
De Lege Agraria contra P. Seruilium Rullum in Senatu. Oratio XV. 61
De Lege Agraria ad populum contra P. Seruilium Rullum. Oratio XVI. 66
De Lege Agraria ad populum contra Rullum. Oratio XVII. 87
Pro C. Rabirio perduellionis reo ad populum. Oratio XVIII. 90
In L. Catilinam in Senatu. Oratio XIX. 97
In L. Catilinam ad populum. Oratio XX. 104
In L. Catilinam ad populum. Oratio XXI. 111
In L. Catilinam in Senatu. Oratio XXII. 118
Pro L. Murena. Oratio XXIII. 124
Pro L. Flacco. Oratio XXIIII. 146
Pro P. Sylla. Oratio XXV. 167
Pro Archia poëta. Oratio XXVI. 185
Ad Equites Romanos antequam iret in exilium. Oratio XXVII. 192
Ad Quirites post reditum. Oratio XXVIII. 198
Post reditum in Senatu. Oratio XXIX. 204
Pro domo sua ad Pontifices. Oratio XXX. 213
De Aruspicum responsis in Senat. Oratio XXXI. 243
Pro Cn. Plancio. Oratio XXXII. 259

M. T. CICERONIS PRO LEGE MANILIA AD POPVLVM ORATIO XIII.

QVanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus esse visus Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuiq; maximè patuit: non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. nam cum antea per ætatẽ nondum huius authoritatem loci contingere auderem: statueremq; nihil huc, nisi perfectũ ingenio, elaboratum industria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. ita neq; hic locus vacuus vnq; fuit ab ijs, qui vestram causam defenderent: & meus labor in priuatorum periculis castè, integreq; versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimũ consecutus. nam cũ propter dilationem comitiorum ter Prætor primus centurijs cunctis renunciatus sum: facilè intellexi Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præscriberetis. Nunc cum & authoritatis in me tantum sit: quantum vos honoribus mandandũ esse voluistis: & ad agendum facultatis tantum: quantum homini vigilanti ex forensi vsu propè quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certè & si quid etiã dicendo consequi possum: ijs ostendam potissimũ: qui ei quoq; rei fructum suo iudicio

tribuendum esse censuerunt. Atq; illud inprimis mihi lætandũ iure esse video: quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est: in qua oratio nemini deesse potest. dicendum est enim de Cn. Pompeij singulari, eximiaq; virtute. huius autem orationis difficilius est exitum, quàm principium inuenire. itaq; mihi non tã copia, quàm modus in dicendo quærendus est. Atq; vt inde oratio mea proficiscatur: vnde hæc omnis causa ducitur: bellũ graue, & periculosum vestris vectigalibus, atq; socijs, à duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, & Tigrane: quorũ alter relictus, alter lacessitus, occasionẽ sibi ad occupandã Asiam oblatã esse arbitratur. Equibus Ro. honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ: quorũ magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatæ: quad me pro necessitudine, quæ mihi est cũ illo ordine: causam Reip. periculaq; rerum suarum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc vestra prouincia est, vicos exustos esse complures: regnũ Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus: totũ esse in hostium potestate: Lucullum magnis rebus gestis, ab eo bello discedere: huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: vnum ab omnibus socijs, & ciuibus ad id bellum Imperatorẽ deposci, atq; expeti: eundẽ hunc vnum ab hostibus metui: præterea neminẽ. Causa quæ sit videtis: nunc quid agendum sit considerate. Primũ mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim eiusmodi: quod maximè vestros animos excitare, atq; inflammare debet. in quo igitur Po. Ro. gloria: quæ vobis à maioribus

ribus cũ magna in rebus, tum summa in re militari, tradita est. agitur salus sociorum atq; amicorum: pro qua multa maiores vestri magna, & grauia bella gesserunt. aguntur certissima populi Ro: vectigalia, & maxima: quibus amissis, & pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis. aguntur bona multorum ciuium: quibus est et à vobis & imperatoribus Reip. consulendũ. Et quoniã semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atq; auidi laudis fuistis: delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta: quæ pènitus iam insedit, atq; inueterauit in populi Ro. nomine: quod is, qui vna die tota Asia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atq; vna literarũ significatione ciues Ro. necandos, trucidandosq; denotauit: nõ modo adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit: sed ab illo tempore annum iam tertium & vigesimũ regnat: & ita regnat, vt se non Ponto atq; Cappadociæ latebris occultare velit: sed emergere è patrio regno: atq; in vestris vectigalibus, hoc est in Asiæ luce versari. etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores: vt ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores: sed ita triumpharunt: vt ille pulsus, superatusq; regnaret. veruntamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerũt: propterea, quod ab eo bello Syllã in Italiã Respublica, Murenam Sylla reuocauit. Mithridates autẽ omne reliquũ tempus, non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem noui contulit. qui postea quam maximas ædificasset, ornasset q; classes: exercitumq; per-

magnos quibuscunq; ex gentibus potuisset, comparasset: Bosphoranis finitimis suis bellū inferre simulasset: vsq; in Hispaniā legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibus cum tū bellum gerebamus: vt cum duobus in locis disiunctissimis, maximeq; diuersis, vno consilio, ab vnis hostium copijs bellum terra, mariq; gereretur: vos anciptiti contentione distracti de imperio dimicaretis. sed tamen alterius partis periculū, Sertorianæ, atq; Hispaniensis, quæ multò plus firmamenti, ac roboris habebat: Cn. Pompeij diuino consilio ac singulari virtute depulsum est. in altera parte ita res à L. Lucullo summo viro est administrata: vt initia illa gestarū rerū magna, atq; præclara, non felicitati eius, sed virtuti: hæc autem extrema, quæ nuper acciderūt, non culpæ, sed fortunæ tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam Quirites, vt neq; vera laus ei detracta oratione nostra, neq; falsa afficta esse videatur. Sed pro vestri imperij dignitate, atq; gloria, quoniam is est exorsus orationis meæ: videte quem vobis animum suscipiēdum putetis. Maiores vestri sæpe, mercatoribus, ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella gesserunt. vos tot ciuium Ro. millibus, vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandē animo esse debetis? legati quod erāt appellati superbius: Corinthū patres vestri totius græciæ lumen extinctum esse voluerunt. vos eum regem inultum esse patiemini: qui legatum populi Ro. consularem, vinculis, ac verberibus, atq; omni supplicio excruciatū necauit? illi libertatē ciuium Ro. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatū populi Ro. omni

supplicio

supplicio interfectum, inultum relinquetis? videte, ne vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperij gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit: illud, quod accepistis, tueri, & conseruare non posse. Quid? quod salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur? regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius populi Ro. atq; amicus: imminent duo reges toti Asiæ, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris socijs, atque amicis: Ciuitates autem omnes, cuncta Asia, atq; Græcia, vestrū auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur: Imperatorem à vobis certum deposcere, cum præsertim vos aliū miseritis, neq; audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitrantur: vident, & sentiunt hoc idem, quod & vos: vnū virum esse, in quo summa sint omnia: & eum propè esse: quo etiam carent ægrius: cuius aduentu ipso, atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit: tamen impetus hostium repressos esse intelligunt, ac retardatos. hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, vt se quoque, sicut cæterarum prouinciarum socios, dignos existimetis: quorū salutem tali viro commendetis. atq; hoc etiam magis quàm cæteros: quod eiusmodi in prouinciam homines cum imperio misimus: vt etiamsi ab hoste defendant: tamen ipsorum aduentus in vrbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc præsentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate: vt ij beatissimi esse videantur: apud quos ille diutissimè commoratur. quare si propter socios, nulla ipsi iniuria lacessiti maiores vestri cum Antiocho,

cum

cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio conuenit iniurijs prouocatos, sociorum salutem vnà cum imperij vestri dignitate defendere? præsertim cum de vestris maximis vectigalibus agatur. nam cæterarum prouinciarum vectigalia Quirites tanta sunt: vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia verò tam opima est, & fertilis: vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur: facilè omnibus terris antecellat. Itaq; hæc vobis prouincia Quirites, si & belli vtilitatem, & pacis dignitatem sustinere vultis: non modo à calamitate, sed etiam à metu calamitatis est defendenda. nã cæteris in rebus, cum venit calamitas: tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus, non solum aduentu mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem: nam cum hostium copiæ non longè absunt: etiamsi irruptio facta nulla sit: tamen pecora relinquuntur: agricultura deseritur: mercatorum nauigatio conquiescit. ita neque ex portu, neq; ex decumis, neq; ex scriptura vectigal conseruari potest. quare sæpe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur. quo tandem animo esse existimatis, aut eos, qui vectigalia vobis pensitant? aut eos, qui exercent, atq; exigunt? cum duo reges cũ maximis copijs propè adsint: cum vna excursio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre possit: cum publicani familias maximas, quas in salinis habent: quas in agris, quas in portibus atque custodijs: magno periculo se habere arbitrentur. putatisne, vos illis rebus frui posse: nisi eos, qui vobis fructuosi

ctuosi sunt, conseruaueritis: non solùm, vt antea dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos? Ac ne illud quidem vobis negligendum est: quod mihi ego extremum proposueram: cum essem de belli genere dicturus: quod ad multorum bona ciuium Ro. pertinet: quorum vobis pro vestra sapientia Quirites habenda est ratio diligenter. nam & publicani homines & honestissimi, & ornatissimi, suas rationes & copias, in illam prouinciam contulerunt. quorum ipsorum per se res, & fortunæ vobis curæ esse debent. etenim si vectigalia neruos esse Reip. semper duximus: eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorũ ordinum rectè esse dicemus. deinde cæteris ex ordinibus homines naui, & industry partim in Asia negotiantur: quibus vos absentibus consulere debetis: partim suas, & suorum, in ea prouincia, pecunias magnas collatas habent. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum ciuium numerũ calamitate prohibere: sapientiæ, videre multorum ciuium calamitatem à Rep. seiunctam esse non posse. etenim illud primum parui refert: vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare: neq; ijsdem redimendi facultas erit, propter calamitatem: neq; alijs voluntas, propter timorem. deinde quod nos eadẽ Asia, atq; idẽ iste Mithridates initio belli Asiatici docuit id, quod certè calamitate docti memoria retinere debemus. nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserunt: scimus, Romæ, solutione impedita, fidẽ concidisse. nõ enim possunt vna in ciuitate multi rem, atq; fortunas amittere, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant. à quo periculo prohibete Rempublicam: & mihi

credite

credite id, quod ipsi videtis. hæc fides, atq; hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur: implicita est cum illis pecuniis Asiaticis, & cohæret. ruere illa non possunt: vt hæc non eodē labefactata motu concidant. quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere: in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorū ciuium cum Repub. defenduntur. Quoniam de genere belli dixi: nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici belli genus esse ita necessarium, vt sit gerendum: nō esse ita magnum, vt sit pertimescendum. in quæ maximè laborandum est: ne fortè à vobis, quæ diligentissimè prouidenda sint, contemnenda esse videātur. Atque vt omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertiri laudis: quantum forti viro, & sapientissimo homini, & magno imperatori debeatur: dico eius aduentu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas atq; instructas, esse deletas, vrbemq; Asiæ clarissimam, nobisq; amicissimam Cyzicenorum obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè: quam L. Lucullus virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberauit. ab eodem imperatore classem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atque depressam: magnas hostium præterea copias multo præliys esse deletas: patefactumq; nostris legionibus esse Pontum: qui antè populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopen, atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata, atq; referta,

referta, cæteras q; vrbes Ponti, & Cappadociæ permultas, vno aditu, atq; aduentu esse captas: regem spoliatum regno patrio, atque auito, ad alios se reges, atque alias gentes supplicem contulisse: atque hæc omnia saluis populi Romani scyis, atque integris vectigalibus esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis: atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis, à nullo istorum, qui huic obtrectant legi, atque causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatū. Requiretur fortasse nunc quemadmodum, cum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. cognoscite Quirites. non enim sine causa quæri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in his locis, qua se parens persequeretur, dissipauisse: vt eorum collectio dispersa, mœrorq; patrius, celeritatem persequendi retardaret. sic Methridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumq; rerum omnium, quas & à maioribus acceperat: & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. hæc dum nostri colligunt omnia diligentius: rex ipse è manibus effugit. ita illum in persequendi studio mœror, hos lætitia retardauit. hunc in illo timore, & fuga Tigranes rex Armenius excepit: diffidentem q; rebus suis confirmauit, & afflictum erexit, perditumq; recreauit. cuius in regnum posteaquam L. Lucullus cū exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt. erat enim metus iniectus iys nationibus, quas nunquam populus Ro. neq; lacessendas

ſendas bello, neque tentandas putauit. erat etiam alia grauis, atq; vehemens opinio: quæ per animos gentium barbararū peruaſerat: fani locupletiſſimi, et religioſiſſimi, diripiendi cauſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. Ita nationes multæ, atq; magnæ nouo quodam terrore ac metu cōcitabantur. noſter autem exercitus, etſi vrbem ex Tigranis regno ceperat, & præliys vſus erat ſecundis: tamen nimia longinquitate locorū, ac deſiderio ſuorum commouebatur. Hic iam plura nō dicam, fuit enim illud extremum: vt ex his locis à militibus noſtris reditus magis maturus, quā proceſſus longior quæreretur. Mithridates autem & ſuam manum iam confirmarat: & eorum, qui ſe ex eius regno collegerant: & magnis aduentitijs multorum regum, & nationum copijs iuuabatur. hoc iam ferè ſic fieri ſolere accepimus: vt regum afflictæ fortunæ facilè multorū opes alliciant ad miſericordiam, maximeq; eorū, qui aut reges ſunt: aut viuunt in regno: quod regale ijs nomen magnum, et ſanctum eſſe videatur. Itaq; tantum victus efficere potuit: quantum incolumis nunquam eſt auſus optare. nam cū ſe in regnum recepiſſet ſuum: non fuit eo cōtentus: quod ei præter ſpem acciderat: vt illā, poſtea quam pulſus erat, terram vnquam attingeret: ſed in exercitum veſtrum clarum, atq; victorē impetum fecit. Sinite hoc loco Quirites, ſicut poëtæ ſolēt, qui res Romanas ſcribunt, præterire me noſtram calamitatem: quæ tāta fuit, vt eā ad aures L. Luculli, nō ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. Hic in ipſo illo malo, grauiſſimaq; belli offenſione L. Lucullus, qui tamē aliqua ex parte ijs incommodis mederi ſortaſſe potuiſſet, veſtro

iuſſu

iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putauiſtis: partem militum, qui iam ſtipendijs confectis erant, dimiſit: partem Glabrioni tradidit. multa prætereo conſultò, ſed ea vos coniectura perſpicitis: quantū illud bellū factum putetis, quod coniungant reges potentiſſimi: renouent agitatæ nationes: ſuſcipiant integræ gentes: nouus imperator veſter accipiat vetere expulſo exercitu. Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum. reſtat vt de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum eſſe videatur. Vtinam Quirites virorum fortium, atq; innocentiū copiam tantam haberetis, vt hæc vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimū tantis rebus, ac tanto bello præficiendū putaretis. Nunc verò cum ſit vnus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam: ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit: quæres eſt? quæ cuiuſquā animum in hac cauſa dubium facere poſſit? Ego enim ſic exiſtimo: in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere: ſcientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem. quis igitur hoc homine ſcientior vnquam aut fuit, aut eſſe debuit? quiè ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atq; acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atq; in militiæ diſciplinā profectus eſt: qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris: ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator: qui ſæpius cū hoſte conflixit, q. quiſquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt. cuius adoleſcentia ad ſcientiā rei militaris nō alie-

nis præceptis, sed suis imperijs, non offensionibus belli, sed victorijs, non stipendijs, sed triumphis est tradu&ta. quod deniq; genus belli esse potest, in quo illum nõ exercuerit fortuna Reipublicæ? Ciuile, Africanũ, Transalpinum, Hispaniense, mistũ ex ciuitatibus, atq; ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale, varia & diuersa genera, & bellorum, & hostium, non solum gesta ab hoc vno, sed etiam confe&ta, nullam rem esse declarant in vsu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditũ possit afferre? non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò existimantur: labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consiliũ in prouidendo: quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, nõ fuerunt. testis est Italia: quam ille ipse victor L. Sylla huius virtute, & consilio confessus est liberatam. testis est Sicilia: quam multis vndiq; cinctã periculis, non terrore belli, sed celeritate consilij explicauit. testis est Africa: quæ magnis oppressa hostium copijs, eorũ ipsorum sanguine redundauit. testis est Gallia: per quã legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum interneritione patefactum est. testis est Hispania: quæ sæpissime plures hostes ab hoc superatos prostratosq; conspexit. testis est iterum, sæpius Italia: quæ cum seruili bello tetro, periculoso q; premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellũ expectatione Pompeij attenuatũ, atq; imminutũ est: aduentu sublatum, ac sepultum. testes verò iam omnes oræ, atq; omnes exteræ gentes, ac

nationes:

nationes: deniq; maria omnia, tũ vniuersa, tum in singulis oris, omnes sinus, atq; portus. quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præsidium, vt tutus esset? aut tam fuit abditus, vt lateret? quis nauigauit, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committeret? cum aut hyeme, aut referto prædonum mari nauigaretur. hoc tantum bellũ, tam turpe, tã vetus, tam latè diuisum, atq; dispersum, quis vnquã arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore confici posse? quam prouinciã tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui præsidio classibus vestris fuistis? quàm multas existimatis insulas esse desertas? quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas vrbes esse sociorum? sed quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longè à domo bellare: & propugnaculis imperij, sociorum fortunas, non sua tecta defendere socijs vestris, ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse? cum exercitus nostri Brundusio nunquam nisi summa hyeme transmiserint. quid ad nos cum ab exteris nationibus venirent, captos querar? cum legati populi Ro. redempti sint, mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in prædonum potestatem peruenerint. quid aut Colophonem, aut Samum nobilissimas vrbes, innumerabiles q; alias captas esse cõmemorẽ? cum vestros portus, atq; eos portus, quibus vitam, & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis, an verò ignoratis portum Caietæ celeberrimum, atq; plenissimum nauium, inspectante Prætore, à prædonibus esse direptum? ex Miseno autem, eius ipsius libe-

ros, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, à prædonibus esse sublatos? nam quid ego Hostiense incommodum, atq; illam labem, atq; ignominiam Reip. querar? cum propè inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi Ro. præpositus esset, à prædonibus capta, atque oppressa est. Prò dij immortales, tanta ne vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, tam breui tempore lucem afferre Reip. potuit? vt vos, qui modo ante ostiũ Tyberinum classem hostiũ videbatis, y nunc nullã intra Oceani ostium prædonum nauem esse audiatis. Atq; hæc qua celeritate gesta sint, quanquam videtis: tamẽ à me in dicendo prætereunda non sint. Quis enim vnquam, aut obeundi negocij, aut consequendi quæstus studio, tã breui tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit? quàm celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit? qui Siciliam adiyt: Africam explorauit: inde Sardiniam cum classe venit, nondũ tempestiuo ad nauigandũ mari: atq; hæc tria frumentaria subsidia Reip. firmissimis præsidijs, classibusq; muniuit. inde se cum in Italiã recepisset, duabus Hispanijs, et Gallia Cisalpina, præsidijs, ac nauibus confirmata, missis itẽ in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnemq; Græciam nauibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisq; præsidijs adornauit: ipse autẽ, vt à Brunduſio profectus est, vnde quinquagesimo die totam ad imperium populi Ro. Ciliciam adiunxit: omnes qui vbiq; prædones fuerunt, partim capti, interfectiq; sunt, partim vnius huius imperio, ac potestati se dederunt. Idẽ Cretensibus, cum ad eum vsq; in Pamphiliam Legatos deprecatores q; misissent: spem deditionis non ademit, obsidesq; imperauit. Ita tantũ bellum, tam diuturnum, tam longè, lateq; dis-

per-

dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebãtur: Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit: ineunte vere susceptit: media æstate confecit. Est hæc diuina, atq; incredibilis virtus imperatoris. quid cæteræ? quas paulò antè commemorare cœperã: quantæ atq; quàm multæ sunt? non enim solum bellandi virtus in summo atq; perfecto imperatore quærenda est: sed multæ sunt artes eximiæ, huius administræ, comites q; virtutis. Ac primũ quanta innocẽtia debent esse imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quãta humanitate? quæ breuiter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus. summa enim sunt omnia Quirites: sed ea magis ex aliorum contentione, q; ipsa per sese cognosci, atq; intelligi possunt. quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, cuius in exercitu veneant centuriatus, atq; venierint? quid hunc hominẽ magnum, aut amplum de Rep. cogitare: qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem prouinciæ magistratibus diuiserit: aut propter auaritiam Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio facit Quirites, vt agnoscere videamini, qui hæc fecerint, ego autem neminem nomino. quare irasci mihi nemo poterit: nisi qui antè de se voluerit confiteri. Itaq; propter hanc auariciam imperatorũ, quantas calamitates, quocunq; ventũ sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros, atq; oppida ciuium Ro. nostri imperatores fecerunt, recordamini, tũ facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. vtrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostiũ vrbes, an hybernis, so-

ciorum ciuitates esse deletas? neq; enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet: neq; seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. Hic miramur hunc hominem tantum excellere cæteris: cuius legiones si in Asiā peruenerunt: vt non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigiū quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur. Iam verò quemadmodum milites hybernent, quotidie sermones, ac literæ perferuntur: non modo vt sumptum faciat in militē, nemini vis affertur: sed ne cupienti quidem cuiquā permittitur. hyemis enim, non auariciæ perfugium maiores nostri in sociorum, atq; amicorum tectis esse voluerunt. Agè verò cæteris in rebus quali sit temperantia consideratе, vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui, tā celeriter in vltimas terras pertulerunt: sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt. non auaricia ab instituto cursu ad prædam aliq; reuocauit: non libido ad voluptatem: non amœnitas ad delectationē: non nobilitas vrbis ad cognitionem: non denique labor ipse ad quietem. postremò signa, & tabulas, cæteraq; ornamenta græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur: ea sibi ille ne visenda quidem existimauit. Itaq; omnes quidē nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum: sed de cœlo delapsum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondā abstinentia: quod iā nationibus exteris incredibile, ac falsò memoriæ proditū videbatur: nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa

maiores

maiores suos tū, cum hac temperantia magistratus habebamus: seruire populo Ro. quàm imperare alijs maluisse. Iam verò ita faciles aditus ad eū priuatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs esse dicuntur: vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Iam quantum consilio, quantū dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria: vos Quirites hoc ipso in loco sæpe cognostis. Fidem verò eius inter socios quantā existimari putatis? quam hostes omnium gentium sanctissimam esse iudicarint. Humanitate iā tanta est, vt difficile dictu sit, vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint: an mansuetudinē victi dilexerint. Et quisquā dubitabit? quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit? qui ad omnia vestræ memoriæ bella conficienda, diuino quodam consilio natus esse videatur. Et quoniam authoritas multum quoq; in bellis administrandis, atq; imperio militari valet: certè nemini dubiū est, quin ea in re ille idē imperator plurimū possit. Vehementer autē pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socij de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat? cū sciamus homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament: opinione nō minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri. quod igitur nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit authoritatem, tanta, & tam præclara iudicia fecistis? an verò vsquam vllam esse oram tā desertam putatis? quo nō illius diei fama peruaserit: cum vniuersus populus Ro. referto foro, repletisq; omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, vnū sibi ad com-

mune omnium gentiũ bellum Cn. Pompeiũ imperatorem depoposcit. Itaq; vt plura non dicam, neq; aliorum exemplis confirmẽ: quantum authoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omniũ rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die à vobis maritimo bello præpositus est imperator, tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia, & caritate rei frumentariæ consecuta est, vnius spe, & nomine: quantam vix ex summa vbertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. Iam verò accepta in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulò antè inuitus admonui: cum socij pertimuissent hostium opes, animiq; creuissent: cum satis firmum præsidium prouincia non haberet, amisissetis Asiam Quirites, nisi id ipsum eius temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Ro. attulisset. huius aduẽtus, & Mithridatẽ insolita inflammatum victoria continuit: et Tigranem magnis copijs minitantem Asiæ, retardauit. et quisquã dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum authoritate perfecerit? aut quam facilè imperio, atq; exercitu socios, & vectigalia conseruaturus sit: qui ipso nomine, ac rumore defenderit? Agè verò, illa res quantã declarat eiusdẽ hominis apud hostes populi R. authoritatẽ: quod ex locis tã longinquis, tam diuersis, tã breui tempore, omnes vnà huic se dediderunt: quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator, exercitusq; esset: ad Cn. Pompeiũ in vltimas pene terras, venerunt: eiq; se omnes Cretensium ciuitates dedere velle dixerunt? Quid? idem ipse Mithridates, nõne ad eundem Cn. Pompeiũ legatum vsq; in Hispaniã misit? eumq; Põpeius legatũ semper iudicauit: y, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum esse missum,

spe-

speculatorem, quàm legatũ iudicari maluerunt. potestis igitur iam constituere Quirites, hanc authoritatẽ multis postea rebus gestis, magnisq; vestris iudicijs amplificatã, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes, valiturã esse existimetis. Reliquum est vt de felicitate, quã præstare de seipso nemo potest, meminisse, & commemorare de altero possumus: sicut æquum est homini de potestate deorum, timidè, et pauca dicamus. Ego enim sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis imperatoribus, nõ solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata, atq; exercitus esse cõmissos. fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas diuinitus adiuncta fortuna. de huius autẽ hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi, nõ vt in illius potestate fortunam positam esse dicam: sed vt præterita meminisse, reliqua sperare videamur: ne aut inuisa dijs immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaq; nõ sum prædicaturus Quirites, quantas ille res domi militiæq;, terra mariq;, quantaq; felicitate gesserit: vt eius semper voluntatibus nõ modo ciues, assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint: sed etiã venti tempestatesq; obsecundarint. hoc breuissimè dicã, neminem vnquam tam impudentẽ fuisse: qui à dijs immortalibus tot, & tãtas res tacitus auderet optare: quot & quantas dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. quod vt illi proprium, ac perpetuum sit Quirites, cum cõmunis salutis, atq; imperij, tũ ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle, & optare debetis. Quare cum & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit: ita ma-

gnum, vt accuratissimè sit administrandum: & cum ei imperatorẽ præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortuna: dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod à dijs immortalibus oblatũ, & datum est, in Remp. conseruandam, atq; amplificandã conferatis? Quod si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc tempore: tamen ad tantũ bellum is erat deligendus, atq; mittendus: nunc, cum ad cæteras summas vtilitates hæc quoq; opportunitas adiungatur, vt in his ipsis locis adsit: vt habeat exercitum: vt ab ijs, qui habent, accipere statim possit: quid expectamus? aut cur nõ ducibus dijs immortalibus, eidem, cui cætera summa cum salute Reip. commissa sunt, hoc quoq; bellũ regium committimus? At enim vir clarissimus Reip. & vestris beneficijs amplissimis affectus, Q. Catulus: itemq; summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij præditus, Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt. quorum ego authoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, & valere oportere confiteor. sed in hac causa, tametsi cognoscitis authoritates contrarias fortissimorum virorum, & clarissimorum: tamen omissis authoritatibus, ipsa re, & ratione exquirere possumus veritatẽ, atq; hoc facilius, quod ea omnia, quæ adhuc à me dicta sunt, ijdem isti vera esse concedũt. & necessarium bellum esse, & magnum, et in vno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortẽsius? si vni omnia tribuenda sunt: vnum dignissimum esse Pompeium. sed ad vnum tamen omnia deferri nõ oportere. Obsoleuit iam ista oratio, re multò magis, quã verbis refutata. nam tu idẽ Quinte Hortensi multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, & in senatu

vatu contra virum fortem A. Gabinium grauiter, ornateq; dixisti: cum is de vno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset: & ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba feceris. quid tum per deos immortales, si plus apud populum Roman. authoritas tua, quàm ipsius populi Roma. salus, & vera causa valuisset, hodie hanc gloriam, atq; hoc orbis terræ imperium teneremus? an tibi tum imperium esse hoc videbatur? cum populi Ro. Legati, Prætores, Quæstoresq; capiebantur? cum ex omnibus prouincijs commeatu, et priuato, & publico prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria: vt neq; priuatam rem maritimã, neq; publicam iam obire possemus? quæ ciuitas antea vnquam fuit? nõ dico Athenienſiũ, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur: nõ Carthaginenſiũ, qui permultum classe, maritimisq; rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum vsq; ad nostram memoriã disciplina naualis, & gloria remansit: quæ ciuitas antea vnquam tam tenuis, tam parua insula fuit? quæ non portus suos, & agros, & aliquam partem regionis, atq; oræ maritimæ per se ipsa defenderet? at hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Ro. cuius vsq; ad nostrã memoriã nomen inuictum in naualibus pugnis permanserat: magna, ac multò maxima parte non modo vtilitatis, sed dignitatis, atq; imperij caruit. nos, quorum maiores Antiochum regẽ classe, Persemq; superarũt: omnibus naualibus pugnis Carthaginenses homines in maritimis reb. exercitatissimos paratissimosq; vicerunt: ij nullo in loco iam prædonibus pares esse poteramus. nos quoque qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes sõcios in vltimis oris authoritate

ritate noſtri imperij ſaluos præſtare poteramus, tum cũ inſula Delos tam procul à nobis, in Aegeo mari poſita, quò omnes vndiq; cũ mercibus, atq; oneribus commeabant: referta diuitijs, parua ſine muro nihil timebat: ijdem non modo prouincijs, atq; oris Italiæ maritimis, ac portubus noſtris, ſed etiam Appia iam via carebamus, & his temporibus nõ pudebat magiſtratus populi Ro. in hunc ipſum locum aſcendere: cũ eum vobis maiores veſtri exuuijs nauticis, & claſſium ſpolijs ornatam reliquiſſent. Bono te animo Q. Hortenſi populus Ro. & cæteros, qui erant in eadem ſententia, dicere exiſtimauit ea, quæ ſentiebatis: ſed tamen in ſalute communi idem populus Ro. dolori ſuo maluit, quàm authoritati veſtræ obtemperare. itaq; vna lex, vnus vir, vnus annus, non modo nos illa miſeria, ac turpitudine liberauit: ſed etiã effecit, vt aliquãdo verè videremur omnibus gentibus, ac nationibus terra, mariq; imperare. quo mihi etiã indignius videtur obtrectatum eſſe adhuc, Gabinio dicã, an ne Pompeio? an vtriq;? id quod eſt verius. ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti, ac poſtulanti. vtrum ille qui poſtulat Legatũ ad tantum bellum quẽ velit, idoneus nõ eſt, qui impetret? cum cæteri ad expilandos ſocios, diripiendasq; prouincias, quos voluerunt, Legatos eduxerint. an ipſe, cuius lege ſalus, ac dignitas populo Ro. atq; omnibus gentibus cõſtituta eſt: exps eſſe debet gloriæ eius imperatoris, atq; eius exercitus: qui cõſilio ipſius, atq; periculo eſt cõſtitutus? An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cælius Latinienſis, C. Lentulus, quos omnis honoris cauſa nomino: cũ trib. plebis fuiſſent, anno proximo Legati eſſe potuerunt: in hoc vno Gabinio ſunt tam diligentes? qui in hoc bello, quod lege Gabinia

geritur,

geritur, in hoc imperatore, atq; exercitu, quem per ſeipſe cõſtituit, etiam præcipuo iure eſſe deberet. de quo legando ſpero conſules ad ſenatũ relaturos: qui ſi dubitabunt, aut grauabuntur: ego me profiteor relaturum: neq; me impediet Quirites inimicum edictum: quo minus fretus vobis, veſtrum ius beneficiumq; defendã. neq; præter interceſſionẽ, quicquam audiam. de qua, vt arbitror, iſti ipſi qui minantur, etiam atq; etiã qui id liceat, cõſiderabunt. Mea quidẽ ſententia Quirites vnus A. Gabinius belli maritimi, rerumq; geſtarũ autor, comes Cn. Pompeio aſcribitur: propterea quod alter, vni id bellum ſuſcipiendum veſtris ſuffragijs detulit: alter delatum, ſuſceptumq; confecit. Reliquum eſt vt de Q. Catuli authoritate, & ſententia dicendũ eſſe videatur: qui cum ex vobis quæreret, ſi in vno Cn. Pompeio omnia poneretis: ſi quid de eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: cœpit magnum ſuæ virtutis fructum, ac dignitatis: cum omnes propè vna voce in eo ipſo vos ſpẽ habituros eſſe dixiſtis. etenim talis eſt vir, vt nulla res tãta ſit, ac tã difficilis, quam ille nõ, & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. ſed in hoc ipſo ab eo vehementiſſimè diſſentio: quod quo minus certa eſt hominum, ac minus diuturna vita: hoc magis reſpub. dum per deos immortales licet, frui debet ſummi hominis vita, atq; virtute. At enim nihil noui fiat cõtra exempla, atq; inſtituta maiorũ. Non dico hoc loco maiores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe: ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum cõſiliorum rationes accõmodaſſe: non dicã duo bella maxima, Punicum, et Hiſpanienſe ab vno imperatore eſſe confecta: duas vrbes potẽtiſſimas, quæ huic imperio maximè minabantur:

nabantur: Carthaginem, atq; Numantiam ab eodẽ Scipione esse deletas: non commemorabo, nuper ita vobis patribusq; vestris esse visum: vt in vno C. Mario spes imperij poneretur. vt idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellũ administraret: in ipsõ Cn. Pompeio, in quo noui constitui nihil vult Q. Catulus: quàm multa sint noua, summaq; Catuli voluntate cõstituta, recordamini. quid tam nouũ? quã adolescentulum priuatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit. huic præesse? præfuit. rem optimè ductu suo gerere? gessit. quid tam præter consuetudinẽ? quàm homini peradolescẽti, cuius à Senatorio gradu ætas longè abesset: imperium, atq; exercitũ dari? Siciliam permitti, atq; Africam, bellumq; in ea administrandum? fuit in his prouincijs singulari innocentia, grauitate, virtute: bellum in Africa maximũ confecit, victorẽ exercitum deportauit. quid verò tam inauditum? quã equitem Ro. triumphare? at eam quoq; rem populus Rom. non modo vidit, sed etiam studio omni visendam putauit. quid tam inusitatum? quàm vt cum duo consules clarissimi, fortissimiq; essent: eques Ro. ad bellum maximũ, formidolosissimumq; pro Consule mitteretur? missus est. quo quidem tempore, cum esset non nemo in senatu: qui diceret, nõ oportere mitti hominem priuatũ pro Consule: L. Philippus dixisse dicitur: non se illum sua sententia pro Consule, sed pro Cõsulibus mittere. tãta in eo Reip. bene gerendæ spes constituebatur: vt duorum consulum munus vnius adolescentis virtuti cõmitteretur. quid tam singulare? quàm vt ex Senatus consulto legibus solutus, cõsul ante fieret, quàm vllum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile?

quàm

quàm vt iterum eques Rom. ex S. C. triumpharet? quæ in omnibus hominibus noua, post hominum memoriã constituta sunt: ea tam multa non sunt: quàm hæc, quæ in hoc vno homine vidimus. Atq; hæc tot exempla, tãta, ac tam noua profecta sunt in eundem hominem à Q. Catuli, atq; à cæterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominũ authoritate. quare videant, ne sit periniquum, & non ferendum: illorum authoritatem de Cn. Pompeij dignitate à vobis comprobatã semper esse: vestrum ab illis de eodẽ homine iudicium populiq; Ro. authoritatem improbari: præsertim cũ iam suo iure populus Ro. in hoc homine suam authoritatem, vel contra omnes qui dissentiunt, possit defendere: propterea quod istis reclamantibus vos vnum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. hoc si vos temere feciſtis: & Reip. parũ consuluistis: rectè isti studia vestra suis cõsilijs regere conantur. sin autẽ vos plus tum in Rep. vidistis: vos his repugnantibus per vosmetipsos dignitatẽ huic imperio, salutem orbi terrarũ attulistis: aliquando isti principes, & sibi, & cæteris, populi Ro. vniuersi authoritati parendum esse fateantur. Atq; in hoc bello Asiatico, & regio, non solum militaris illa virtus, quæ est in Cn. Pompeio singularis, sed alia quoq; virtutes animi multæ, & magnæ requiruntur. difficile est in Asia, Cilicia, Lycia, Syria, regnis exterarũ nationũ ita versari vestrũ imperatorem, vt nihil aliud q̃ de hoste, ac laude cogitet. deinde etiam, si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores: tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorũ hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum

imperio

imperio misimus, iniurias, ac libidines. quod enim fanũ putatis in illis terris, nostris magistratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur: quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coràm cum Q. Catulo, et Q. Hortensio disputarem, summis & clarissimis viris. nouerunt enim sociorũ vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostiũ simulatione cõtra socios, atq; amicos? quæ ciuitas est in Asia? quæ non modo vnius imperatoris, aut legati, sed vnius tribuni militũ animos, ac spiritus capere possit? Quare etiamsi quẽ habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur: tamen nisi erit idem, qui se à pecunys sociorum, qui ab eorũ cõiugibus, ac liberis, q. ab auro gazaq; regia, manus, oculos, animum cohibere possit: non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, regiumq; mittatur. Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletẽ, quæ istis pacata esse videatur? Ora maritima Quirites Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisiuit. videbat enim populus Ro. non locupletari quotãnis pecunia publica, præter paucos, neq; eos quicquã aliud assequi classiũ nomine, nisi vt detrimẽtis accipiendis maiore affici turpitudine videremur. nunc qua cupiditate homines in prouincias, quibus iacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad vnum deferenda esse omnia nõ arbitrantur? quasi verò Cn. Pompeium, non cũ suis virtutibus, tum etiã alienis vitijs magnũ esse videamus. Quare nolite

re nolite dubitare, quin huic vni credatis omnia: qui inter annos tot vnus inuentus sit: quem socij in vrbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quod si authoritatibus hanc causam Quirites confirmandam putatis: est vobis author vir bellorum omnium, maximarumq; rerum peritissimus, P. Seruilius: cuius tantæres gestæ terra, mariq; extiterunt: vt cũ de bello deliberetis, author vobis grauior esse nemo debeat. est C. Curio summis vestris beneficijs, maximisq; rebus gestis, summo ingenio, & prudẽtia præditus. est Cn. Lentulus: in quo omnes p amplissimis vestris honoribus summũ consilium, summã grauitatẽ esse cognoscitis. est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, num horũ authoritatibus illorum orationi qui dissentiunt, respondere posse videamur. Quæ cum ita sint C. Manili: primũ istam tuã & legem, & voluntatẽ, & sententiã laudo, vehementissimeq; comprobo: deinde te hortor, vt authore populo Ro. maneas in sententia, neue cuiusquam vim, aut minas pertimescas. primũ in te satis esse animi constantiæq; arbitror: deinde, cũ tantã multitudinem, cum tanto studio adesse videamus: quantã non iterum in eodem homine præficiendo vidimus: quid est? quod aut dere, aut de perficiendi facultate dubitemus? ego autẽ, quicquid in me est studij, consilij, laboris, ingenij: quicquid hoc beneficio populi Romani, atq; hac potestate Prætoria, q. cquid authoritate, fide, constantia possum: id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & populo Ro. polliceor, & defero: testorq; omnes deos, & eos maximè, qui huic loco, temploq; præsident: qui omnium mentes eorũ, qui ad Rempub. adeunt, maximè perspiciunt: me hoc neq; rogatu facere cuiusquam: neq; quo Cn. Pom-

WBP
Opole

peij gratiam mihi per hanc causam conciliari putẽ: neq; quo mihi ex cuiusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adiumenta honoribus quærã: propterea, quod pericula facilè, vt hominẽ præstare oportet, innocentia tecti pellemus: honores autem, neq; ab vno, neq; ex hoc loco, sed eadem nostra illa laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, consequemur. Quamobrem quicquid in hac causa mihi susceptum est Quirites: id omne me Reip. causa suscepisse confirmo: tantumq; abest, vt aliquam bonam gratiam mihi quæsisse videar: vt multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles suscepisse. sed ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficijs affectum, statui Quirites, vestram voluntatẽ, & Reipublicæ dignitatem, & salutem prouinciarum, atque sociorum, meis omnibus commodis, & rationibus præferre oportere.

PRO A. CLVENTIO HABITO, ORATIO XIIII.

ANIMADVERTI Iudices, omnẽ accusatoris orationem, in duas diuisam
A esse partes. quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur, inuidia iam inueterata iudicij Iuniani, altera tantummodo consuetudinis causa timidè, et diffidenter attingere rationem veneficij criminũ: qua de re lege est hæc quæstio constituta. Itaq; mihi certũ est hanc eandẽ distributionẽ, inuidiæ, & criminum, sic in defensione seruare: vt omnes intelligant, nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicẽdo. Sed cũ considero quomodo mihi in vtraq; re sit elaborandũ: altera pars, quæ ppria est iudicij vestri, & legitimæ veneficij quæstionis per mihi breuis, & nõ magnæ in dicendo contentionis fore videtur. altera autẽ, quæ procul à iudicio remota est, quæ concionibus seditiosè concitatis accõmodatior est, q̃ tranquillis, moderatisq; iudicijs: pspicio quantũ in agendo difficultatis, et quantum laboris sit habitura: sed in hac tanta difficultate, illa me res tamen Iudices cõsolatur: quod vos de criminibus sic audire cõsueuistis: vt eorũ omnem dissolutionẽ ab oratore quæratis, vt nõ existimetis plus vos ad salutẽ reo largiri oportere: q̃ quantũ defensor purgãdis criminibus cõsequi, & dicẽdo probare potuerit. De inuidia aũt sic inter vos disceptare debetis: vt nõ q̃d dicatur à nobis: sed quid oporteat dici, cõsidere tis. Agitur enim in criminibus, A. Cluẽtij propriũ periculũ: inuidia, causa communis. quamobrẽ alterã partẽ

causæ sic agemus, vt vos doceamus. alteram sic, vt oremus. in altera diligentia vestra nobis adiungẽda est. in altera fides imploranda. nemo est enim, q̃ inuidiæ sine vestro, ac sine talium virorum subsidio possit resistere. Equidem, quod ad me attinet, quo me vertã nescio. negẽ fuisse illam infamiã iudicũ corrupti? negẽ illam rem agitatam in concionibus? iactatam in iudicijs? commemoratã in senatu? euellam ex animis hominum tantã opinionem? tam penitus insitam? tã vetustam? non est nostri ingenij. vestri auxilij est Iudices, huius innocentiæ, sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua pernicioſissima flamma, atq̃ in cõmuni incendio subuenire. Etenim sicut alijs in locis parum firmamenti, et parum virium falsitas habet: sic in hoc loco falsa inuidia imbecilla esse debet. dominetur in concionibus: iaceat in iudicijs: valeat in opinionibus, ac sermonibus imperitorum: ab ingenijs prudentiũ repudietur: vehementes habeat repentinos impetus: spatio interposito, & causa cognita, consenescat: deniq̃ illa definitio iudiciorũ æquorũ, quæ nobis à maioribus tradita est, retineatur: vt in iudicijs, & sine inuidia culpa plectatur, et sine culpa inuidia ponatur. Quamobrem à vobis Iudices, antequam de ipsa causa dicere incipio, hoc postulo. primũ id, quod æquissimum est, vt ne quid hunc præiudicati afferatis. etenim non modo authoritatem, sed etiã nomen iudicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus, ac si ad causas iudicia iam facta domo deferemus. deinde si quam opinionẽ iam vestris mentibus comprehendistis: si eam ratio conuellet: si ratio labefactabit: si deniq̃ veritas extorquebit, ne repugnetis: eamq̃ animis vestris aut libẽtibus, aut æquis remittatis. tũ autem cum ego vnaquaq̃ de re

de re dicam, & diluã: ne ipsi, quæ contraria sunt, taciti cogitationi vestræ subijciatis: sed ad extremũ expectetis, & me meum dicendi ordinem seruare patiamini. cum peroratum fuerit, tum si quid erit præteritum, animo requiratis. Ego me Iudices ad eam causam accedere, quæ iam per annos continuos ex contraria parte audiatur, atq̃ ipsa opinione hominũ tacita, prope conuicta atq̃ damnata sit, facilè intelligo. sed si quis mihi deus vestrã ad me audiendum beneuolentiam conciliarit: efficiam profectò, vt intelligatis, nihil esse homini tam timendũ, quã inuidiam: nihil innocenti suscepta inuidia tã optãdum, quàm æquũ iudicium: quod in hoc vno deniq̃ falsæ infamiæ finis aliquis, atq̃ exitus reperiatur. Quamobrem magna me spes tenet: si ea quæ sunt in causa explicare, atq̃ omnia dicendo consequi potuero: hunc locũ, consessumq̃ vestrum, quem illi horribilem A. Cluentio, ac formidolosum fore putauerunt: eum tandẽ eius fortunæ miseræ, multumq̃ iactatæ portum, ac perfugium futurũ. Tametsi pmulta sunt, quæ mihi, antequam de causa dicã, de communibus inuidiæ periculis dicenda esse videantur: tamen ne diutius oratione mea suspensa expectatio vestra teneatur: aggrediar ad crimen cũ illa deprecatione Iudices, qua mihi sæpius vtendũ esse intelligo: sic vt me audiatis: quasi hoc tempore hæc causa primum dicatur, sicuti dicitur: nõ quasi sæpe iam dicta, & nunquam probata sit. hodierno enim die primũ veteris istius criminis diluendi potestas est data: ante hoc tempus error in hac causa, atq̃ inuidia versata est. quamobrem, dum multorum annorum accusationi breuiter, dilucideq̃ respondeo: quæso vt me Iudices, sicuti facere instituistis, benignè attenteq̃ audiatis. Corrupisse dici-

tur A. Cluentius iudicium pecunia, quo inimicum suũ innocentem Statium Albium condemnaret. ostendam Iudices primum, quoniã caput illius atrocitatis, atq; inuidiæ fuit: innocentẽ pecunia circunuentum: neminem vnquam maioribus criminibus, grauioribus testibus esse in iudicium vocatũ. deinde ea de eo præiudicia esse facta ab ipsis iudicibus, à quibus condemnatus est, vt non modo ab ysdem, sed ne ab alijs quidem vllis, absolui vllo modo posset. Cum hæc docuero: tum illud ostendam, quod maximè requiri intelligo: iudicium illud pecunia esse tentatum, non à Cluentio, sed contra Cluentium: faciamq; vt intelligatis in tota illa causa: quid res ipsa tulerit: quid error affinxerit: quid inuidia cõflarit. Primum igitur illud est: ex quo intelligi possit, debuisse Cluentiũ magnopere causæ confidere: quod certissimis criminibus & testibus fretus ad accusandum descenderit. Hoc loco faciendum mihi Iudices est: vt vobis breuiter illa, quibus Albius est condemnatus, crimina exponam. Abs te peto Oppianice, vt me inuitum de patris tui causa dicere existimes, adductum fide, atq; officio defensionis. etenim tibi si in præsentia satisfacere non potuero: tamen multæ mihi ad satisfaciendũ reliquo tempore facultates dabuntur. Cluentio nisi nunc satisfecero, postea mihi satisfaciendi potestas non erit. simul & illud quis est, qui dubitare debeat? contra damnatũ, et mortuũ, pro incolumi, & viuo dicere? cum illi, in quẽ dicitur, damnatio omne ignominiæ periculum iã abstulerit: mors verò etiam doloris: huic autem, pro quo dicitur, nihil possit offensionis accedere sine acerbissimo animi sensu, ac dolore: & sine summo dedecore vitæ, ac turpitudine. Atque vt intelligatis Cluentiũ non accusatorio animo, nõ ostentatione

tatione aliqua, aut gloria adductum, sed nefarijs iniurijs, quotidianis insidijs, proposito ante oculos vitæ periculo, nomen Oppianici detulisse: paulò longius exordiũ rei demonstrandæ repetam. quod quæsò Iudices ne molestè patiamini. principijs enim cognitis, multò facilius extrema intelligetis. A. Cluentius Habitus fuit, pater huiusce Iudices, homo non solum municipij Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, existimatione, nobilitate facilè princeps. Is cum esset mortuus Sylla, et Pompeio Coss. reliquit hunc annos XV natũ: grandem autẽ, & nubilem filiã: quæ breui tempore post patris mortem nupsit A. Aurio Melino consobrino suo, adolescenti inprimis, vt cum habebatur, inter suos, & honesto, & nobili. Cum essent hæ nuptiæ plenæ dignitatis: plenæ concordiæ: repente est exorta mulieris importunæ nefaria libido, non solum dedecore, verum etiam scelere coniuncta. nã Sassia mater huius Habiti: mater enim à me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio, & crudelitate est. mater inquã appellabitur: neq; vnquã illa ita de suo scelere, et immanitate audiet, vt naturæ nomen amittat. quo enim est ipsum nomen amantius, indulgentiusq; maternum: hoc illius matris, quæ multos iam annos, & nunc cum maximè filiũ interfectum cupit, singulare scelus maiore odio dignum esse ducetis. Ea igitur mater Habiti, Melini illius adolescentis generis sui, contra quam fas erat, amore capta, primo, neque id ipsum diu, quoquomodo poterat, in illa cupiditate continebatur. deinde ita flagrare cœpit amentia: sic inflammata ferri libidine: vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror,

à cupiditate reuocaret. animum adolescentis nondum consilio, ac ratione firmatũ, pellexit ijs omnibus rebus, quibus illa ætas capi, ac deliniri potest. filia quæ non solum illo communi dolore muliebri in eiusmodi viri iniurijs angeretur: sed nefarium matris pellicatũ ferre nõ posset: de quo ne queri quidẽ sine scelere se posse arbitraretur: cæteros sui tanti mali ignaros esse cupiebat: in huius amantissimi sui fratris manibus, & gremio, mœrore, & lachrymis consenescebat. Ecce autem subitum diuortium, quod solatiũ malorum omniũ fore videbatur. discedit à Melino Cluentia, vt in tantis iniurijs, non inuita: vt à viro, non libenter. Tum verò illa egregia, ac præclara mater palàm exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, nõ libidinis. itaq; diutius suspicionibus obscuris lædi famam suã noluit: lectum illum genialem, quẽ biennio antè, filiæ suæ nubenti strauerat: in eadem domo sibi ornari, & sterni expulsa atq; exturbata filia iubet. nubit genero socrus, nullis auspicijs, nullis authoribus, funestis omnibus omnium. O mulieris scelus incredibile, & præter hanc vnã in omni vita inaudi tum: O' libidinem effrenatam, & indomitam. O' audaciam singularem. non timuisse, si minus vim deorum, hominumq; famam, at illã ipsam noctem, facesq; illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes deniq; ipsos superiorum testes nuptiarũ? perfregit, ac prostrauit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorẽ libido: timorem audacia: rationem amentia. Tulit hoc cõmune dedecus iam familiæ, cognationis, nominis, grauiter filius. augebatur autem eius molestia quotidianis quærimonijs, & assiduo fletu sororis: statuit tamen nihil sibi in tantis iniurijs, ac tanto scelere matris, grauius

nius faciendũ: quàm vt illa matre ne vteretur. ne, quæ videre sine summo animi dolore nõ poterat: ea si matre vteretur: non solum videre, sed etiam probare suo iudicio putaretur. Initium quod huic cum matre fuerit simultatis, audiuistis pertinuisse hoc ad causam, tunc cũ reliqua cognoueritis, intelligetis. nã illud m' nõ præterit, cuiusmodicunq; mater sit: tamẽ in iudicio filij de turpitudine parentis dici vix oportere. non essem ad vllam causam idoneus Iudices: si hoc quod in cõmunibus hominum sensibus atq; in ipsa natura positum, atq; infixũ est: id ego, cum ad amici pericula depellenda adhiberer, nõ viderem. facilè intelligo non modò reticere homines parentum iniurias, sed etiam animo æquo ferre oportere. Sed ego ea, quæ ferri possunt, ferenda: quæ taceri, tacenda esse arbitror, nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius: nullum periculum mortis adijt: nihil mali timuit: quod non totũ à matre esset conflatũ, & perfectum, quæ hoc tempore fileret omnia: atq; ea, si obliuione nõ posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur. sed ea verò sic agit, vt prorsus reticere nullo modò possit. hoc enim ipsum iudiciũ, hoc periculũ, illa accusatio, omnis testium copia, quæ futura est, à matre initio est adornata: à matre hoc tempore instruitur: atq; omnibus eius opibus, & copijs cõparatur. ipsa deniq; nuper Larino huius opprimendi causa Romã aduolauit. præsto est mulier, audax, pecuniosa, crudelis: instruit accusatores: instituit testes: squalore huius & sordibus lætatur: exitiũ exoptat: sanguinẽ suũ profundere omnẽ cupit: dummodo profusum huius antè videat. hæc nisi omnia perspexeritis in causa, temere à nobis illã appellari putatote. sin autẽ erunt & aperta, et nefaria, Cluentio ignoscere debetis: quod hæc à

me dici patiatur: mihi ignoscere non deberetis, si tacerē. Nunc iā summatim exponā, quibus criminibus Oppianicus damnatus sit: vt & constantiā A. Cluenty, & rationem accusationis perspicere possitis: ac primum causā accusandi quæ fuerit, ostendā: vt id ipsum A. Cluentium vi & necessitate coactum fecisse videatis. Cum manifesto venenū deprehendisset: quod vir matris Oppianicus ei parauisset: & res nō coniectura, sed oculis, ac manibus teneretur, neq; in causa vlla dubitatio posset esse: accusauit Oppianicum. quàm constanter, & quàm diligenter postea dicam: nunc hoc scire vos volui, nullam huic aliā accusandi causam fuisse: nisi vti propositum vitæ periculum, & quotidianas capitis insidias hac vna ratione vitaret. Atq; vt intelligatis accusatū esse criminibus Oppianicum. vt neq; accusator timere, neq; reus sperare debuerit: pauca vobis illius iudicij crimina exponā, quibus cognitis nemo vestrum mirabitur, illum diffidentē rebus suis ad Stalenū, atq; ad pecuniā confugisse. Larinas quædam fuit Dinea, socrus Oppianici, quæ filios habuit M. & Numerium Aurios & Cn. Magium, & filiam Magiam, nuptā Oppianico. M. Aurius adolescentulus bello Italico captus apud Asculum, in Q. Sergij Senatoris eius, q; inter sicarios damnatus est, manus incidit, & apud eū fuit in ergastulo. Numerius autē Aurius frater eius mortuus est, hæredemq; Cn. Magium fratrem suū reliquit. postea Magia vxor Oppianici mortua est. postremò vnus qui reliquus erat Dineæ filius, Cn. Magius est mortuus. is fecit hæredem illū adolescentē Oppianicum, sororis suæ filium: eumq; partiri cum Dinea matre iussit. interim venit index ad Dineā neq; obscurus, neq; incertus: qui nunciaret ei filiū eius M. Aurium viuere,

uere, & in agro Gallico esse in seruitute. mulier amissis liberis, cum vnius fily recuperandi spes esset ostentata: omnes suos propinquos: filiumq; sui necessarios cōuocauit, & ab his flens petiuit, vt negociū susciperent, adolescentem inuestigarent: sibi restituerent eum filium, quē tantum vnum ex multis fortuna reliquū esse voluisset. Hæc cū agere instituisset, oppressa morbo est. itaq; testamentū fecit eiusmodi: vt illi filio HS CCCCLIII millia legaret: hæredem institueret eundem illum Oppianicum nepotem suū: atq; his diebus paucis est mortua. propinqui tamen illi, quemadmodū viua Dinea instituerant, ita mortua illa, ad inuestigandū Aurium cum eodem illo indice in agrum Gallicū profecti sunt. Interim Oppianicus, vt erat, sicuti multis ex rebus reperietis, singulari scelere, & audacia, per quendam Gallicanum familiarem suum primum illum indicem pecunia corrupit: deinde ipsum Aurium nō magna iactura facta tollendum interficiendumq; curauit. illi autem qui erant ad propinquum inuestigandum, & recuperandum profecti, literas Larinū ad Aurios illius adolescentis propinquos, suosq; necessarios mittunt: sibi difficilem esse inuestigandi rationē, quod intelligerent indicem ab Oppianico esse corruptū. Quas literas A. Aurius vir fortis, et experiens, & domi nobilis, M. illius Aurij propinquus in foro palàm, multis audientibus, cū adesset Oppianicus, recitat: & clarissima voce se nomen Oppianici, si interfectum M. Aurium comperisset, delaturum esse testatur. interim breui tempore illi, qui erant in agrum Gallicum profecti, Larinum reuertuntur: interfectum esse M. Aurium renunciant. animi non solum propinquorum, sed etiam omnium Larinatium odio Oppianici,

nici, & illius adolescentis misericordia commouentur. Itaq; cum A. Aurius, qui antea denunciarat, clamore hominẽ, ac minis insequi cœpisset: Larino profugit, & se in castra clarissimi viri Q. Metelli contulit. post illam fugam & sceleris, & conscientiæ testem, nunquam se iudicijs, nunquam legibus, nunquam inermem inimicis committere ausus est. sed per illam L. Syllæ vim, atq; victoriam Larinum in summo timore omniũ cum armatis aduolauit: quatuor viros, quos municipes fecerant, sustulit: se à Sylla, & alios præterea tres factos esse dixit: & ab eodem sibi esse imperatum, vt Aurium illum, qui sibi delationem nominis, & capitis periculum ostentarat: & alterum Aurium, & eius C. filium, & Sex. Virbiũ, quo sequestre in illo indice corrumpendo dicebatur esse vsus, proscribendos, interficiendosq; curaret. itaque illis crudelissimè interfectis, nõ mediocri ab eo cæteri proscriptionis, & mortis metu terrebãtur. His rebus in causa, iudicioq; patefactis, quis est, qui illũ absolui potuisse arbitraretur? Atq; hæc parua sunt: cognoscite reliqua: vt non aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquandiu incolumen fuisse miremini. Primum videte hominis audaciã. Sassiam in matrimonium ducere Habiti matrem, illam, cuius virũ A. Aurium occiderat, concupiuit. vtrum impudentior hic, qui postulet: an crudelior illa, si nubat, difficile dictu est. sed tamen vtriusq; humanitatẽ, constantiamq; cognoscite. Petit Oppianicus, vt sibi Sassia nubat, & id magnopere contendit. illa autem non admiratur audaciã: non impudentiam aspernatur: non denig; illam Oppianici dexteram, viri sui sanguine redundantẽ reformidat: sed quod haberet tres ille filios, iccirco se ab his nuptys abhorrere respondit.

dit. Oppianicus, qui pecuniam Sassiæ concupisset: domo sibi quærendum remediũ existimauit ad eam moram, quæ nuptys afferebatur. nam cũ haberet ex Nouia infantem filium: alter autẽ eius filius Pappia natus, Theani Appuli, quod abest à Larino decem & octo millia passuum, apud matrem educaretur: accersit subito sine causa puerũ Theano: quod facere nisi ludis publicis, aut festis diebus antea non solebat. mater nihil mali misera suspicans mittit. ille se Tarentum proficisci cum simulasset, eo ipso die puer, cũ hora vndecima in publico valens visus esset: ante noctem mortuus, & postridie, antequam luceret, corrobustius est. atq; hunc tantum mœrorẽ matri prius hominum rumor, quam quisquã ex Oppianici familia nunciauit. illa cũ vno tempore audisset sibi non solum filium, sed etiã exequiarum munus ereptũ, Larinum confestim exanimata venit: & ibi de integro funus iam sepulto filio fecit. Dies nondũ decem interfuerant, cũ ille alter filius infans necatur. itaq; nubit Oppianico cõtinuo Sassia lætanti iam animo, & spe optima confirmata. nec mirum, quæ se non nuptialibus donis, sed filiorum funeribus delinitam videret. itaq; quod cæteri propter liberos pecuniæ cupidiores solent esse: ille propter pecuniam liberos amittere iucundum esse duxit. Sentio Iudices vos pro vestra humanitate his tantis sceleribus breuiter à me demonstratis, vehementer esse cõmotos: quo tandẽ igitur animo fuisse illos arbitramini? quibus his de rebus non modo audiendum fuit, verum etiam iudicandum? vos auditis de eo, in quem iudices non estis: de eo, quem non videtis: de eo, quem odisse iam non potestis: de eo, qui & naturæ, & legibus satisfecit: quem leges exilio, natura morte mulctauit: auditis non

ab

ab inimico: auditis sine testibus: auditis cum ea, quæ copiosissimè dici possunt, breuiter à me strictim q3 dicũtur: illi audiebant de eo, de quo iurati sententias ferre debebant: de eo, cuius præsentis nefarium, & conscleratum vultũ intuebantur: de eo, quẽ oderant propter audaciã: de eo, quem omni supplicio dignũ esse ducebant: audiebant ab accusatoribus: audiebant verba multorũ testiũ: audiebant cum vnaquaq3 de re à P. Cannutio homine eloquẽtissimo grauiter, & diu diceretur. & est quisquã? qui, cum hæc cognouerit, suspicari possit Oppianicum iudicio oppressum, & circumuentũ esse innocentem? Aceruatim iam reliqua Iudices dicã: vt ad ea, quæ propiora huius causæ, & adiunctiora sunt perueniam. vos quæso memoria teneatis, non mihi hoc esse propositum, vt accusem Oppianicum mortuum: sed, cũ hoc persuadere vobis velim, iudiciũ ab hoc nõ esse corruptum: hoc vt initio ac fundamento defensionis: Oppianicum hominẽ sceleratissimum, & nocentissimum, esse damnatum. qui vxori suæ Cluentiæ, quæ amica huius Habiti fuit, cum ipse poculum dedisset: subito illa in media potione exclamauit, se maximo cũ dolore mori: nec diutius vixit, q. locuta est. nam in ipso sermone hoc, & vociferatione mortua est. & ad hanc mortẽ tam repentinã, vocem q3 morientis, omnia præterea, quæ solent esse indicia, & vestigia veneni, in illius mortuæ corpore fuerunt, eodem q3 veneno C. Oppianicum fratrem necauit. neq3 est hoc satis, tametsi in ipso fraterno parricidio nullum scelus prætermissum videtur: tamen vt ad hoc nefarium facinus accederet: aditum sibi alijs sceleribus antè muniuit. nam cum esset grauida Auria fratris vxor, & iam appropinquare partus videretur: mulierem veneno interfecit: vt

vnà

vnà illa, & quod erat ex fratre conceptum, necaretur. postea fratrẽ aggressus est: qui serò iam exhausto illo poculo mortis, cum & de suo, et de vxoris interitu clamaret, testamentũ q3 mutare cuperet, in ipsa significatione huius voluntatis, est mortuus. ita mulierẽ, ne partu eius ab hæreditate fraterna excluderetur, necauit: fratris autem liberos prius vita priuauit: quã illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt: vt omnes intelligerent nihil ei clausum, nihil sanctum esse posse: cuius ab audacia fratris liberos ne materni quidem corporis custodia tegere potuisset. memoria teneo Milesiam quandã mulierem, cum essem in Asia, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partũ sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatã, neq3 iniuria, quæ spẽ parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatũ Reip. ciuem sustulisset. quãto est Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? siquidem illa, cum suo corpori vim attulisset, se ipsam cruciauit. hic autem idem illud effecit per alieni corporis mortem, atq3 cruciatum. cæteri non videntur in singulis hominibus multa parricidia suscipere posse. Oppianicus inuentus est: qui in vno corpore plures necaret. itaque cum hanc eius consuetudinem, audaciam q3 cognosceret auunculus illius adolescentis Oppianici, Cn. Magius: isq3 graui morbo affectus esset, & hæredem illum sororis suæ filium faceret: amicis adhibitis præsente matre sua Dinea, vxorem suam interrogauit, esset ne prægnans? quæ cum se esse respondisset, ab ea petiuit: vt se mortuo apud Dineam, quæ tam ei mulieri socrus erat, quoad pareret, habitaret: diligentiam q3 adhiberet: vt id quod conceperat, seruaret: vt

saluum

ſaluum parere poſſet. Itaq; ei teſtamento legat grandem pecuniam à filio, ſiqui natus eſſet: ab ſecundo hærede, nihil legat. quid de Oppianico ſuſpicatus ſit, videtis. quid iudicarit, obſcurum non eſt. nam cum eius filium faceret hæredem, eum tutorem liberis non adſcripſit. quid Oppianicus fecerit cognoſcite: vt illum Magium intelligatis longè animo proſpexiſſe morientem. quæ pecunia mulieri legata erat à filio, ſi qui natus eſſet: eam præſentem Oppianicus nõ debitã mulieri, ſoluit: ſi hæc ſolutio legatorum, & non merces abortionis appellanda eſt. quo illa precio accepto, multisq; præterea muneribus, quæ tum ex tabulis Oppianici recitabantur, ſpem illam, quã in aluo cõmendatã à viro continebat, victa auaricia ſceleri Oppianici vendidit. Nihil poſſe iam ad hanc improbitatem addi videtur. attendite exitũ. quæ mulier obteſtatione viri decẽ illis menſibus ne domum quidẽ vllam niſi ſocrus ſuæ noſſe debuit: hæc quinto menſe poſt viri mortem ipſi Oppianico nupſit. quæ nuptiæ nõ diutur næ fuerunt. erant enim nõ matrimonij dignitate, ſed ſceleris ſocietate coniunctæ. Quid illa cædes Aſiny Larinatis adoleſcentis pecunioſi: quàm clara, tũ recenti re fuit? quàm omnium ſermone celebrata fuit Aiulius quidam Larinas perdita nequitia, & ſumma egeſtate, arte quadam præditus ad libidines adoleſcentulorum excitandas, accommodata. qui vt ſe blandicijs, & aſſentationibus in Aſinij conſuetudinẽ penitus immerſit: Oppianicus cõtinuo ſperare cœpit, hoc ſe Aiulio, tanquã aliqua machina admota, capere Aſinij adoleſcentiam, et fortunas eius patrias expugnare poſſe. ratio excogitata Larini eſt: res translata Romam. iniri enim id conſiliũ facilius in ſolitudine: perfici rem eiuſmodi commodius in turba

turba poſſe arbitrati ſunt. Aſinius cum Aiulio Romam eſt profectus. hos veſtigijs Oppianicus conſecutus eſt. iam vt Romæ vixerint, quibus conuiuijs, quibus flagitijs, quantis, & quàm profuſis ſumptibus, non modo conſcio, ſed etiam conuiua, & adiutore Oppianico, longum eſt mihi dicere: præſertim ad alia properanti. exitum huius aſſimulatæ familiaritatis cognoſcite. Cum eſſet adoleſcens apud mulierculam quandam, atq; ibi pernoctaret, & ibi diem poſterum commoraretur: Aiulius, vt erat conſtitutum, ſimulat ſe agrotare, & teſtamentum facere velle. Oppianicus obſignatores ad eum, qui neque Aſinium, neque Aiulium noſſent, adducit: & illum Aſinium appellat. ipſe teſtamento Aſinij nomine obſignato, diſcedit. Aiulius illico conualeſcit. Annius autem breui illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arenarias quaſdam extra portam Eſquilinam perductus, occiditur. qui cum vnum iam, & alterum diem deſideraretur: neque in his locis, vbi ex conſuetudine quæreba tur, inueniretur: & Oppianicus in foro Larinatium dictitaret, nuper ſe, & ſuos amicos teſtamentum eius obſignaſſe: liberti Aſinij, & nonnulli amici, quod eo die, quo poſtremum Aſinius viſus erat, Aiulium cum eo fuiſſe, & à multis viſum eſſe cõſtabat: in eum inuadunt, & hominem ante pedes Q. Manilij, qui tum erat Triumuir, conſtituunt. atq; ille continuò nullo teſte, nullo indice, recentis maleficij conſcientia perterritus, omnia, vt à me paulò antè dicta ſunt, exponit, Aſiniumq; ab ſe conſilio Oppianici interfectum fatetur. extrahitur domo latitans Oppianicus à Manilio: index Aiulius ex altera parte coràm tenetur. hic iam quid reliqua quæritis? Manilium plerique noratis. non ille honorem à puericia,

non studia virtutis, non vllum existimationis bonæ fructum vnquam cogitarat: sed ex petulanti, atq; improbo scurra, in discordijs ciuitatis ad eam columnam, ad quã multorum sæpè conuitys perductus erat, tum suffragijs populi peruenerat. itaq; rem cum Oppianico transigit: pecuniam ab eo accipit: causam, & susceptam, & manifestam reliquit. Ac tum in Oppianici causa, crimen hoc Asinianum cum testibus multis, tum vero indicio Aiuly probabatur. in quo inter allegatos, Oppianici nomen primum esse constabat: eius, quem vos miserum, atq; innocentem, falsò indicio circumuentũ esse dicitis. Quid? animam tuam Oppianice Dineam, cui tu es hæres, pater tuus non manifestò necauit? ad quã cum adduxisset medicum illũ suum iam cognitum, & sæpe victorem, per quem interfecerat plurimos, mulier exclamat: se ab eo nullo modo velle curari, quo curante suos omnes perdidisset. tum repente Anconitanum quendam L. Clodium pharmacopolam circumforaneũ, qui causa tũ Larinum venisset, aggreditur: & cũ eo HS quadringentis, id quod ipsius tabulis tum est demonstratum, transigit. L. Clodius, qui properaret: cui fora multa restarẽt: simul atq; introductus est, rem conficit. prima potione mulieri sustulit. neque postea Larini punctum est temporis commoratus. eadẽ hac Dinea testamentũ faciente, cũ tabulas prehendisset Oppianicus, qui gener eius fuisset, digito legata deleuit: et cum id multis locis fecisset, post mortem eius, ne lituris coargui posset: testamentum in alias tabulas transcriptũ signis adulterinis obsignauit. Multa preterea consulò. etenim vereor, ne hæc ipsa nimium multa esse videantur. vos tamen eum similẽ sui fuisse in cæteris vitæ suæ partibus existimare debetis. illũ tabulas publicas

blicas Larini censorias corrupisse Decuriones vniuersi iudicauerunt: cum illo iam nemo rationẽ, nemo rem vllam contrahebat: nemo illum ex tã multis cognatis, & affinibus tutorem vnquã liberis suis scripsit: nemo illum aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo conuiuio dignũ iudicabat, oẽs aspernabantur, omnes abhorrebãt, omnes, vt aliquã immanẽ, ac pernicioſam bestiã, pestẽq; fugiebant. hunc tamen hominem tam audacem, tam nefarium, tam nocentem, nunquã accusasset Habitus Iudices: si id prætermittere saluo capite suo potuisset. Erat hinc inimicus Oppianicus. erat: sed tamen erat vitricus crudelis, & huic infesta mater: attamen mater. postremò nihil tam remotum ab accusatione, q̃ Cluentius & natura, & voluntate, et institutа ratione vitæ, sed cum esset hæc illi proposita cõditio, vt aut iustè, pieq; accusaret, aut acerbè, indigneq; moreretur: accusare quoquomodo posset, q̃ illo modo emori, maluit. Atq; vt hæc ita esse perspicere possitis, exponã vobis Oppianici facinus manifestò compertum, atque deprehensum: ex quo simul vtrunq; & hunc accusare, & illum condemnari necesse fuisse intelligetis. Martiales quidam Larini appellabantur ministri publici Martis, atq; ei deo veteribus institutis religionibusq; Larinatum consecrati. quorũ cum satis magnus numerus esset, cumq; item vt in Sicilia, permulti Venerei sunt: sic illi Larini in Martis familia numerarentur: repente Oppianicus eos omnes liberos esse, citesq; Ro. cœpit defendere grauiter. id Decuriones Larinatũ, cunctiq; municipes tulerunt. itaq; ab Habito petiuerũt: vt eam causam susciperet, publiceq; defenderet. Habitus cũ se ab omni eiusmodi negocio remouisset, tamẽ pro loco, pro antiquitate generis sui, pro eo, quod se non solũ suis

commodis, sed etiam suorum municipum, cæterorumq; necessariorum natum esse arbitrabatur: tantæ voluntati vniuersorum Larinatium deesse nolui suscepta causa, Romamq; delata; magnæ quotidie contentiones inter Habitum & Oppianicum ex vtriusq; studio defensionis excitabantur. Erat ipse immani, acerbaq; natura Oppianicus: incendebat eius amentiam infesta atq; inimica filio mater Habiti. magni autē illi sua interesse arbitrabantur, hunc à causa Martialium dimouere. suberat etiā alia causa maior, quæ Oppianici hominis auarissimi, atq; audacissimi mentem maximè cōmouebat. nam Habitus vsq; ad illius iudicij tempus, nullū testamentum vnquam fecerat: neque enim legare eiusmodi matri, poterat in animum inducere: neq; testamento nomen omnino prætermittere parentis. id cum Oppianicus sciret, neq; enim erat obscurum, intelligebat Habito mortuo, bona eius omnia ad matrē esse ventura. quæ ab sese postea, aucta pecunia maiore præmio, orbata filio minore periculo, necaretur. itaq; his rebus incensus, qua ratione Habitum veneno tollere conatus sit cognoscite. C. & L. Fabritij fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate, homines inter se, cum forma, tum moribus similes, municipum autem suorum dissimillimi: in quibus quantus splendor sit, quā propè æquabilis, quàm ferè omnium constans & moderata ratio vitæ, nemo vestrū vt mea fert opinio, ignorat. his Fabritijs semper vsus est Oppianicus familiarissimè. Iam hoc ferè scitis omnes quantam vim habeat ad coniungendas amicitias studiorum, ac naturæ similitudo. cum illi ita viuerent, vt nullū quæstum turpem esse arbitraretur: cum omnis ab his fraus, omnes insidiæ, circumscriptionesq; adolescentium

tium nascerentur, cumq; essent vitijs, atque improbitate omnibus noti: studiosè vt dixi, ad eorum se familiaritatē multis iam antè annis Oppianicus applicarat. itaq; tum sic statuit: per C. Fabritium, nam L. erat mortuus, insidias Habito comparare. Erat illo tempore infirma valetudine Habitus. vtebatur autem medico ignobili, sed spectato homine Cleophanto: cuius seruū Diogenem Fabritius ad venenum Habito dandum, spe, & precio sollicitare cœpit. seruus non incallidus, sed, vt ipsa res declarauit, frugi atq; integer. sermonem Fabritij non est asper natus: rem ad dominum detulit. Cleophantus autē cum Habito est locutus. Habitus autem statim cum M. Bebrio Senatore familiarissimo suo cōmunicauit: qui qua fide, qua prudentia, qua dignitate fuerit, meminisse vos arbitror. ei placuit vt Diogenem Habitus emeret à Cleophanto: quo facilius, aut comprehenderetur res, eius indicio, aut falsa esse cognosceretur. ne multis: Diogenes emitur: venenum diebus paucis cōparatur, multi viri boni cum ex occulto interuenissent, pecuniaq; obsignata, quæ ad eam rē dabatur, in manibus Scamandri liberti Fabritiorum deprehenditur. Prō dij immortales, Oppianicum quisquam his rebus cognitis, circumuentū dicit esse? quis vnquam audacior? quis nocentior? quis apertior in iudicium adductus est? quod ingenium? quæ facultas dicendi? quæ à quoquam excogitata defensio huic vni crimini potuit obsistere? simul & illud quis est, qui dubitet? quin hac re comperta, manifestoq; deprehensa, aut obeunda mors Cluentio, aut suscipienda accusatio fuerit? Satis esse arbitror demonstratum Iudices, vs criminibus accusatum esse Oppianicum: vt honestè absolui nullo modo potuerit. Co-

gnoſcite nunc ita reum citatum eſſe illum : vt re, ſemel atq; iterum præiudicata, condemnatus in iudiciũ venerit. nam Cluentius Iudices primum nomen eius detulit : cuius in manibus venenum deprehenderat. is erat libertus Fabritiorum Scamander integrum conſilium, iudicij corrupti nulla ſuſpicio, ſimplex in iudiciũ cauſa, certares, vnum crimen allatum eſt. hic tum Fabritius, is de quo antè dixi, qui liberto damnato ſibi illud impẽdere periculum videret: quod mihi cum Aletrinatibus vicinitatem, & cum plerisq; eorum magnum vſum eſſe ſciebat, frequentes eos ad me domum adduxit. qui quãquam de homine, ſicut neceſſe erat, exiſtimabant: tamen quod erat ex eodem municipio: ſuæ dignitatis eſſe arbitrabantur, eum, quibus rebus poſſent, defendere: idq; à me vt facerem, & vt cauſam Scamandri ſuſciperem, petebant. in qua cauſa patroni omne periculum continebatur. Ego qui neq; illis talibus viris, ac tam amantibus mei rem poſſem vllam negare, neq; illud crimen tantum, ac tam manifeſtũ eſſe arbitrarer : ſicut nec illi quidem ipſi, qui mihi tum illã cauſam commendabant, arbitrabantur : pollicitus ijs ſum, me omnia, quæ vellent, eſſe facturum. res agi cœpta eſt : citatus eſt Scamander reus : accuſabat P. Cannutius homo in primis ingenioſus, & in dicendo exercitatus : accuſabat autẽ ille quidã Scamandrũ verbis tribus: venenũ eſſe deprehenſum : omnia tela totius accuſationis in Oppianicũ conijciebantur, aperiebatur cauſa inſidiarũ : Fabritiorũ familiaritas commemorabatur : hominis vita, & audacia proferebatur: deniq; omnis accuſatio variè, grauiterq; tracta ta, ad extremũ manifeſta veneni deprehenſione cõclu ſa eſt. Hîc ego cum ad reſpondendum ſurrexi: qua cura

dy

dij immortales, qua ſollicitudine animi, quo timore? ſem per equidem magno cum metu incipio dicere: quotienſcunq; dico, totiens mihi videor in iudicium venire, non ingenij ſolum, ſed etiam virtutis, atq; officij : ne aut id profiteri videar, quod non poſſum implere, quod eſt impudentiæ : aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ, aut negligentiæ. tum verò ita ſum perturbatus, vt omnia timerem : ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus: ſi multa in eiuſmodi cauſa dixiſſem, ne impudentiſſimus exiſtimarer. collegi me aliquando, & ita conſtitui: fortiter eſſe agendum : illi ætati, qua tũ eram, ſolere laudi dari : etiamſi in minus firmis cauſis hominum periculis non defuiſſem. itaq; feci: ſic pugnaui : ſic omni ratione contendi : ſic ad omnia confugi, quantum ego aſſequi potui, remedia, ac perfugia cauſarum : vt hoc, quod timẽ dicã, conſecutus ſim : ne quis illi cauſæ patronum defuiſſe arbitraretur. ſed vt quicquid ego apprehenderã, ſtatim accuſator extorquebat è manibus. ſi quæſieram an inimicitiæ Scamandro cum Habito? fatebatur nullas fuiſſe: ſed Oppianicum, cuius ille miniſter fuiſſet, huic inimiciſſimum fuiſſe, atq; eſſe dicebat. ſin autem illud egeram, nullum ad Scamandrum morte Habiti venturum emolumentum fuiſſe, concedebat : ſed ad vxorem Oppianici hominis in vxoribus necandis exercitati, omnia bona Habiti ventura eſſe dicebat. cũ illa defenſione vſus eſſem, qua in libertinorũ cauſis honeſtiſſima ſemper exiſtimata eſt : Scamandrum patrono eſſe probatũ, fatebatur: ſed quærebat, cui probatus eſſet ipſe patronus. cum ego pluribus verbis in eo commoratus eſſem. Scamandro factas inſidias eſſe per Diogenem, conſtitu-

dd iij

tumq; inter eos de alia re fuisse, vt medicamentum non venenũ Diogenes afferret: hoc cuiuis vsui venire posse: quærebat, cur in eiusmodi locum tam abditum, cur solus, cur cum obsignata pecunia venissent? deniq; hoc loco causa testibus honestissimis hominibus premebatur. M. Bebrius de suo consilio Diogenem emptum, se præsente Scamandrum cum veneno pecuniaq; deprehensum esse dicebat. P. Quintius Varus, homo summa religione, & summa authoritate præditus de insidijs, quæ fierent Habito, & de solicitatione Diogenis recenti re secum Cleophantum locutum esse dicebat. atque in illo iudicio cum Scamandrum nos defendere videremur: verbo ille reus erat, re quidem vera, & periculo, & tota accusatione Oppianicus. neque id obscurè ferebat, nec dissimulare vllo modo poterat: aderat frequens: aduocabat: omni studio gratiaq; pugnabat: postremò id quod maximo malo illi causæ fuit: hoc ipso in loco quasi reus ipse esset, sedebat. oculi omnium iudicum non in Scamandrum, sed in Oppianicum conijciebantur: timor eius, perturbatio, suspensus, incertusq; vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea suspiciosa, hæc aperta, ac manifesta faciebant. Cum in consilium iri oporteret: quæsiuit ab reo C. Iunius Quæsitor ex lege illa Cornelia, quæ tum erat, clàm an palàm de se sententiam ferri vellet? de Oppianici sententia responsum est: quod is Habiti familiarem Iunium esse dicebat, clam velle ferri. itum est in consilium: omnibus sententijs præter vnam, quam suam Stalenus esse dicebat, Scamander prima actione condemnatus est. Quis tum erat omnium, qui Scamandro condemnato non iudicium de Oppianico factum esse arbitraretur? quid est illa damnatione

tione iudicatũ, nisi venenum id, quod Habito daretur, esse quæsitum? quæ porrò tenuissima suspicio collata in Scamandrum est, aut conferri potuit: vt is sua sponte necare voluisse Habitum putaretur? atq; hoc tum iudicio facto, & Oppianico re, et existimatione iam, lege & pronunciatione nondũ condemnato, tamẽ Habitus Oppianicũ reum statim nõ fecit. voluit cognoscere vtrũ iudices in eos solos essent seueri, quos venenũ habuisse ipsos comperissent: an etiã consilia cõscientias q; eiusmodi facinorum supplicio dignas iudicarent. itaq; C. Fabritiũ, quẽ propter familiaritatẽ Oppianici consciũ illi facinori fuisse arbitrabatur: reũ statim fecit, vtq; ei locus primus cõstitueretur, propter causæ coniunctionẽ impetrauit. Hic tum Fabritius non modo ad me meos vicinos, et amicos Aletrinates nõ adduxit: sed ipse ijs neq; defensoribus vti postea neq; laudatoribus potuit. rem enim integrã homines nõ alieni, quãuis suspitiosam defendere humanitatis esse putabamus: iudicatã labefactare conari, impudẽtiæ. itaq; tũ ille inopia & necessitate coactus, in causa eiusmodi ad Cepasios fratres confugit, homines industrios, atq; eo animo, vt quæcunq; dicendi potestas esset data, in honore atq; in beneficio ponerent. Iam hoc quoq; propè iniquissimè comparatum est, quod in morbis corporis, vt quisq; est difficillimus, ita medicus nobilissimus atq; optimus quæritur. in periculis capitis, vt quæq; causa difficillima est, ita deterrimus obscurissimusq; patronus adhibetur. nisi fortè nulla hæc causa est, quod medici nihil præter artificiũ, oratores etiã authoritatẽ præstare debent. Citatur reus: agitur causa paucis verbis. accusat, vt de re iudicata, Cannutius. incipit lõgo, & alìe petito proœmio respondere maior Cepasius. Primò attentè auditur eius

oratio: erigebat animũ iam demissum, et oppressum Oppianicus: gaudebat ipse Fabritius: non intelligebat animos iudicũ, non illius eloquentia, sed defensionis impudentia cõmoueri. Posteaq̃ de re cœpit dicere: ad ea, quæ erãt in causã, addebat etiam ipse noua quædam vulnera. hoc quanquam sedulò faciebat: tamen interdum nõ defendere, sed præuaricari accusatori videbatur. itaq; cũ callidissimè se dicere putaret: & cũ illa verba grauissima ex intimo artificio deprompsisset: respicite iudices hominũ fortunas: respicite dubios, variosq; casus: respicite C. Fabritij senectutem: cũ hoc, RESPICITE ornandæ orationis causã sæpe dixisset, respexit ipse: at C. Fabritius à subsellijs dimisso capite discesserat. Hic Iudices ridere, stomachari, atq; acerbè ferre: patronus causam sibi eripi, & se cætera de illo loco, respicite iudices, nõ posse dicere: nec quicquam propius est factum: quã vt illum per sequeretur, & collo obtorto ad subsellia reduceret, vt reliqua posset perorare. Iam tum Fabritius primum suo iudicio, quod est grauissimum: deinde legis vi, et sententys iudicum est condemnatus. Quid est quod iam de Oppianici causa plura dicamus? apud eosdem iudices reus est factus, cum is duobus præiudicys iam damnatus esset: ab ijsdem autem iudicibus, qui Fabritiorum damnatione de Oppianico iudicarant, locus ei primus est constitutus: accusatus est criminibus grauissimis, ijs quæ à me breuiter dicta sunt: et præterea multis, quæ ego omnia nunc omitto. accusatus est apud eos, qui & Scamandrũ ministrum Oppianici, et Fabritium conscium maleficy cõdemnarant. vtrũ per deos immortales magis est mirandũ: quod is condemnatus est, an quod omnino respondere ausus est? quid enim illi Iudices facere potuerunt?

runt? qui si innocentes Fabritios condemnassent: tamen in Oppianico sibi constare, & superioribus consentire iudicijs debuerunt. an verò illa sua per se ipsi iudicia rescinderent? cum cæteri soleant in iudicando, ne ab aliorum iudicijs discrepent, prouidere. et illi qui Fabritij libertum, quia minister in maleficio fuerat: patronum, quia conscius, condemnassent: ipsum principem atq; architectum sceleris absoluerent? & qui cæteros nullo præiudicio facto, tamen ex ipsa causa condemnassent: hunc, quem bis condemnatũ iam acceperant, liberarent? tum verò illa iudicia Senatoria non falsa inuidia, sed vera atq; insigni turpitudine notata atq; operta dedecore, & infamia, defensioni locũ nullum reliquissent. quid enim tandem illi iudices responderent? si quis ab ijs quæreret, condemnastis Scamandrum, quo crimine? nempe quod Habitũ per seruum medici veneno necare voluisset. qd Habiti morte Scamander cõsequebatur? nihil. sed administer erat Oppianici. Condemnastis C. Fabritium: quid ita? quia cum ipse familiarissimè Oppianico vsus, libertus autem eius in maleficio deprehensus esset, illũ expertem eius consily fuisse nõ probabatur. Si igitur ipsum Oppianicũ bis suis iudicijs condemnatũ absoluissent, quis tantam turpitudinem iudiciorum? quis tantam inconstantiam rerum iudicatarum? quis tantam libidinẽ iudicum ferre potuisset? Quod si hoc videtis, quod iam hac oratione patefactum est: illo iudicio reum condemnari, præsertim ab ijsdem iudicibus, qui duo præiudicia fecissent, necesse fuisse: simul illud videatis necesse est: nullam accusatori causam esse potuisse: cur iudicium vellet corrumpere. Quæro enim abs te Tite Actli, relictis iam cæteris argumentis omnibus: num Fabritios quoque

quoque innocentes condemnatos existimes? num etiam illa iudicia pecunia corrupta esse dicas, quibus iudicijs alter à Staleno solo absolutus est: alter etiam ipse se condemnauit? agè si nocentes: cuius maleficij? nunquid præter venenum quæsitum, quo Habitus necaretur, obiectum est? nunquid aliud in illis iudicijs versatum est? præter hasce insidias Habito ab Oppianico per Fabritios factas? nihil, nihil vnquam aliud Iudices reperietis. Extat memoria: sunt tabulæ publicæ: redargue me, si mentior: testium dicta recita: doce in illorum iudicijs quid præter hoc venenum Oppianici, non modo in criminis, sed in maledicti loco sit obiectum. Multa dici possunt, quare ita necesse fuerit iudicari. sed ego occurram expectationi vestræ Iudices. nam etsi à vobis sic audior, vt nunquam benignius, neq; attentius quenquam audi tum putem: tamen vocat me alio iam dudum tacita vestra expectatio, quæ mihi obloqui videtur. quid ergo? negas ne illud iudicium esse corruptum? non nego. sed ab hoc corruptũ non esse, confirmo. A quo igitur est corruptum? opinor, primum si incertum fuisset, quisnam exitus illius iudicij futurus esset: verisimilius tamẽ esset, eum potius corrupisse, qui metuisset, ne ipse condemnaretur: quàm illum, qui veritus esset, ne alter absolueretur: deinde cum esset nemini dubium quod iudicari necesse esset: eum certè potius qui sibi aliqua ratione diffideret: quàm eum qui omni ratione confideret. postremò certè potius illum, qui bis apud eos iudices offendisset: quàm eum, qui bis causam ys probauisset. vnum quidem certè nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi nõ cõcedat: si constet corruptum illud esse iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum. si doceo non

ab

ab Habito: vinco ab Oppianico. si ostendo ab Oppianico: purgo Habitum. Quare etsi satis docui, rationem nullam huic corrumpendi fuisse: ex quo intelligitur ab Oppianico esse corruptum. tamen de illo ipso seperatim cognoscite. Atq; ego illa non argumentabor, quæ sunt grauia vehementer: eum corrupisse, qui in periculo fuerit: eum, qui metuerit: eum, qui spem salutis in alia ratione non habuerit: eum, qui semper singulari fuerit audacia. multa sunt eiusmodi: verùm cum habeam rem non dubiam, sed apertam, atq; manifestam: enumeratio singulorum argumentorum non est necessaria. Dico C. Ælio Staleno iudici pecuniam grandem Statium Albium ad corrumpendum iudicium dedisse. nunquis negat? te appello Oppianice: te T. Acli: quorũ alter eloquentia damnationem illam, alter tacita pietate deplorat. audete negare ab Oppianico, Staleno iudici pecuniam datam: negate, negate inquam in eo loco, quid tacetis? At negare non potestis, quod repetistis: quod confessi estis: quod abstulistis. quo tandem igitur ore mẽtionem corrupti iudicij facitis, cum ab ista parte iudici pecuniam ante iudicium datam, post iudicium ereptam esse fateamini? quonam igitur hæc modo gesta sunt? repetam paulò altius Iudices: & omnia, quæ in diuturna obscuritate latuerunt, sic aperiam: vt ea cernere oculis videamini, vos quæso vt adhuc me attentè audistis: item, quæ reliqua sunt, audiatis: profectò nihil à me dicetur: quod non dignum hoc conuentu, & silentio, dignum vestris studijs atque auribus esse videatur. Nam vt primum Oppianicus, ex eo, quod Scamander reus erat factus, quid sibi impenderet, cœpit suspicari: statim se adhominis egentis, audacis, in iudicijs corrum-

pendis

pendis exercitati, tum autem iudicis, Staleni familiaritatem applicauit. ac primum Scamandro reo, tantũ donis datis muneribusq; perfecerat: vt eo authore vteretur cupidiore, quàm fides iudicis postulabat. post autem cum esset Scamander vnius Staleni sententia absolutus, patronus autem Scamandri ne sua quidem sententia liberatus: acrioribus saluti suæ remedys subueniendum putauit. tum à Staleno, sicut ab homine ad excogitandum acutissimo, ad audendum impudentissimo, ad efficiendum acerrimo. hæc enim ille, & aliqua ex parte habebat: & maiore ex parte se habere simulabat, auxilium capiti, & fortunis suis petere cœpit. Iam hoc non ignoratis Iudices, vt etiam bestiæ, fame dominante plærunq; ad eum locum, vbi pastæ aliquando sint, reuertantur. Stalẽnus ille biennio antè, cum causam bonorũ Safinij Atellæ recepisset, sexcentis millibus nummûm se iudicium corrupturum esse dixerat. quæ cum accepisset à pupillo, suppressit, iudicioq; facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit, quam cum pecuniam profudisset: & sibi nihil non modo ad cupiditates suas, sed ne ad necessitatem quidem reliquisset: statuit ad eadem sibi prædas, ac suppressiones iudiciales reuertendum. Itaq; cum Oppianicũ iam perditum, & duobus iugulatum præiudicijs videret: promissis eum suis excitauit abiectum, & simul saluti desperare vetuit: Oppianicus orare hominem cœpit: vt sibi rationem ostenderet iudicij corrumpendi. ille autem, quemadmodum ex ipso Oppianico postea est auditum, negauit quenquã esse in ciuitate præter se, qui id efficere possit. sed primò grauari cœpit: quod ædilitatem se petere cum hominibus nobilissimis, & inuidiam, atq; offensionem

nem timere dicebat. post exoratus, initiò permagnã pecuniam poposcit. deinde ad id peruenit, quod confici potuit: & sestertia sexcenta quadraginta millia deferri ad se domum iussit. quæ pecunia simul atq; ad eum delata est: homo impurissimus statim cœpit in eiusmodi mente & cogitatione versari: nihil esse suis rationibus vtilius, quàm Oppianicum cõdemnari illo absoluto, pecuniam illam aut iudicibus dispertiendã, aut ipsi esse reddendã. damnato, repetiturum esse neminem. itaque rem excogitat singularem. atque hæc iudices, quæ verè dicuntur à nobis, facilius credetis: si cum animis vestris lõgo interuallo recordari C. Staleni vitam, & naturã volueritis. nã perinde vt opinio est de cuiusq; moribus: ita quid ab eo factum, & non factum sit, existimari potest. Cum esset egens, sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus. & cum domi suæ, miserrimus, & inanissimus tantũ nummorũ positum videret: ad omnem malitiam & fraudem versa re mentẽ suam, hæc secum cogitans, cœpit. Démne iudicibus? mihi igitur ipse præter periculũ, et infamiam quid quæratur? nihil excogitẽ, quamobrẽ Oppianico damnari necesse sit? qui tandẽ? nihil enim est, quod fieri nõ possit. si quis eũ fortè casus ex periculo eripuerit, nonne reddendum est? præcipitantem igitur impellamus inquit, et perditũ prosternamus. Capit hoc cõsilium, vt pecuniam quibusdam iudicibus leuissimis polliceatur: deinde eam postea supprimat: vt quoniam graues homines sua spõte seuerè iudicaturos putabat: hos, qui leuiores erant, destitutione iratos Oppianico redderet. Itaq; vt erat semper præposterus, atq; peruersus, initiũ facit à Bulbo: & eum quod iam dius nihil quæsierat, tristẽ atq; oscitantẽ leuiter impellit, qd tu inq; ? ecqd me adiuuas Bulbe? ne gratia

Reip.

Reip. seruiamus? ille verò, simulatq; hoc audiuit, nè gratis: quò voles inquit sequar: sed quid affers? tũ ei quadraginta millia, si esset absolutus Oppianicus, pollicetur: & eũ vt cæteros appellet, quibus cum loqui cõsueisset, rogat: atq; etiam ipse conditor totius negocij guttam aspergit huic Bulbo. itaq; minimè amarus is visus est: qui aliqd ex eius sermone speculæ degustarat. Vnus & alter dies interceſſerat, cum res parum certa videbatur: sequester & cõfirmator pecuniæ desiderabatur. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, vt blandissimè potest. quid tu inquit Pacete? hoc enim sibi Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat: ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quàm generis vti cognomine videretur: qua de re mecum locutus es, quærunt à me vbi sit pecunia. Hic ille planus improbissimus quæstu iudiciario pastus, qui illi pecuniæ, quam condiderant, spe iam atq; animo incubaret: contrahit frontem, recordamini faciem, atque illos eius fictos simulatosq; vultus, queritur se ab Oppianico destitutum: & qui esset totus ex fraude & mendacio factus: quiq; ea vicia, quæ ab natura habebat, etiam studio, atq; artificio quodam maliciæ condiuisset: pulchrè asseuerat se ab Oppianico destitutum, atq; hoc addit testimony: sua illum sententia, quam palàm omnes laturi essent, condemnatũ iri. Manarat sermo in consilio, pecuniæ quandam mentionem inter iudices esse versatam: res neq; tam fuerat occulta, quàm erat occultanda: neq; tã erat aperta, quàm Reip. causa aperienda. In ea obscuritate, ac dubitatione ominum Cannutio perito homini, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neq; dũ remperfectam arbitraretur: placuit repente iudices pronunciare. dixerunt se id velle. hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit: rem à Staleno perfectam esse arbitrabatur. in consilium erant ituri iudices triginta & duo: sententijs decẽ & sex absolutio confici poterat: HS quadraginta millia nummũ in singulos iudices distributa: eum numerũ sententiarũ conficere debebant: vt ad cumulum, spe maiorũ præmiorum ipsius Staleni sententia septimadecima accederet. Atq; etiam casu tum, quod illud repente erat factum, Stalenus ipse non aderat: causam nescio quam apud iudicem defendebat. facilè hoc Habitus patiebatur: facilè Cannũtius. at nõ Oppianicus, neq; patronus eius L. Quintius: qui cum esset eo tempore Tribunus plebis: conuitiũ C. Iunio iudici quæstionis maximum fecit: vt ne sine Staleno in consilium iretur: cumq; id ei per viatores consultò negligentius agi videretur: ipse à publico iudicio ad priuatum Staleni iudicium profectus est: & illud pro potestate dimitti iussit: Stalenum ipse ad subsellia adduxit. consurgitur in consilium, cum sententias Oppianicus, quæ tum erat potestas, palàm ferri velle dixisset: vt Stalenus scire posset, quid cuiq; deberetur. varia iudicum genera: nummarij pauci, sed omnes irati. vt enim qui accipere in campo consuerunt, ys candidatis, quorũ nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse: sic eiusmodi iudices infesti tum reo venerant: cæteri nocentissimum esse arbitrabantur. sed spectabant sententias eorum, quos corruptos putabant: vt ex his constituerent, à quo iudicium corruptum videretur. ecce tibi eiusmodi sortitio, vt in primis Bulbo, & Staleno, & Guttæ esset iudicandũ. summa omnium expectatio, quidnam sententiæ ferrent leues ac nummary iudices. atq; illi omnes sine vlla dubi-

tatione condemnant. Hic tum iectus est hominibus scrupulus, & quædam dubitatio, quidnam esset actum. deinde homines sapientes ex vetere illa disciplina iudiciorum, qui neq; absoluere hominem nocentissimum possent, neq; eũ de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita primò condemnare vellent, non liquere dixerunt. nonnulli autẽ seueri homines, hoc statuerunt: quo quisq; animo quid faceret, spectari oportere: & si alỹ pecunia accepta verũ iudicabãt, tamẽ nihilo minus se superioribus suis iudicijs constare putabant oportere. Itaq; damnarunt. quinq; omninò fuerunt, qui illum vestrum innocentem Oppianicum siue imprudentia, siue misericordia, siue aliqua suspicione, siue ambitione adducti absoluerent. Condemnato Oppianico, statim L. Quintius homo maximè popularis, qui omneis rumorũ, & concionum ventos colligere consueisset, oblatã sibi facultatem putauit: vt ex inuidia senatoria posset crescere: quod eius ordinis iudicia minus iam probari populo arbitrabatur. Habetur vna, atque altera concio vehemens, & grauis: accepisse pecuniam iudices, vt innocentem reũ condemnarent. Tribunus plebis clamitabat: agi fortunas omnium dicebat: nulla esse iudicia: qui pecuniosum inimicum haberet, incolumen esse neminem posse. homines totius ignari negocij, qui Oppianicum nunquam vidissent, virum optimum & hominem prudentissimum pecunia oppressum arbitrarentur: incensi suspicione rem in medium vocare cœperunt, & causam illã totã deposcere. atq; illo ipso tempore in ædes T. Annij hominis honestissimi, necessarij, & amici mei noctu Staleus accersitus ab Oppianico venit. Iam cætera nota sunt omnibus: vt cum illo Oppianicus egerit de pecunia:

pecunia: vt ille se redditurum essẽ dixerit: vt eorum sermonem omnẽ audierint viri boni, qui tũ consultò propè in occulto stetissent: vt res patefacta, atq; in forum prolata, & pecunia omnis à Staleno extorta atque erepta sit. huius Staleni persona populo iam nota, atq; perspecta, ab nulla turpi suspicione abhorrebat: suppressam esse ab eo pecuniam, quã pro reo pronunciasset: qui erant in concione non intelligebant: neq; enim docebantur, versatam esse in iudicio mentionẽ pecuniæ sentiebant: innocentem reũ condemnatum esse audiebant: Staleni sententia condemnatum videbant: non gratis id ab eo factũ esse, quod hominem norant, iudicabant: similis in Bulbo, in Gutta, in alys nonnullis suspicio consistebat. itaq; confiteor, licet enim iam impunè hoc præsertim in loco confiteri, quod Oppianici non modò vita, sed etiam nomen ante illud tempus populo ignotum fuisset: indignissimum porrò videretur circumuentũ esse innocẽtem pecunia: hanc deinde suspicionem augeret Staleni improbitas, & non nullorum eius similium iudicum turpitudo: causam autem ageret L. Quintius homo cum summa potestate præditus, tum ad inflãmandos animos multitudinis accõmodatus: summam illi iudicio inuidiã, infamiãq;, esse conflatã. Atq; in hanc flammam recentem C. Iuniũ, qui illi quæstioni præfuerat, iectum esse memini: & illum hominem ædilitium, iam Prætorem opinionibus hominũ constitutum, non disceptatione dicendi, sed clamore hominũ de foro, atq; adeò de ciuitate essẽ sublatũ. Neq; me pœnitet hoc potius tẽpore, q̃ illo causam A. Cluẽtij defendere. causa enim manet eadẽ, quæ mutari nullo modo potest: tẽporis iniq̃tas, atq; inuidia recessit: vt quod in tẽpore malè fuit, nihil obsit: quod in causa boni fuit, prosit.

Itaq; nunc quemadmodum audiar, sentio, nõ modo ab iys, quorum iudicium, atq; potestas est: sed etiam ab illis, quorum tantũ est existimatio. at tum si dicerem, non audirer: non quod alia res esset, immò eadem: sed tempus aliud. id adeo sic cognoscite. quis tum auderet dicere nocentem condemnatum esse Oppianicum? quis nũc id audet negare? quis tum posset arguere ab Oppianico tentatum esse iudicium pecunia? quis id hoc tempore inficiari potest? cui tum liceret docere Oppianicũ reum factum esse tum deniq;, cum duobus proximis præiudicijs condemnatus esset? quis est, qui id hoc tempore infirmare conetur? quare inuidia remota, quàm dies mitigauit, oratio mea deprecata est, vestra fides, atq; æquitas à veritatis disceptatione reiecit: q̃d est præterea quod in causa relinquatur? versatam esse in iudicio pecuniam constat: ea quæritur vnde profecta sit: ab accusatore, an ab reo? accusator dicit hæc: primum, grauissimis criminibus accusãbam, vt nihil opus esset pecunia. deinde, condemnatum adducebam: vt ne eripi quidem pecunia posset. postremò, etiamsi absõlutus esset: mearum tamen omnium fortunarum status incolumis maneret. quid contra reus? primùm ipsam multitudinem & atrocitatem criminum pertimescebam. deinde Fabritijs propter conscientiam mei sceleris condemnatis, me esse condemnatum sentiebam. postremò, in eum casum veneram: vt omnis mearum fortunarum status vnius iudicij periculo contineretur. Agè quoniam corrumpendi iudicij causas ille multas, & graues habuit, hic nullam: profectio ipsius pecuniæ requiratur. Confecit tabulas diligentissimè Cluentius. hæc autem res hæbet hoc certè: vt nihil possit neque additum, neque detractum de re familiari

liari latere. anni sunt octo, cum ista causa in ista meditatione versatur: cum omnia, quæ nunc ad eam rem pertinent: & ex huius, & aliorum tabulis agitatis, tractatis, inquiritis, cum interea Cluentianæ pecuniæ vestigium nullũ inuenitis. quid? Albiana pecunia vestigijs ne vobis odorãda est? an ad ipsum cubile vobis ducibus venire possumus? tenentur vno in loco HS sexcenta quadraginta millia nummũm: tenentur apud hominem audacissimum: tenentur apud iudicem: quid vultis amplius? At enim Stalenus nõ fuit ab Oppianico, sed à Cluentio ad iudicium corrumpẽdum constitutus. cur eum, cum in consilium iretur, Cluentius & Cannutius abesse patiebantur? cũ in consilium mittebant, Stalenũ iudicẽ, cui pecuniã dederant, nõ requirebant? Oppianicus quærebat? Quintius flagitabat? sine Staleno ne in consilium iretur, Tribunitia potestate perfectum est? At condemnauit. hanc enim damnationẽ dederat obsidẽ Bulbo: & cæteris: vt destitutus ab Oppianico videretur. quare si istinc causa corrũpendi iudicij, istinc pecunia, istinc Stalenus, istinc deniq; omnis fraus & audacia est: hinc pudor, honesta vita, & nulla suspicio pecuniæ, nulla corrũpẽdi iudicij causa: patiamini veritate patefactã, atq; omni errore sublato, eò trãsire illius turpitudinis infamiã: vbi cætera maleficia consistant: ab eo inuidiã discedere aliquando: ad quem nunquam accessisse culpa videtis. At enim pecunia Staleno dedit Oppianicus, non ad corrumpendũ iudicium, sed ad conciliationem gratiæ. tẽne hoc Accì dicere, tali prudentia, etiam vsu atq; exercitatione præditum? Sapientissimum esse dicunt eum: cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem. proximè accedere illũ, qui alterius benè inuentis obtemperet. in stultitia cõ-

trà est: minus enim stultus est is: cui nihil in mentem venit: quàm ille, qui quod stultè alteri venit in mentẽ, comprobat. Istam conciliationem gratiæ Stalenus tum recentire, cum faucibus premeretur, excogitauit: siue vt homines tum loquebantur, à P. Cethego admonitus istã dedit conciliationis, & gratiæ fabulam. nam fuisse hunc hominum sermonem recordari potestis: Cethegũ, quod hominem occidisset, & quod eius improbitatem versari in Rep. nollet: & quod videret eum, qui se ab eo reo pecuniam, cum iudex esset, clàm atq; extra ordinẽ accepisse confessus esset, saluum esse non posse: minus ei fidele consilium dedisse. in hoc si improbus Cethegus fuit, videtur mihi aduersarium remouere voluisse. Verum inerat eiusmodi causa, vt Stalenus nummos se accepisse negare nõ posset: nihil aũt erat periculosius, nec turpius, quàm ad quam rem accepisset confiteri. non est consiliũ Cethegi reprehendendum. verum alia causa tum Staleni fuit, alia nunc Acti tua est. ille cũ re premeretur, quodcunq; diceret, honestius diceret, q̃ si quod erat factum, fateretur. te verò illud idem, quod tum expulsum, & eiectum est, nunc retulisse demiror: qui enim poterat tũ in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? qui cum matre habebat simultates: hærebat in tabulis publicis reus, & accusator: condemnati erant Fabrity: nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumniæ relinquere accusationem Cluentius. an vt præuaricaretur? iam id quoq; ad corrumpendũ iudicium pertinet. sed quid opus erat ad eam rem iudice sequestre? & omninò, quamobrem tota ista res per Stalenum potius, hominem ab vtroq; alienissimum, sordidissimũ, turpissimum, quàm per bonum aliquem virum ageretur, &

amicum,

amicum, necessariumq; communem? Sed quid ego hæc pluribus quasi de re obscura disputo? cum ipsa pecunia, quæ Staleno data est: numero, ac summa sua non modo quanta fuerit, sed etiam ad quam rem data fuerit, ostendat. Sexdecim dico Iudices, vt Oppianicus absolueretur, corrumpendos fuisse: ad Stalenum sexcenta & quadraginta millia nummũ esse delata. si vt tu dicis gratiæ conciliandæ causa: quadraginta istorum accessio milliũ q̃d valet? si, vt nos dicimus, vt DCXL millia nummũ sexdecim iudicibus darentur: non Archimedes melius potuit describere. At enim iudicia facta permulta sunt, à Cluentio iudicium esse corruptum. immo verò ante hoc tempus omninò ista ipsa res suo nomine in iudicium nunquã est vocata. ita multum agitata, ita diu iactata ista res est: vt hodierno die primum causa illa defensa sit: hodierno die primũ veritas vocẽ contra inuidiã his iudicibus freta miserit. veruntamẽ multa ista iudicia quæ sunt? ego enim me ad omnia cõfirmaui, & sic paraui: vt docerem quæ facta postea iudicia de illo iudicio dicerentur: partim ruinæ similiora, aut tempestati, q̃ iudicio, & disceptationi fuisse: partim nihil contra Habitum valere: partim etiam pro hoc esse: partim esse eiusmodi, vt neque appellata vnquã iudicia sint, neq; existimata. Hic ego magis vt consuetudinem seruem, q̃ quod vos non vestra hoc sponte faciatis: petam à vobis, vt me, dum de his singulis disputo iudicijs, attentè audiatis. Condemnatus est C. Iunius, q̃ei quæstioni præfuerat. adde etiã illud si placet: tũ est condemnatus, cum esset iudex quæstionis. nõ modo causæ, sed ne legi quidẽ quicquã per tribunum pl. laxamenti datũ est, quo tempore illũ à quæstione ad nullũ aliud Reip. munus adduci licebat: eo tempore ad

quæstionẽ ipse arreptus est. at quam quæstionem? vultus enim vestri Iudices me inuitant: vt, quæ reticenda putarem, libeat iam liberè dicere. quid? illa tandem quæstio, aut disceptatio, aut iudicium fuit? putato fuisse. dicat qui vult hodiè de illo populo concitato: cui tum mos gestus est: qua de re Iunius causam dixerit, quencunq; rogaris, hoc respondebit. quod pecuniam acceperit: quòd innocentem circumuenerit. est hæc opinio. at si ita esset, hac lege accusatũ esse oportuit, qua accusatur Habitus. at ipse ea lege quærebat, paucos dies expectasset Quintius: at neq; priuatus accusare, nec sedata tam inuidia volebat. videtis igitur non in causa, sed in tempore, ac potestate spem omnem accusatoris fuisse. mulctam petiuit. qua lege? quod in legem non iurasset: quæres nemini vnquam fraudi fuit: & quod C. Verres Prætor vrbanus, homo sanctus, & diligens, subsortitionem eius in eo codice non haberet: qui tum interlitus proferebatur. His de causis C. Iunius condemnatus est iudices, leuissimis & infirmissimis: quas omninò in iudicium afferri non oportuit. itaq; oppressus est non causa, sed tempore. Hoc vos Cluentio iudicium putatis obesse oportere? quã ob causam? si ex lege subsortitus non erat Iunius, aut si in legem aliquando non iurauerat: iccirco illius damnatione aliquid de Cluẽtio iudicabatur? Non, inquit. sed ille iccirco his legibus condemnatus est: quod contra aliam legem commiserat. qui hoc confitentur, possunt illud idem iudicium fuisse defendere. Ergò iccirco inquit infestus tum Prætor Iunio fuit: quod illud iudicium corruptum per eum putabatur. num igitur hoc tempore causa mutata est? num alia res, alia ratio illius iudicij, alia natura totius negocij nunc est, ac tum fuit?

non

non opinor, ex iis rebus quæ gestæ sunt, rem vllam potuisse mutari. quid ergo est causæ? quod nunc nostra defensio audiatur tanto silentio, tunc Iunio defendendi sui potestas erepta sit? quia tum in causa nihil erat præter inuidiam, errorem, suspicionem, conciones quotidianas seditiosè ac popularitèr concitatas. accusabat Tribunus plebis: idem in concionibus, idem ad subsellia, ad iudicium non modo de concione. sed etiam cum ipsa concione veniebat. gradus illi Aurelij tum noui, quasi pro theatro illo iudicio ædificati videbantur: quos vbi accusator concitatis hominibus complerat, non modo dicendi ab reo, sed ne surgendi quidem potestas erat. Nuper apud C. Orchinium Collegam meum, locus ab iudicibus Fausto Syllæ de pecunys residuis non est constitutus: non quo illi aut ex lege esse Syllam, aut causam pecuniæ publicæ contemptam atque abiectam putarent: sed quod accusante Tribuno plebis conditione æqua disceptari posse non putauerunt. quid? conferam Syllamne cum Iunio? an hunc tribunum pl. cum Quintio? an vero tempus cum tempore? Sylla maximis opibus, cognatis, affinibus, necessarys, clientibus plurimis. hæc autem apud Iunium parua, & infirma, & ipsius labore quæsita, atq; collecta. hic Tribunus pl. modestus, prudens, non modo non seditiosus, sed etiam seditiosis aduersarius. ille autem acerbus, criminosus, popularis homo, ac turbulentus. tempus hoc tranquillum, ac pacatum. illud omnibus inuidiæ tempestatibus concitatum. quæ cum ita essent, in Fausto tamen illi iudices statuerunt, iniqua cõditione reum causam dicere: cum aduersario eius ad ius accusationis summa vis potestatis accederet. q̃ quidem rationẽ vos Iudices diligenter pro vestra sapientia, et hu

manitate cogitare, & penitus perſpicere debetis: quid mali, quantum periculi vnicuiq; noſtrum inferre poſſit vis tribunitia, conflata præſertim inuidia, & concionibus ſeditiosè concitatis. optimis hercle temporibus, tum cum homines ſe non iactatione populari, ſed dignitate, atque innocentia tuebantur, tamen nec C. Popilius, nec Q. Metellus clariſſimi, atq; amplisſimi viri vim tribunitiam ſuſtinere potuerunt: nedũ his temporibus, his moribus, his magiſtratibus, ſine veſtra ſapientia, ac iudiciorum remedijs ſalui eſſe poſſimus. Non fuit igitur illud iudiciũ iudicij ſimile Iudices, non fuit: in quo non modus eſt habitus: non mos conſuetudoq; ſeruata: non cauſa defenſa. vis illa fuit: & vt ſæpe iam dixi, ruina quædam atq; tempeſtas, & quiduis potius, quàm iudicium, aut diſceptatio, aut quæſtio. quod ſi quis eſt, qui illud iudicium fuiſſe arbitretur, & qui his rebus iudicatis ſtandum putet: is tamen hanc cauſam ab illa debet ſeiungere. ab illo enim, ſiue quod in legem non iuraſſet, ſiue quod ex lege ſubſortitus iudicem non eſſet, mulcta petita eſſe dicitur. Cluentij autem ratio cum illis legibus, quibus ab Iunio mulcta petita eſt, nulla poteſt ex parte eſſe coniuncta. At etiam Bulbus eſt condemnatus. adde, maieſtatis: vt intelligas hoc iudicium cum illo non eſſe coniunctum. At eſt hoc illi crimen obiectum. fateor. ſed etiam legionem eſſe ab eo ſollicitatam in Illyrico, C. Coſconij literis, & multorum teſtimonijs planũ factum eſt. quod crimen erat proprium illius quæſtionis, & quæ res lege maieſtatis tenebatur. At hoc obfuit ei maximè. iam iſta diuinatio eſt: quaſi vti licet, vide ne me coniectura multo ſit verior. ego enim ſic arbitror. Bulbum, quod homo nequam, turpis, improbus,

bus, multis flagitijs contaminatus in iudicium ſit adductus, iccirco facilius eſſe damnatũ, tu mihi ex tota cauſa Bulbi, quod tibi commodũ eſt, eligis: vt id eſſe ſecutos Iudices dicas. quapropter hoc Bulbi iudicium non plus obeſſe huic cauſæ debet, quam illa, quæ commemorata ſunt ab accuſatore, duo iudicia: P. Popilij, & T. Guttæ: qui cauſam de ambitu dixerunt: qui accuſati ſunt ab ijs, qui erant ipſi ambitus condemnati: quos ego non iccirco eſſe arbitror in integrum reſtitutos: quod planum fecerint, illos, ob rem iudicandam, pecuniã accepiſſe: ſed quod iudicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent: ſe ad præmia legis venire oportere. Quapropter neminem dubitare exiſtimo: quin illa damnatio ambitus nulla ex parte cum cauſa Cluentij, veſtroq; iudicio coniuncta eſſe poſſit.

Quid? quod Stalenus eſt condemnatus? non dico hoc tempore Iudices id, quod neſcio an dici oporteat, illũ maieſtatis eſſe damnatum: non recito teſtimonia hominum honeſtiſſimorum: quæ in Stalenum ſunt dicta ab ijs, qui M. Aemilio clariſſimo viro Legati, & Præfecti, & Tribuni militares fuerunt: quorum teſtimonys planum factum eſt: maximè eius opera, cum Quæſtor eſſet, in exercitu ſeditionẽ eſſe conflatã. Ne illa quidem teſtimonia recito, quæ dicta ſunt de HS DCXL millibus. quæ ille cũ accepiſſet nomine iudicij Safiniani: ſicut Oppianici iudicio poſtea, retinuit, atq; ſuppreſſit. Omitto & hæc, & alia permulta, quæ illo iudicio in Stalenũ dicta ſunt. Hoc dico, eandem tũ fuiſſe P. & L. Cominys, equitibus Ro. honeſtiſſimis hominibus, & diſertis controuerſiam cũ Staleno, quẽ accuſabãt, quæ nunc mihi eſt cũ Actio. Cominij dicebant idem quod ego dico, Stalenũ ab Oppianico

pianico pecuniam accepisse: vt iudicium corrumperet: Stalenus conciliandæ gratiæ causa se accepisse dicebat. irridebatur hæc illius reconciliatio, & persona viri boni susceptæ: sicut in statuis inauratis, quas posuit ad Iuturnæ: quibus subscripsit, Reges ab se in gratiam esse reductos: exagitabantur omnes eius fraudes, atq; fallaciæ: tota vita in eiusmodi ratione versata aperiebatur: egestas domestica, quæstus forensis in medium proferebatur: nummarius interpres pacis & concordiæ non probabatur. Itaque tum Stalenus cum idem defenderet quod Actius, condemnatus est. Cominy cũ hoc agerent, quod nos in tota causa egimus, probauerunt. Quamobrem si Staleni damnatione, Oppianicum iudicium corrumpere voluisse: Oppianicum Iudicy ad emendas sententias dedisse pecuniam, iudicatum est: cum ita constitutum sit: vti in illa culpa aut Cluentius sit, aut Oppianicus: Cluenty nummus nullus Iudicy datus vllo vestigio reperitur: Oppianici pecunia post Iudicium factum à Iudice ablata est, potest esse dubium? quin illa damnatio Staleni, nõ modo non sit contra Cluentiũ, sed maximè nostram causam defensionem q; confirmet? Ergo adhuc Iuny iudicium video eiusmodi: vt incursionem potius seditionis, vim multitudinis, impetũ tribunitium, quàm iudicium appellandum putem. quod si quis illud iudicium appellet, tamen hoc confiteatur necesse est: nullo modo illã mulctam, quæ à Iunia petita sit, cum Cluentij causa posse coniungi, illud igitur Iunianum per vim factum est: Bulbi, & Popilij, & Guttæ contra Cluentiũ non est: Staleni etiam pro Cluentio. Videamus ecquod aliud iudicium, quod pro Cluentio sit, proferre possimus. Dixit ne tandem causam C. Fidiculanus Falcula? qui Oppia-

Oppianicum condemnarat: cum præsertim id quod fuit in illo Iudicio inuidiosissimum post paucos dies ex subsortitione sedisset. dixit: & bis quidem dixit. in summam enim L. Quintius inuidiam concionibus eum quotidianis seditiosis, & turbulentis adduxerat. vno iudicio mulcta est ab eo petita, sicut ab Iunio: quod non suæ Decuriæ munere, neq; ex lege sedisset. paulò sedatiore tempore est accusatus, quàm Iunius: sed eadem ferè lege & crimine. quia nulla in iudicio seditio, neq; vis, neq; turba versata est: prima actione facillimè est absolutus. non numero hanc absolutionem. nihilominus enim potest, vt illã mulctam non cõmiserit: accepisse tamen ob rem iudicandã pecuniam, q; captam nusquã Stalenus eadem lege dixit. propriũ crimen illud quæstionis eius non fuit. Fidiculanus quid fecisse dicebatur? accepisse à Cluentio HS CCCC. cuius erat ordinis? Senatory. qua lege in eo genere à Senatore ratio repeti solet de pecunys repetundis, ea lege accusatus, honestissimè est absolutus. acta est enim causa more maiorum, sine vi, sine metu, sine periculo: dicta, & exposita, & demonstrata sunt omnia: adducti iudices sunt, non modo potuisse honestè ab eo reum condemnari, qui non perpetuo sedisset: sed, si aliud is iudex nihil scisset, nisi quæ præiudicia de eo facta esse constarent: audire præterea nihil debuisse. Tum etiam illi quinq;, qui imperitorum hominum rumusculos aucupati, tum illum absoluerunt: iam suam clementiam laudari magnopere nolebant. à quibus si qui quæreret, sedissent ne Iudices in C. Fabritium: sedisse se dicerent. si interrogarentur, num quo crimine is esset accusatus: præter quam veneni eius, quod quæsitum Habito diceretur, negarent. si deinde essent rogati,

gati, quid iudicassent? condemnasse se dicerent: nemò enim absoluit: eodem modo quæsitum si esset de Scamandro, certè idem respondissent. tametsi ille vna sententia est absolutus: sed illam vnam nemo tum istorum suam dici vellet. vter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet? is ne, qui se & sibi & rei iudicatæ constitisse dicit: an ille, qui se in principem maleficy lenem, in adiutorem eius & conscios vehementissimum esse respondit? quorum ego de sententia non debeo disputare. neq; enim dubito, quin ij tales viri suspicione aliqua perculsi repentina, de statu suo declinarent. quare eorum, qui absoluerunt, misericordiam non reprehendo: eorum, qui in iudicando superiora iudicia secuti sunt, sua sponte non Staleni fraude, constantiã cõprobo: eorũ verò, qui sibi non liquere dixerunt, sapientiã laudo: qui absoluere eum, quẽ nocentissimũ cognorant, & quem ipsi bis iam antea condemnarant: nullo modo poterant: condemnare, cum tanta consilij infamia, & tam atrocis rei suspicio esset iniecta, paulò posterius patefacta re, maluerunt. ac ne ex facto solum sapientes illos iudicetis, sed etiam ex nominibus ipsis, quod ij fecerint, rectissimè ac sapientissimè factum probetis: quis P. Octauio Balbo ingenio prudentior? iure peritior? fide, religione, officio, diligentior, aut sanctior cõmemorari potest? nõ absoluit. quis Q. Considio constantior? quis iudiciorum, atq; eius dignitatis, quæ in iudicijs publicis versari debet, peritior? quis virtute, consilio, authoritate præstantior? ne is quidem absoluit. longum est de singulorum virtute ita dicere: quæ quia cognita sunt ab omnibus: verborum ornamenta non quærunt. Qualis vir M. Iuuentius Pedo fuit ex vetere illa iudicum disciplina? qualis

qualis L. Caulius Mergus, M. Basilius, C. Caudinus, q̃ omnes in iudicijs publicis iam tũ florente Repub. florue runt? Ex eodem numero L. Cassius, Cn. Næuius pari & integritate, & prudentia: quorum nullius sententia est Oppianicus absolutus. atq; ex his omnibus, natu minimus, ingenio & religione par ijs, quos antea cemmemorauí: P. Saturius in eadem sententia fuit. O innocentiã Oppianici singularẽ: quo in reo, qui absoluit, ambitiosus: qui distulit, cautus: qui condemnauit, constans existimatur. Hæc tum agitante Quintio, neq; in concione, neque in iudicio demonstrata sunt: neque enim ipse dici patiebatur, nec per multitudinem concitatam consistere cuiquã in dicendo licebat. Ita q; ipse, post quam Iunium peruertit, causam totam reliquit. paucis enim diebus illis, & ipse priuatus est factus, & hominum studia deferbuisse intelligebat. quod si per quos dies Iunium accusauit, Fidiculanũ accusare voluisset: respondendi Fidiculano potestas facta non esset. At primo quidem, omnibus illis iudicibus, qui Oppianicũ condemnarant, minabatur. iam insolentiã noratis hominis. noratis animos eius, ac spiritus Tribunitios. quod erat odium dij immortales? quæ superbia? quanta ignoratio sui? quàm grauis, atque intolerabilis arrogantia? qui illud etiam ipsum acerbè tulerit, ex quo illa nata sunt omnia: non sibi ac defensioni suæ condonatũ esse Oppianicum. proinde quasi non satis signi esse debuerit, ab omnibus eum fuisse desertũ, qui se ad patronum illum contulisset. erat enim Romæ summa copia patronorum hominum eloquentissimorum, atq; amplissimorum: quorum certè aliquis defendisset equitẽ Ro. in municipio suo nobilẽ, si honestè putasset eiusmodi causam posse defendi. nam Quintius

tius quidem quã causam vnquam antea dixerat, cum annos ad quinquaginta natus esset? quis eum vnquam non modo in patroni, sed in laudatoris, aut aduocati loco viderat? qui, quod rostra iam diu vacua, locumq; illũ post aduentum L. Syllæ, à tribunitia voce desertum oppresserat: multitudinemq; iam desuefactam à concionibus ad veteris consuetudinis similitudinem reuocauerat: iccirco cuidam hominum generi paulisper iucundior fuit. atque idem quanto in odio postea suis illis ipsis fuit, per quos in altiorem locum ascenderat? neq; iniuria. facite enim, vt non solum mores eius, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam vsq; ad talos demissam purpuram recordemini. Is quasi non esset vllo modo ferendum, se ex iudicio discessisse victum, rem ab subsellijs in rostra detulit: & iam querimur, sæpe hominibus nouis non satis magnos in hac ciuitate esse fructus? nego vsquam vnquam fuisse maiores. vbi, si quis nobili loco natus, ita viuat: vt nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur: vsque eò peruenit: quo ad eum industria cum innocentia persecuta est. si quis autem hoc vno nititur: quod sit ignobilis: procedit sæpe longius, quàm si idem ille esset cum ijsdem suis viijs nobilissimus. vt Quintius, (nihil enim dicam de cæteris,) si fuisset homo nobilis: quis eum cum illa superbia, atque intolerantia ferre potuisset: quod eo loco fuit: ita tulerunt, vt si quid haberet à natura boni, prodesse ei putarent oportere: superbiam autem, atq; arrogantiam eius deridendã magis arbitrarentur propter humilitatem hominis, quã pertimescendam. Sed, vt illuc reuertar: quo tempore Fidiculanus est absolutus: tu, qui ea Iudicia facta commemoras, quæro quid tum esse tum esse existimas iudicatum? certè gratis iudicasse. at condemnarat: at causam totam non audierat: at in concionibus omnibus à L. Quintio vehementer erat, & sæpè vexatus. Illa igitur omnia Quintiana, iniqua, falsa, turbulenta, popularia, seditiosa iudicia fuerunt. Esto: potuit esse innocens Falcula iam ergò aliquis Oppianicum gratis condemnauit: iam non eos Iunius subsortitus est, qui pecunia accepta condemnarent: iam potuit aliquis ab initio non sedisse: & tamen Oppianicum gratis condemnasse. Verum si innocens Falcula, quæso quis nocens? si hic gratis condemnauit, quis accepit? nego rem esse vllam in quenquam illorum obiectam, quæ Fidiculano obiecta non sit: neque aliquid fuisse in Fidiculani causa: quod idem non esset cæterorum. aut hoc iudicium reprehendas tu, cuius accusatio rebus iudicatis niti videbatur, necesse est. aut, si hoc verum esse concedis Oppianicum gratis condemnatum esse fateare. quã quam satis magno argumento esse debet: quod ex tam multis iudicibus absoluto Falcula, nemo reus factus est. quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis testibus? cum primum illi ipsi debuerint potius accusari de pecunijs repetundis, quàm ambitus. nam si in ambitus iudicijs hoc his obfuit, cum alia lege causam dicerent: certè si propria lege huius peccati adaucti essent, multò plus obfuisset. Deinde, si tanta vis fuit istius criminis: vt qua quisq; lege ex illis iudicibus reus factus esset, tamen hac plaga periret: cur in tanta multitudine accusatorum, tantis præmijs cæteri rei facti non sunt? Hic profertur id quod iudicium appellari non oportet: P. Septimo Scævolæ litem eo nomine esse existimatam, cu-

ius rei quæ consuetudo sit, quoniam apud homines peritissimos dico, pluribus verbis docere nõ debeo. nunquam enim ea diligentia, quæ sõlet adhiberi in cæteris iudicijs, eadem reo damnato adhibita est. In litibus æstimandis ferè Iudices, aut, quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putant esse, si quæ in eum lis capitis illata est, non admittunt: aut quod se perfunctos iam esse arbitrantur, cum de reo iudicarunt, negligentius attendunt cætera. itaque & maiestatis absõluti sunt permulti: quibus damnatis de pecunijs repetundis lites essent æstimatæ: & hoc quotidiè fieri videmus: vt reo damnato de pecunijs repetundis, ad quos peruenisse pecunias in litibus æstimandis statutum sit: eos illi iudices absõluant. quod cum fit, non iudicia rescinduntur: sed hoc statuitur: æstimationem litium, non esse iudicium. Scævola condemnatus est alys criminibus, frequentissimis Apuliæ testibus: omni contentione pugnatum est, vt lis hæc capitis æstimaretur. quæres, si rei iudicatæ pondus habuisset: ille postea vel ijsdem, vel alys inimicis reus hac lege ipsa factus esset. Sequitur id, quod illi iudicium appellant: maiores autem nostri nunquam neque iudicium nominarunt, neque perinde, vt rem iudicatam obseruauerunt, animaduersio, atque authoritas Censoria. qua de re antequam dicere incipio, perpauca mihi de meo officio verba facienda sunt: vt à me cum huiusce periculi, tum cæterorum quoque officiorum, & amicitiarum ratio conseruata esse videatur. nam mihi cum viris fortibus, qui Censores proximè fuerunt, ambobus est amicitia: cum altero verò, sicuti & plærique vestrum sciunt, magnus vsus, & summa vtriusq; officij constituta necessitudo est. quare quicquid de subscriptionibus

eorum

eorum mihi dicendum erit: eo dicam animo, vt omnem orationem meam non de illorũ facto, sed de ratione censoria habitam existimari velim. à Lentulo autem familiari meo, qui à me pro eximia sua virtute, summisq; honoribus, quos à populo Rom. adeptus est, honoris causa nominatur, facilè hoc iudices impetrabo: vt quã ipse adhibere consueuit in amicorũ periculis fidem, & diligentiam, tum vim animi, libertatemq; dicendi: in hac mihi concedat, vt tantum mihi sumam, quantum sine huius periculo præterire non possum. à me tamen, vt æquum est, omnia cautè, pedetentimq; dicentur: vt neq; fides huius defensionis relicta, neq; cuiusquam aut dignitas læsa, aut amicitia violata esse videatur. Video igitur Iudices, animaduertisse Censores in iudices quosdam illius cõsilij Iuniani, cum istam ipsam causam subscriberent. Hic primum illud cõmune proponam: nunquã animaduersionibus Censorijs hanc ciuitatem ita contentã, vt rebus iudicatis fuisse. neq; in re nota consumã tempus exemplis. ponam illud vnum: C. Getam cum à L. Metello, & Cn. Domitio Censoribus ex Senatu eiectus esset, Censorem ipsum postea esse factum: & cuius mores à Censoribus erant reprehensi, hunc postea & populi Rom. & eorum, qui in ipsum animaduerterant, moribus præfuisse. quod si illud iudicium putaretur, vt cæteri turpi iudicio damnati in perpetuum omni honore ac dignitate priuantur: sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset. Nunc si quem Cn. Lentuli: aut L. Gellij libertus furti condemnarit: is omnibus ornamentis amissis, nunquam vllam honestatis suæ partem recuperabit. quos autem ipse L. Gellius, & Cn. Lentulus duo Censores clarissimi viri

sapientissimiq; homines, furti, & captarum pecuniarum nomine notauerunt: non modo in Senatum redierunt, sed etiã illarum ipsarum rerũ iudicijs absoluti sunt. Neminem volucrunt maiores nostri non modò de existimatione cuiusquã, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse iudicem: nisi qui inter aduersarios conuenisset. qua propter in omnibus legibus, quibus exceptum est, de quibus causis aut magistratum capere non liceat, aut iudicem legi, aut alterum accusare, hæc ignominiæ causa prætermissa est. timoris enim causam, non vitæ pœnam in illa potestate esse voluerunt. Itaq; non solũ Iudices illud ostendam, quod iam videtis: populi Romani suffragijs sæpenumerò Censorias subscriptiones esse deletas: verum etiam iudicijs eorum, qui iurati statuere maiore cum religione & diligentia debuerunt. Primum Iudices Senatores Equitesq; Romani in compluribus iam reis, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est: sua potius religioni, quàm Censorum opinioni paruerunt. deinde Prætores vrbani, qui iurati debent optimum quenque in selectos iudices referre: nunquã sibi ad eam rem Censoriam ignominiam impedimento esse oportere duxerunt. Censores denique ipsi sæpenumerò superiorum Censorum iudicijs, si ista iudicia appellari vultis, non steterunt. atque etiam ipsi inter se Censores sua iudicia tanti esse arbitrantur: vt alter alterius iudicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat: vt alter de Senatu mouere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignum existimet: vt alter in ærarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet. Quare qui vobis in mentem venit, hæc appellare iudicia: quæ à populo Rom. rescindi, ab iuratis iudicibus repudiari, à

vi, à magistratibus negligi, ab ijs qui eandem potestatem adepti sunt, commutari, inter collegas discrepare videatis. Quæ cum ita sint, videamus quid tandem Censores de illo iudicio corrupto iudicasse dicantur. Ac primum illud statuamus: vtrum quia Censores subscripserint, ita sit: an quia ita fuerit, illi subscripserint. Si ideò quia subscripserint: videte quid agatis: ne in vnumquẽq; nostrum Censoribus in posterum potestatem regia permittatis: ne subscriptio Censoria non minus calamitatis ciuibus, quam illa acerbissima proscriptio possit afferre: ne Censorium stilum, cuius mucronem multis remedijs maiores nostri retuderunt: æquè posthac atq; illum Dictatorium gladium pertimescamus. Sin autem quod subscriptum est, quia verum est, iccirco graue debet esse: hoc quæramus, verum sit an falsum: rèmoueantur authoritatis Censoriæ: tollatur id ex causa, quod in causa non est. doce quam pecuniam Cluentius dederit: vnde dederit: quemadmodum dederit: vnum deniq; aliquod à Cluentio profectæ pecuniæ vestigium ostende. Vince deinde, virum bonum fuisse Oppianicum: hominem integrum: nihil de illo vnquam secus esse existimatum: nihil deniq; præiudicatum. tum authoritatem Censorũ amplexato: tum illorum iudicium cum re coniunctum esse defendito. dum verò eum fuisse Oppianicum constabit, qui tabulas publicas municipij sui corripuisse iudicatus sit. qui testamentũ interleuerit: q; supposita persona falsum testamentum obsignandum curarit: qui eum cuius nomine id obsignatũ est, interfecerit: qui auunculum filij sui in seruitute, ac vinculis necarit: qui municipes suos proscribendos, occidendosq; curarit: qui eius vxorem quem occiderat, in matrimoniũ duxerit: qui

pecuniã pro abortione dederit: qui ſocrum, qui vxorem, qui vno tempore fratris vxorem, ſperatosq; liberos, fratremq; ipſum, qui denique ſuos liberos interfecerit: qui cum venenum priuigno ſuo quæreret, manifeſto ſit deprehenſus: cuius miniſtris conſciisq; damnatis, ipſe adductus in iudicium, pecuniã iudici dederit ad ſententias iudicum corrũpendas: dum hæc inquã de Oppianico cõſtabunt, nec vllo argumento Cluentianæ pecuniæ crimẽ tenebitur, quid eſt, quod te iſta Cenſoria ſiue voluntas, ſiue opinio fuit, adiuuare: aut hunc innocentem opprimere poſſe videatur? quid igitur Cenſores ſecuti ſunt? ne ipſi quidem, vt grauiſſimè dicam, quicquam aliud dicent præter ſermonem atque famam, nihil ſe teſtibus, nihil tabulis, nihil graui aliquo argumento comperiſſe, nihil deniq; cauſa cognita ſtatuiſſe dicent. quod ſi ita feciſſent: tamen id non ita fixum eſſe deberet, vt conuelli non liceret. non vtar exemplorum copia: quæ ſumma eſt: non rem veterem, non hominem potentem aliquem, aut gratioſum proferam. nuper hominem tenuem ſcribam Ædilitium D. Matrinium cum defendiſſem apud M. Iunium, Q. Publicum Prætores, & M. Plætorium, C. Flaminium ædiles curules: perſuaſi, vt ſcribam iurati legerent eum, quem ydem iſti Cenſores ærarium reliquiſſent. cum enim in homine nulla culpa reperiretur: quid ille meruiſſet, non quid de eo ſtatutum eſſet, quærendum eſſe duxerunt. nam hæc quidem, quæ de iudicio corrupto ſubſcripſerint, quis eſt, qui ab illis ſatis cognita & diligenter iudicata arbitretur? in M. Aquilium, & in T. Guttam video eſſe ſubſcriptum. quid eſt hoc? duos eſſe corruptos ſolos pecunia? quid? cæteri videlicet gratis condemnarunt. non eſt igitur circumuentus,

uentus, non eſt oppreſſus pecunia: non, vt illæ Quintianæ conciones habebantur, omnes qui Oppianicum condemnarunt, in culpa ſunt, ac ſuſpicione ponendi. duos ſolos video authoritate Cenſorum affines ei turpitudini iudicari. Nam vt illud afferam, nihil eſt quod de his duobus habuerunt compertum, de cæteris comperiſſe. nam illud quidem minimè probandum eſt, ad notationes authoritatemq; cenſoriam exemplum illos à conſuetudine militari tranſtuliſſe. Statuerunt enim ita maiores noſtri: vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum: ſortitione in quoſdam animaduerteretur: vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. quod idem facere Cenſores in delectu dignitatis, & in iudicio ciuium, & in animaduerſione viciorum, qui conuenit? nam miles qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vimq; pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & ciuis vtilis. quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret: amplior ei mortis & ſupplicij metus eſt à maioribus conſtitutus. ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, iccirco illa ſortitio comparata eſt. hoc tu idem facies cenſor in Senatu legendo? ſi erunt plures qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, vt non animaduertas in omnes, ſed carpas vt velis? & paucos ex multis ad ignominiam ſortiare? habebit igitur te ſciente & vidente curia Senatorem, populus Rom. iudicem, Reſpublica ciuem ſine ignominia quenquam: qui ad perniciem innocentis fidem ſuam & religionem pecunia commutari? & qui precio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos ciui innocenti: is Cenſoriæ ſeueritatis nota non inuretur? tu es Præfectus moribus?

tu magister veteris disciplinæ & seueritatis? si aut retines quenquam sciens in Senatu scelere tanto contaminatũ: aut statuis qui in eadem culpa sit, non eadem pœna affici oportere conuenire. & quam conditionẽ supplicij maiores in bello timiditati militis propositam esse voluerunt: eandẽ tu in pace constitues improbitati Senatoris? Quod si hoc exemplum ex re militari ad animaduersionem Censoriam transferendum fuit: sortitione id ipsum factum esse oportuit: Sin autem sortiri ad pœnã, atque hominum delictum fortunæ iudicio committere, minimè Censorium est: certè in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam, & turpitudinem non oportet. Verum omnes intelligimus in iustis subscriptionibus ventum quendam popularem esse quæsitum. iactata res erat in concione à Tribuno seditioso: incognita causa probatum illud erat: multitudinem illicitum est contradicere. * nemo denig, vt defenderet contrariam partem laborabat. in inuidiam porrò magnam illa iudicia venerant. etenim paucis postea mensibus alia vehemens erat in iudicijs ex notatione tabularũ inuidia versata, prætermitti à Censoribus & negligi macula iudiciorum posse non videbatur. homines quos cæteris vitijs, atq, omni dedecore infameis videbãt: eos hac quoque subscriptione notare voluerunt: & eò magis, quod illo ipso tempore, illis Censoribus erant iudicia cum Equestri ordine communicata: vt viderentur per hominum idoneorum ignominiam sua authoritate illa iudicia cum Equestri ordine reprehendisse. Quod si hanc apud eos ipsos Censores mihi aut alij causam agere licuisset: hominibus tali prudentia certè probatissem (res enim indicat) nihil ipsos habuisse cogniti,

ti, nihil comperti: ex tota ipsa subscriptione rumorem quendam & plausum popularem esse quæsitum. nam in L. Popilium, qui Oppianicum condemnarat: subscripsit L. Gellius: quod is pecuniam accepisset, quo innocentem condemnaret. Iam id ipsum quanta diuinationis est: scire innocentem fuisse reum, quem fortasse nunquam viderat: cum homines sapientissimi Iudices (vt nihil dicam de ijs, qui condemnarunt) causa cognita sibi dixerint non liquere. Verum esto, condemnat Popilium Gellius: iudicat accepisse à Cluentio pecuniã. negat hoc Lentulus. nam Popilium, quod erat libertini filius, in Senatum non legit. locum quidem Senatorium ludis, & cætera ornamenta reliquit: & eum omni ignominia liberat, quod cum facit, iudicat eius sententia gratis esse Oppianicum condemnatum. & eundem Popilium postea Lentulus in ambitus iudicio testimonio diligentissimè laudat. Quare si neque L. Gellij iudicio stetit Lentulus: neq, Lentuli existimatione contentus fuit Gellius: & si vterque Censor Censoris opinione standum non putauit: quid est quamobrem quisquam nostrum Censorias subscriptiones omnes fixas, & in perpetuum ratas putet esse oportere? At in ipsum Habitum animaduerterunt: nullam quidem ob turpitudinem: nullum ob totius vitæ non dicam vicium, sed erratum, neque enim hoc homine sanctior, neque probior, neque in omnibus officijs retinendis diligentior esse quisquam potest neque illi aliter dicunt. sed eandem illam famam iudicij corrupti secuti sunt. neque ipsi secus existimant, quam nos existimari volumus de huius pudore, integritate, virtute. sed putarunt prætermitti accusatorem non potuisse: cum animaduer-

sum esset in Iudices. Qua de re tota si vnum factum ex omni antiquitate protulero, plura non dicam. non enim mihi exemplũ summi & clarissimi viri P. Africani pretereundum videtur. qui cum esset Censor, & in equitũ censu C. Licinius sacerdos prodyisset, clara voce, vt omnis concio audire posset, dixit se scire illum verbis conceptis peierasse. si quis contradicere vellet, vsurum esse eum suo testimonio. deinde cũ contrà nemo diceret, iussit equum traducere. Itaq; is, cuius arbitrio & populus Romanus, & exteræ gentes contentæ esse consueuerunt: ipse sua conscientia ad ignominiã alterius contentus non fuit. quod si hoc Habito facere licuisset, facilè illis ipsis iudicibus, & falsæ suspicioni, & inuidiæ populariter excitatæ restitisset. Vnum etiam est: quod me maximè conturbat: cui loco respondere posse vix videor: quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatij patris, hominis honestissimi videlicet, & sapientissimi: iccirco se exhæredasse filium, quod is ad Oppianici damnationem pecuniã accepisset. De cuius hominis leuitate, & inconstantia plura non dicam. hoc testamentum ipsum, quod recitas, eiusmodi est: vt ille cum eum filium exhæredaret, quem oderat: ei filio cohæredes homines alienissimos coniungeret, quem diligebat. Sed tu Acti consideres censeo diligenter, vtrum Censorium iudicium graue velis esse, an Egnatij? si Egnatij: leue est quod Censores de cæteris subscripserunt. ipsum enim Cn. Egnatium, quem tu grauem esse vis, ex Senatu eiecerunt. sin autem Censorium: hunc Egnatium, quem pater censoria subscriptione exhæredauit, Censores in Senatu, cum patrem eycerent, retinuerunt, At enim Senatus vniuersus iudicauit illud corruptum esse iudiciũ. quomodo? sus-

cepit

cepit causam. an potuit rem delatam eiusmodi repudiare? cum tribunus Pl. populo concitato rem penè ad manus reuocauisset: cum viro optimus & homo innocentissimus pecunia circumuentus esse diceretur: cum inuidia flagraret ordo Senatorius, potuit nihil decerni? potuit illa concitatio multitudinis sine summo periculo Reip. repudiari? at quid est decretum? quàm iuste? quàm sapienter? quã diligenter? SIQVIS VNT, QVORVM OPERA FACTVM SIT: VT IVDICIVM PVBLICVM CORRVMPERETVR. vtrũ videtur senatus id factum iudicare, an si factum sit, molestè grauiterq; ferre? si ipse A. Cluentius sententiam de iudicys rogaretur, aliam non diceret, atque y dixerunt, quorum sententys Cluentium condemnatum esse dicitis. sed quæro à vobis, num istam legem ex isto Senatus consulto L. Lucullus consul homo sapientissimus tulerit? num anno post, M. Lucullus & C. Cassius? in quos cum consules designatos idem illud senatus decreuerit, non tulerunt. & quod tu Habiti pecunia factum esse arguis, neque id vlla tenuissima suspicione confirmas: factum est primò illorum æquitate, & sapientia consulum: vt id quod senatus decreuerat ad illud inuidiæ præsens incendium restinguendum, id postea referendum ad populum non arbitrarentur. ipse deinde populus Ro. qui L. Quintij tribuni Pl. fictis querimonys antea concitatus, rem illam & rogationem flagitarat: idem C. Iunij filij pueri paruuli lachrymis commotus, maximo clamore, & concursu totam illam legem & quæstionem repudiauit. ex quo intelligi potuit id, quod sæpe dictũ est: vt mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atq; turbari: sic & po-

pulum

pulum R. ſuaſponte eſſe pacatum, hominum ſeditioſo-
rum vocibus vt violentiſſimis tempeſtatibus concitari.
Eſt etiã reliqua, permagna authoritas, quam ego turpi-
ter penè prætery: mea enim eſſe dicitur. Recitauit ex ora
tione neſcio qua Actius, quam meã eſſe dicebat: cohor-
tatione quandam iudicum ad honeſtè iudicandum, &
cõmemorationem tum illorum iudiciorum, quæ proba-
ta nõ eſſent: tũ illius ipſius Iudicij Iuniani. perinde quaſi
ego non ab initio huius defenſionis dixerim, inuidioſum
illud fuiſſe iudicium: aut cum de infamia iudiciorum
quæ probata non eſſent diſputarem: potuerim illud, quod
tam populare eſſet, in illo tempore præterire. Ego verò ſi
quid eiuſmodi dixi: neq; cognitum cõmemoraui: neque
pro teſtimonio dixi: & illa oratio potius temporis mei,
quàm iudicij & authoritatis fuit. Cum enim accuſa-
rem, & mihi initio propoſuiſſem, vt animos & populi
Ro. & iudicum commouerem: cumq; omneis offenſio-
nes iudiciorum non ex mea opinione, ſed ex hominum
rumore proferrem: iſtam rem, quæ tam populariter eſſet
agitata: prætерire non potui. Sed errat vehementer, ſi
quis in orationibus noſtris, quas in iudicijs habuimus,
authoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur.
omnes enim illæ orationes cauſarum, & temporum ſunt,
non hominum ipſorum, ac patronorum. nam ſi cauſa
ipſa pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet oratorem. nunc
adhibemur: vt ea dicamus: non quæ noſtra authoritate
conſtituantur: ſed quæ ex re ipſa cauſaq; ducantur. Ho-
minem ingenioſum M. Antonium aiunt ſolitum eſſe di-
cere: iccirco ſe nullam vnquam orationem ſcripſiſſe:
vt ſi quid aliquando non opus eſſet ab ſe eſſe dictum:
poſſet ſe negare dixiſſe. perinde quaſi quidà nobis di-
ctum,

ctum, aut actum ſit, id niſi literis mandauerimus, ho-
minum memoria non comprehendatur. Ego verò in iſto
genere libentius cum multorum, tum hominis eloquen-
tiſſimi & ſapientiſſimi L. Craſſi authoritatem ſequor.
qui cum L. Plancium defenderet accuſante M. Bruto,
homine in dicendo vehementi, & callido: cũ Brutus duo
bus recitatoribus conſtitutis, ex duabus eius oratioui-
bus capita alterna inter ſe contraria recitanda curaſ-
ſet: quod in diſſuaſione rogationis eius, quæ contra colo-
niam Narbonenſem ferebatur, quantum poteſt, de au-
thoritate ſenatus detrahit: in ſuaſione legis Seruiliæ
ſummis ornat ſenatum laudibus: & multa in equi-
tes Ro. cum ex ea oratione aſperius dicta recitaſſet: quo
animi illorum iudicum in (ra)ſſum incenderentur: ali-
quantum eſſe commotus dicitur. itaque in reſpondendo
primum expoſuit vtriuſq; rationem temporis: vt oratio
ex re, & cauſa habita videretur. deinde vt intelligere
poſſet Brutus, quem hominem, & non ſolum qua elo-
quentia, verum etiam quo lepore, & quibus facetijs
præditum laceſſiſſet: ires & ipſe excitauit recitatores
cum ſingulis libellis: quos M. Brutus pater illius ac-
cuſatoris de iure ciuili reliquit. eorum initia cum recita-
rentur, ea quæ vobis nota eſſe arbitror: fortè euenit,
vt ruri in Priuernate eſſemus, ego & Brutus filius. fun-
dum Priuernatem flagitabat, in Albano eramus, ego &
Brutus filius: Albanum poſcebat, in Tyburti fortè cum
aſſediſſemus: Tyburtinum fundum requirebat. Bru-
tum autem hominem ſapientem, quod filij nequitiam
videret: quæ prædia ei relinqueret, teſtificari dicebat
voluiſſe. quod ſi potuiſſet honeſtè ſcribere, ſe in balneis
cum id ætatis filio fuiſſe: non præteriiſſet. eas ſe tamen

ab eo

ab eo balneas non ex libris patris, sed ex tabulis & ex censu quærere. Crassus tum ita Brutum vltus est, vt illum recitationis suæ pœniteret. molestè enim fortasse tulerat, se in his orationibus reprehensum, quas de Rep. habuisset, in quibus forsitan magis requiratur constantia. Ego autem illa recitata non molestè fero. neq; enim ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea causa, quæ tum agebatur, aliena fuerunt. neq; mihi quicquam oneris suscepi, cum ista dixi, quo minus honestè hanc causam, & liberè possem defendere. Quod si velim confiteri me causam A. Cluentij nunc cognoscere, antea fuisse in illa opinione populari, quis tandem id possit reprehendere? præsertim Iudices cum à vobis quoq; ipsis hoc impetrari sit æquissimum, quod ego & ab initio petiui, & nunc peto: vt si quam huc grauiorem de illo iudicio opinionem attulistis, hanc, causa perspecta, atque omni veritate cognita, deponatis. Nunc quoniam ad omnia, quæ abs te dicta sunt T. Actli de Oppianici damnatione respondi: confiteare necesse est, te opinionem multum fefellisse: quod existimaris me causam A. Cluentij non facto eius, sed lege defensurum. nam hoc persæpe dixisti, tibi sic renunciari, me habere in animo causam hanc præsidio legis defendere. ita ne est? ab amicis videlicet imprudentes prodimur: & est nescio quis de his, quos amicos nobis arbitramur, qui nostra consilia ad aduersarios deferat. quis nam tibi hoc renunciauit? quis tam improbus fuit? cui ego autem narraui? nemo vt opinor inculpa est: sed nimirum tibi istuc lex ipsa renunciauit. sed num tibi ita defendisse videor, vt tota in causa mentionem nullam fecerim legis? num secus hanc causam

causam defendisse: ac si lege Habitus teneretur? certè vt hominem confirmare oportet, nullus est locus à me purgandi istius inuidiosi criminis prætermissus. quid ergo est? quæret fortasse quispiam, displiceat ne mihi legum præsidio à capite periculum propulsare? mihi vero iudices non displicet. sed vtor instituto meo in hominis honesti prudentisq; iudicio. non solum meo consilio vti consueui: sed multum etiam eius quem defendo & consilio & voluntati obtempero. nam vt hæc ad me causa delata est, qui leges eas ad quas adhibemur: & in quibus versamur, nosse deberem: dixi Habito statim, de eo qui coisset, quo quis condemnaretur, illum esse liberum. teneri autem nostrum ordinem. atq; ille me orare & obsecrare cœpit: vt ne sese lege defenderem. cum ego quæ mihi viderentur, dicerem: traduxit me ad suam sententiam. affirmabat enim lachrymans non se cupidiorem esse ciuitatis retinendæ, quàm existimationis. morem homini gessi: & tamen iccirco feci (neq; enim id semper facere debemus) quod videbam per se ipsam causam copiosissimè sine lege posse defendi. videbam in hac defensione, qua iam sum vsus, plus dignitatis, in illa, qua me hic vti noluit, minus laboris futurum. quod si nihil aliud esset actum, nisi vt hanc causam obtinerem: lege recitata perorassem. neq; me illa oratio commoueret, quod ait Actius, indignum esse facinus, si Senator iudicio quenquã circumuenerit, legibus eum teneri: si eques Ro. hoc idem fecerit, non teneri. vt tibi concedam hoc indigniũ esse (quod cuiusmodi sit, iam videro) tu mihi cõcedas necesse est: multo esse indignius: in ea ciuitate, quæ legibus contineatur, discedi à legibus. hoc enim vinculũ est huius dignitatis, qua fruimur in Republica: hoc fundamentum

damentum libertatis: hic fons æquitatis. mens, & animus, & consilium, & sententia ciuitatis posita est in legibus, vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus, & neruis, ac sanguine, & membris vti non potest. legum ministri magistratus: legum interpretes Iudices: legum denique iccirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. quid est Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi Iudices tali dignitate præditi coërceantur? vos autem Iudices quamobrem ex tanta multitudine ciuium tam pauci de hominum fortunis sententiam fertis? quo iure Actius quæ voluit dixit? cur mihi tam diu potestas dicendi datur? quid sibi autem ille scribæ? quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video: volunt? opinor hæc omnia lege fieri: totumque hoc iudicium, vt antea dixi, quasi mente quadam regi legis, & administrari. quid ergo est? hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Plætory, & C. Flaminij inter sicarios? quid C. Orchinij peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? Quid C. Aquilij, apud quem nunc de ambitu causa dicitur? quid reliquæ quæstiones? circumspicite omnes Reip. partes: omnia legum imperio, & præscripto fieri videbitis. Si quis apud me, te T. Actî reum velit facere: clames te lege pecuniarum repetundarum non teneri: neque hæc tua recusatio confessio sit captæ pecuniæ: sed laboris, sed periculi non legitimi declinatio. nunc quid agatur, et quid abs te iuris constituatur, vide. iubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est: iudicem quæstionis, hoc est Q. Voconium cum vs iudicibus, qui ei obuenerint (vos appellat Iudices) quærere de veneno. in quem quærere? infinitum est. quicunque fecerit, vendiderit, emerit,

diderit, emerit, habuerit, dederit. quid eadem lex statim adiungit? recita. DEQVE EIVS CAPITE QVÆRITO: cuius? qui coierit? conuenerit? non ita est. quid ergò est? dic. QVI TRIBVNVS MILITVM LEGIONIBVS QVATVOR PRIMIS, QVIVE QVÆSTORES, TRIBVNI PL. deinceps omnis magistratus nominauit. QVIVE In SENATV SENTENTIAM DIXIT, DIXERIT. Quid tum? QVI EORVM COIT, COIERIT: CONVENIT, CONVENERIT: QVO QVIS IVDICIO PVBLICO CONDEMNARETVR. Qui eorum? quorum? videlicet, qui suprà scripti sunt. quid interest vtro modo scriptum sit? & si est apertum, tamen ipsa lex docet. vbi enim omnes mortales alligat: ita loquitur. QVI VENENVM MALVM FECIT, FECERIT. omnes viri, mulieres, liberi, serui in iudicium vocentur. si item de coitione voluisset, adiunxisset: qui ue coierit. Nunc ita est. DEQVE EIVS CAPITE QVÆRITO. QVI MAGISTRATVM HABVERIT: QVIVE IN SENATV SENTENTIAM DIXERIT. QVI EORVM COIT, COIERIT. Num is est Cluentius? certè non est. quis ergò est Cluentius? qui tamen defendi causam suam lege nolit. itaque abycio legem: morem Cluentio gero: tibi tamen Actî pauca, quæ ab huius causa seiuncta sint, respondebo. est enim quiddam in hac causa, quod Cluentius ad se: est aliquid, quod ego ad me putem pertinere. hic sua putat interesse, se re ipsa, & gesto negocio, non lege defendi. ego autem mea existimo interesse: me nulla disputatione ab Actio v.-

deri esse superatum, non enim mihi hæc causa sola dicenda est: omnibus hic labor meus propositus est, quicunque hac facultate defensionis contenti esse possunt. nolo quenquam eorum, qui adsunt, existimare, me, quæ de lege ab Actio dicta sunt, si reticuerim, comprobare. quamobrem Cluenti de te tibi obsequor: neq; ego legem recito, neque hoc loco pro te dico: sed ea quæ à me desiderari arbitror, non relinquam. iniquum tibi videtur Actii esse: non iisdem legibus omnes teneri. Primum, vt id iniquissimum esse confitear, huiusmodi est: vt commutatis eis opus sit legibus: non vt iis quæ sunt, non pareamus. Deinde quis vnquam hoc Senator accusauit? vt cum altiorem gradum dignitatis, beneficio populi Rom. esset consecutus: eo se putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere? quam multa sunt commoda, quibus caremus: quàm multa molesta, ac difficilia, quæ subimus. atque hæc omnia tantum honoris & amplitudinis cõmodis compensantur. Conuerte nunc ad equestrẽ ordinem atq; in cæteros ordines: eadem vitæ conditiones nõ perferent. putant enim minus multos sibi laqueos legum, & conditionum, ac iudiciorum propositos esse oportere: qui in summum locum ciuitatis aut non potuerunt ascendere, aut non petiuerunt. Atq; vt omittam leges alias omnes, quibus nos tenemur: cæteri autem sunt ordines liberati: hanc ipsam legẽ, ne quis iudicio circumueniretur, C. Gracchus tulit eam legẽ pro plebe, non in plebem tulit. postea L. Sylla homo à populi causa remotissimus, tamen cum eius rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore iudicatis: populũ Ro. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nouo quæstionis genere ausus non est. Quod si fieri posse existimasset: pro illo odio, quod habuit in equestrẽ ordinem: nihil fecisset libentius, q̃ omnem illam acerbitatem proscriptionis suæ, quæstus in veteres iudices, in hanc vnam quæstionem contulisset. Nec nunc quicquam agitur, mihi credite iudices: & prospicite id, quod prouidendũ est: nisi vt Equester ordo in huiusce legis periculum includatur. Neq; hoc agitur ab omnibus, sed à paucis: nam ij Senatores, qui se facilè tuentur integritate & innocentia: quales, vt verè dicam, vos estis, & cæteri, qui sine cupiditate vixerũt: Equites ordini Senatorio dignitate proximos, cõcordia coniunctissimos esse cupiunt. sed ij, qui se volunt posse omnia: neq; præterea quicquam esse aut in homine vllo, aut in ordine: hoc vno metu se putant equites Ro. in potestate sua redacturos: si constitutum est, vt de iis q̃ rem iudicarent, huiusce modi iudicia fieri possint. Vident enim authoritatẽ huius ordinis confirmari: vident iudicia comprobari. hoc metu proposito, euellere se aculeum seueritatis vestræ posse confidunt. quis enim de homine audeat, paulò maioribus opibus prædito, verè, & fortiter iudicare? cum videat, sibi, de eo, quod coierit, aut consenserit, causam esse dicendam? O viros fortes equites Ro. qui homini clarissimo, ac potentissimo M. Druso Tribuno ple. restiterunt: cum ille nihil aliud ageret: q̃ vt illa cuncta, quæ tum erant nobilitatis, nisi vtiq; rem iudicassent, huiusce modi quæstionibus in iudicium vocarentur. tunc C. Flauius Pusio, Cn. Titinnius, C. Mecœnas, illa robora populi Ro. cæteriq; huiusce modi ordinis non fecerunt idem, quod nunc Cluentius: vt aliquid culpæ suscipere se putarent, recusando: sed apertissimè repugnarunt. Cum hæc recusarent, & palam fortissimè, atque honestissimè dicerent: se potuisse

iudicio populi Ro. in amplissimum locum peruenire: si sua studia ad honores petendos conferre voluissent. sese vidisse in ea vita qualis splendor inesset, quanta ornamenta, quæ dignitas: quæ se non contempsisse, sed ordini suo patrumq; suorum contentos fuisse: & vitam illam tranquillam, & quietam, remotam à procellis inuidiarum, & huiuscemodi iudiciorum anfractu sequi maluisse. aut sibi ad honores petendos ætatem integram restitui oportere: aut, quoniam id non posset, eam conditionem vitæ, quàm secuti petitionem reliquissent, manere. iniquum esse, eos qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent: populi beneficio esse priuatos: iudiciorum honorum periculis non carere. Senatorem hoc queri non posse: propterea, quod ea conditione proposita petere cœpisset: quodq; permulta essent ornamenta: quibus eam mitigare molestiã posset: locus, authoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomẽ, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ: quibus in rebus, cum summum recte factis maiores nostri præmium, tum plura peccatis pericula proposita esse voluerunt. Illi non hoc recusabant, ea ne lege accusarentur, qua nunc Habitus accusatur: quæ tunc erat Sempronia, nunc est Cornelia. intelligebant enim, ea lege Equestrem ordinẽ non teneri: sed ne noua lege alligarentur, laborabant. Habitus ne hoc quidem vnquam recusauit: quominus vel ea lege rationem vitæ suæ redderet, qua non teneretur. quæ si vobis conditio placet: omnes id agamus, vt hæc quamprimum in omneis ordines quæstio perferatur. Interea quidem per deos immortales quoniam omnia commoda nostra, iura, libertatem, salutem denique legibus obti-

obtinemus, à legibus non recedamus. simul & illud quã sit indignum cogitemus: populum Ro. aliud nunc agere: vobis Remp. & fortunas suas commisisse: sine cura esse: non metuere, ne lege ea, quam nunquam ipse iusserit: & quæstione, qua se solutum liberumq; esse arbitraretur, per paucos iudices astringatur. Agit enim sic causam T. Aelius, adolescens bonus, et disertus: omneis ciues legibus teneri omnibus: vos attenditis, & auditis silentio, sicut facere debetis. A. Cluentius eques Ro. causam dicit ea lege: qua lege Senatores, & hi qui magistratum habuerunt soli tenentur. mihi per eum recusare, & in arce legis præsidia constituere defensionis meæ non licet. si obtinuerit causam Cluentius, sicuti vestra æquitate nixi confidimus, omnes existimabunt, id quod erit, obtinuisse propter innocentiam: quoniam ita defensus sit: in lege autem, quam attingere noluerit præsidij nihil fuisse. Hìc nunc est quiddam, quod ad me pertineat, de quo antè dixi: quod ego populo Ro. præstare debeam. quoniam is meæ vitæ status est: vt omnis mihi cura atq; opera posita sit in omnium periculis defendendis. video quanta, & quam periculosa, & quàm infinita quæstio tentetur ab accusatoribus: cum eam legem, quæ in nostrum ordinem scripta sit: in populum Ro. transferre conentur. qua in lege est. QVI COIERIT: quod quàm latè pateat, videtis. CONVENERIT: æquè infinitum, & incertum est. CONSENSERIT. hoc verò cum incertum & infinitum, tum obscurum, & occultum est. FALSVM' VE TESTIMONIVM DIXERIT. quis de plebe Romana testimonium dixit vnquam: cui non hoc periculum. T. Aelio authore paratum esse videatis? nam dictum quidem

certè, si hoc iudicium plebi Romanæ propositum sit, neminem vnquam esse confirmo. sed hoc polliceor omnibus: si cui fortè hac lege negocium facessetur, qui lege non teneatur: si is vti me defensore voluerit: me eius causam legis præsidio defensurũ: & vel his iudicibus, vel eorum similibus facilè probaturum: & omni me defensione vsurum esse legis, qua nunc, vt vtar, ab eo cuius voluntati mihi obtemperandum est, non conceditur. non enim debeo dubitare Iudices: quin si qua ad vos causa huiusmodi delata sit eius, qui lege non teneatur: etiamsi is inuidiosius, aut multis offensus esse videatur: etiam si eum oderitis: etiamsi inuiti absoluturi sitis: tamen absoluatis: & religioni potius vestræ, quàm odio pareatis. EST ENIM SAPIENTIS iudicis cogitare tantum sibi à populo Romano esse permissum: quantum commissum, & creditum sit: & non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse, posse, quem oderit, absoluere: quem non oderit, condemnare: & semper nõ quid ipse velit, sed quid lex & religio cogat, cogitare: animaduertere qua lege reus citetur: de quo reo cognoscat: quæ res in quæstione versetur. cum hæc sunt videnda: tum verò illud est hominis magni Iudicis atque sapientis: cum illam iudicandi causa tabellam sumpserit: non se putare esse solum, neque sibi quodcunq; concupierit, licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metũ, cupiditatesq; omneis amouere: maximeq; existimare, conscientiam mentis suæ, quam ab dijs immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non potest: quæ si optimorum consiliorum, atque factorum testis in omni vita nobis erit: sine vllo metu, & summa

ma cum honestate viuemus. Hæc si T. Ælius cognouisset, aut cogitasset: profectò ne conatus quidem esset dicere, id quod multis verbis egit: iudicem quod ei videatur, statuere: & non deuinctũ legibus esse oportere. quibus de rebus mihi pro Cluenty voluntate nimium, pro Reip. dignitate parum, pro vestra prudentia, satis dixisse videor. Reliqua perpauca sunt: quæ, quia vestræ quæstionis erant: iccircò illi statuerunt sibi non fugiẽda esse, & proferenda: ne omnium turpissimi reperiantur: si in iudiciũ nihil, præter inuidiam attulissent. Atque vt existimet is necessariò me de his rebus, de quibus iam dixerim, pluribus egisse verbis: attendite reliqua. profectò intelligetis, ea, quæ paucis demonstrari potuerunt, breuissimè esse defensa. Cn. Decio Samniti, ei, qui proscriptus est: iniuriam in calamitate eius ab huius familia factã esse dixistis. ab nullo ille liberalius, quàm à Cluentio tractatus est. huius illum opes in rebus eius incommodis subleuarunt. atque hoc cum ipse, tum omnes eius amici necessarij q; cognorunt. Ancarij & Paceni pastoribus, huius villicum vim, & manus attulisse. cum quadam in collibus, vt solet, controuersia pastorum esset orta. Habiti villici rem domini, & priuatam possessionem defenderunt. cum esset expostulatio facta: causa illis demonstrata, sine iudicio controuersiaq; discessum est. P. Ælij testamento propinquus exhæredatus cum esset: hæres hic alienior institutus est. P. Ælius Habiti meritò fecit: neque hic in testamento faciendo interfuit: idq; testamentum ab huius inimico Oppianico est obsignatum. Florio legatum ex testamento inficiatum esse. non est ita: sed cum HS XXX scripta essent,

pro HSCCC, neq; ei satis cautum videretur: voluit ẽ aliquid acceptum referre liberalitati suæ. primò debere negauit: post sine controuersia sõluit. Cn. cuiusdam Sa-minitis uxorem post bellum ab hoc esse repetitã. mulierẽ cum emisset de sectoribus: quo tempore eam primum li-beram esse audiuit: sine iudicio reddidit Cn. Cœlio. Ennium esse quendam, cuius bona teneat Habitus. Est hic Ennius egens quidam calumniator, mercenarius Oppianici, qui permultos annos quieuit. deinde aliquã-do cũ seruo Habiti furti egit: nuper ab ipso Habito pete-re cœpit hic illo priuato iudicio, mihi credite, nobis ip-sis fortasse patronis calumniã non effugiet. Atq; etiã, ut nobis renunciatur, hominem multorum hospitũ, A. Binnium quendam coponem de via Latina, sũborna-tis: qui sibi à Cluentio seruisq; eius in taberna sua ma-nus allatas esse dicat. quo de homine nihil etiã nunc dice re nobis est necesse. si inuitauerit, id quod sõlet: sic homi-nẽ accipiemus, ut molestè ferat, se de via decessisse. Ha-betis Iudices quæ in totam vitam de moribus A. Clu-enty, quem illi inuidiosum reum volunt esse: annos octo meditati accusatores collegerunt: quàm leuia genere ipso, quàm falsa re, quàm breuia responsu. Cognoscite nunc id, quod ad vestrum iusiurandum pertinet: quod vestri iudicij est: quod vobis oneris imposuit ea lex, qua coa-cti huc cõuenistis de criminibus veneni: ut omneis intel-ligant, quã paucis verbis hæc causa perorari potuerit: & quã multa à me dicta sint: quæ ad huius voluntatẽ ma-ximè, ad vestrum iudicium minimè pertinerent. Obie-ctũ est C. Vibium Capacem ab hoc A. Cluentio veneno esse sublatũ. Opportunè adest homo summa fide & omni

virtute

virtute præditus, L. Plætorius Senator: qui illius Capa-cis hospes fuit, & familiaris. apud hunc ille Romæ habi-tauit: apud hunc ægrotauit: huius domi est mortuus. haud hæres est Cluentius: intestatum dico esse mortuũ. possessionemq; eius bonorum Prætoris edicto huic illius fratris filio adolescenti pudentissimo, & in primis ho-nesto equiti R. datam, Numerio Cluentio, quem vide-tis. Alterum veneficij crimen: Oppianico huic adole-scenti, cum eius in nuptijs more Larinatium multitudo hominum prandaret: venenum Habiti consilio paratũ. id cum daretur in mulso, Balbutium quendam eius fa-miliarem intercepisse, bibisse, statimq; esse mortuũ. Hoc ego si sic agerem, tanquam mihi crimen esset diluen-dum: hæc pluribus verbis dicerem, quæ nunc paucis per-curri: oratio mea. Quid vnquam habitus in se admi-sit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere vide-atur? quid autem magnopere Oppianicum metuebat? cum ille verbum omnino in hac ipsa causa nullum fa-cere potuerit: huic autem accusatores matre viua deesse non possent, quod iam intelligetis. an ut de causa eius periculi nihil decederet? ad causam nouum crimen ac-cederet? quod autem tempus veneni dandi, illo die? in illa frequentia? per quem porrò datum? vnde sumptum? quæ deinde interceptio poculi? cur non de integro au-tem datum? multa sunt, quæ dici possunt. sed non com mittam, ut videar non dicendo voluisse dicere. res enim iam se ipsa defendat. Nego illum adolescentem, quem statim epoto poculo mortuũ esse dixistis, omnino illo die esse mortuum. magnum & impudens mendacium. per-spicite cætera. dico illum, cum ad illud prandium cru-dior venisset: & ut ætas illa fert, sibi tum non peper-

ciſſet: aliquot dies ægrotaſſe: & ita eſſe mortuum. quis huic rei teſtis eſt? idem qui ſui luctus, pater. pater inquam illius adoleſcentis, quem propter animi dolorem pertenuis ſuſpicio potuiſſet ex illo loco teſtem in A. Cluentium cõſtituere, is hunc ſuo teſtimonio ſubleuat: quod recita. tu autem niſi moleſtum eſt: paulliſper exurge, & perfer hunc dolorem commemorationis neceſſariæ: in qua ego dutius non morabor: quoniam quod fuit viri optimi, feciſti: vt ne cui innocenti mœror tuus calamitatem, & falſum crimen afferret. Vnum etiam mihi reliquum eiuſmodi crimen eſt Iudices: ex quo illud perſpicere poſſitis, quod à me initio orationis meæ dictum eſt: quicquid mali per hos annos A. Cluentius viderit, quicquid hoc tempore habeat ſollicitudinis, ac negocij: id omne à matre eſſe cõflatum. Oppianicum veneno necatũ eſſe, quod ei datũ ſit in pane per M. Aſellium quendam familiarem illius, idq; Habiti conſilio factũ eſſe, dicitis. In quo primum illud quæro: quæ cauſa Habito fuerit: cur interficere Oppianicum vellet. Inimicitias enim inter ipſos fuiſſe confiteor: ſed homines, inimicos ſuos morte afficiunt volunt, vel quod metuunt, vel quod oderũt. quo tandem igitur Habitus metu adductus tantũ in ſe facinus ſuſcipere conatus eſt? quid erat quod iam Oppianicũ pœna affectum, pro maleficijs, eiectum è ciuitate quisquam timeret? quid metuebat? vt oppugnaretur à perdito? an ne accuſaretur à condẽnato? an ne exulis teſtimonio læderetur? Sin autem quod oderat Habitus, iccirco illũ vita frui noluit: adeò ne erat ſtultus? vt illam, quam ille viuebat, vitã eſſe arbitraretur? damnati, exulis, deſerti ab omnibus: quem propter animi importunitatem

nemo

nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo reſpicere vellet. huius igitur vitæ Habitus inuidebat? hũc ſi acerbè & penitus oderat, non eam quã diutiſſimè viuere velle debebat? huic mortẽ maturabat inimicus: quod illi vnum in malis perfugiũ erat calamitatis? qui ſi quid animi ac virtutis habuiſſet, vt multi ſæpe fortes viri in eiuſmodi dolore, mortem ſibi ipſe conſciſſet. huic quamobrem id vellet inimicus offerre, quod ipſe ſibi optare deberet? nam nunc quidẽ quid tandem illi mali mors attulit? niſi fortè ineptijs, ac fabulis ducimur: vt exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre: ac plures illic offendiſſe inimicos, quàm hic reliquiſſe: à ſocrus, ab vxorum, à fratris, à liberũ pœnis actum eſſe præcipitem in ſceleratorum ſedẽ atq; regionem. quæ ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt: quid ei tandem aliud mors eripuit, præter ſenſum doloris? Agè verò venenum per quem datum? per M. Aſellium. quid huic cum Habito? nihil. atq; adeo, quod ille Oppianico familiariſſimè eſt vſus, potius etiam contra ſimultias. ei ne igitur, quem ſibi offenſiorem, Oppianico familiariſſimum ſciebat eſſe potiſſimũ & ſuum ſcelus, & illius periculũ committebat? cur deinde tu, q; pietate ad accuſandũ excitatus es: hũc Aſelliũ eſſe inultũ tam diu ſinis? cur non Habiti exemplo vſus es? vt per illũ, qui attuliſſe venenum, de hoc præiudicaretur? iã verò illud q; non probabile, quã inuſitatũ Iudices, q; nouum? in pane datum venenũ. facilius ne potuit, q; in poculo? latẽtius potuit abditũ aliquain parte panis, q; ſi totũ colliquefactũ in potione eſſet? celerius potuit comeſum, q; epotũ, in venas, atq; in omneis partes corporis pmanare? facilius fallere in pane. ſi eſſet animaduerſum, q; in poculo: cum ita confuſum eſſet, vt ſecerni nullo modo

poſſet?

posset? at repentina morte perijt. quod si esset ita factum: tamen ea res propter multorum eiusmodi mortem, satis firmam veneni suspicionem non haberet si esset suspicio sum: tamen ad alios potius quàm ad Habitum pertineret. verum in eo ipso homines impudentissimè mentiuntur. id vt intelligatis, & mortem eius, & quemadmodum post mortem in Habitum sit crimen à matre quæsitum, cognoscite. Cum vagus & exul erraret, atq; vndiq; exclusus Oppianicus in Falernum se ad C. Quintilium contulisset: ibi primum in morbum incidit: ac satis vehementer, diuq; ægrotauit. cum esset vna Sassia: & Statio Albio quodam colono homine valente, qui simul esse solebat, familiarius vteretur: quàm vir dissolutissimus incolumi fortuna pati posset: & ius illud matrimonij castum, atque legitimum damnatione viri sublatũ arbitraretur: Nicostratus quidã fidelis Oppianici seruulus percurio sus, & minimè mendax multa dicitur renunciare domino solitus esse. Interea Oppianicus cum iam conualesceret: neque in Falerno improbitatem coloni diutius ferre posset: & huc ad vrbem profectus esset: solebat enim extra portam aliquid habere conducti: cecidisse ex equo dicitur: & homo infirma valetudine latus offendisse vehementer: & posteaquàm ad vrbem cum febri venerit: paucis diebus esse mortuus. mortis ratio Iudices eiusmodi est: vt nihil habeat suspicionis: aut si quid habet, id intra parietes in domestico scelere versetur. Post mortem eius Sassia statim moliri nefaria mulier cœpit insidias filio: quæstionem habere de viri morte constituit: emit de A. Rupilio, quo erat vsus Oppianicus medico, Stratonem quendam: quasi vt idem faceret, quod Habitus

bitus in emendo Diogene fecerat. de hoc Stratone, & de assecla quodam seruo suo quæsituram esse dixit. præterea seruum illum Nicostratum, quem nimium loquacem fuisse, ac nimium domino fidelem arbitrabatur: ab hoc adolescente Oppianico in quæstionem postulauit. Hic cum esset illo tempore puer: & illa quæstio de patris sui morte constituti diceretur: & si illum seruum & sibi beneuolum esse, & patri fuisse arbitrabatur: nihil tamen est ausus recusare. Aduocantur amici & hospites Oppianici, & ipsius mulieris, multi homines honesti, atque omnibus rebus ornati: tormentis omnibus vehementissimis quæritur. Cum essent animi seruorum, & spe, & metu tentati: vt aliquid in quæstione dicerent: tamen, vt arbitror, authoritate aduocatorum, & vi tormentorum adducti in veritate manserunt, neque se quicquam scire dixerunt. Quæstio illo die de amicorum sententia dimissa est. Satis longo interuallo post iterum aduocantur. habetur de integro quæstio: nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur, aduersarij aduocati etiam vix ferre posse. furere crudelis atque importuna mulier: sibi nequaquam vt speraſſet, ea quæ cogitasset, procedere. cum iam tortor, atque essent tormenta ipsa defessa: neque tamen illa finem facere vellet: quidam ex aduocatis, homo & honoribus Populi ornatus, & summa virtute præditus, intelligere se dixit, non id agi, vt verum inueniretur, sed vt aliquid falsi dicere cogerentur. hoc postquam cæteri comprobarunt: ex omnium sententia constitutum est, satis videri esse quæsitum. Redditur Oppianico Nicostratus: Larinum ipsa proficiscitur cum suis, mœrens, quod iam certè incolumen filium fore putabat: ad quem non modo

do verum crimen, vt sed ne ficta quidem suspicio perue-
niret: & cui non modo aperta inimicorum oppugnatio,
sed ne occultæ quidem matris insidiæ nocere potuissent.
Larinum postquàm venit, quæ à Stratone illo vene-
num antea viro suo datum sibi persuasum esse simula-
set: instructam ei continuò & ornatam Larini medici-
næ exercendæ causa tabernam dedit. vnum, alterum,
tertium annum Sassia quiescebat: vt velle atq; optare
aliquid calamitatis filio potius quàm id struere, & mo-
liri videretur. Tum interim Hortensio, Q. Metello
consulibus, vt hunc Oppianicum aliud agentem, ac ni-
hil eiusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detra-
heret: inuito despondit ei filiam suam illam, quam ex
genero susceperat: vt eum nuptijs alligatum simul, & te-
stamenti spe deuinctum possit habere in potestate. Hoc
ipso ferè tempore Strato ille medicus domi furtum fecit,
& cædem eiusmodi. Cum esset in ædibus armarium:
in quo sciret esse nummorum aliquantum, & auri: no-
ctu duos conseruos dormientes occidit: in piscinamq;
deiecit: ipse armarij fundum execuit: & sestertiorum
& auri quinque pondo abstulit, vno ex seruis puero non
grandi, conscio. furto postridie cognito, omnis suspicio in
eos seruos qui non comparebant commouebatur. Cum
exectio illa fundi in armario animaduerteretur: quæ-
rebant homines, quonã modo fieri potuisset. quidam ex
amicis Sassiæ recordatus est: se nuper in auctione qua-
dam vidisse in rebus minutis aduncam ex omni parte
dentium, & tortuosam venire serrulam: qua illud potu-
isse ita circũsecari videretur. ne multa, perquiritur à co-
actoribus, inuenitur ea serrula ad Stratonẽ peruenisse.
hoc initio suspicionis orto, & apertè insimulato Strato-
ne,

ne, puer ille conscius pertimuit: rem omnem dominæ in-
dicauit: homines in piscina inuenti sunt: Strato in vin-
cula coniectus est: atq; etiam in taberna eius nummi ne
quaquam omnes reperiuntur. constituitur quæstio de
furto. nam quid quisquam suspicari aliud potest? an hoc
dicitis armario expilato, pecunia ablata, non omni recu-
perata, occisis hominibus, institutam esse quæstionem
de morte Oppianici? cui probatis? quid est quod minus
verisimile proferre potuistis? Deinde, vt omittam cæte-
ra: triennio post mortem Oppianici de eius morte quæ-
rebatur. atq; etiam incensa odio pristino, Nicostratum
eundem illum tum sine causa in quæstionem postulauit.
Oppianicus primò recusauit. posteaquam illa, abdu-
ctura se filiam, mutaturã esse testamentũ minaretur:
mulieri crudelissimæ seruum fidelissimum, non in quæ-
stionem tulit, sed planè ad supplicium dedit. post trien-
ni um igitur agitata deniq; quæstio de viri morte habeba-
tur: & de quibus seruis habebatur? neua credores ob-
iecta: noui quidem homines in suspicione vocati sunt de
Stratone, & de Nicostrato. quid? Romæ quæsitum de
istis hominibus non erat? ita ne tandem? mulier tam non
morbo, sed scelere furiosa, cum quæstionem habuisset Ro-
mæ: cum de T. Annij, L. Rutuly, P. Saturij & cætero-
rum honestissimorum virorum sententia constituũ es-
set: satis quæsitum videri: eadem de re triennio post ijsdẽ
de hominibus, nullo adhibito, non dicam viro, ne colo-
num fortasse abfuisse dicatis. sed bono viro: in filij caput
quæstionem habere conata est. An hoc dicitis? mihi
enim venit in mentem, quid dici possit, tametsi ad-
huc non esset dictum: cum haberetur de furto quæstio,
Stratonem aliquid de veneno esse confessum. hoc vno

modo

modo Iudices sæpe multorum improbitate depressa veritas emergit: & innocentia defensio interclusa respirat: quod aut hi qui ad fraudem callidi sunt, non tantum audent quantum excogitant: aut illi quorum eminet audacia, atq; proiecta est, à consilijs malitiæ deseruntur: quod si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix vllo obsisti modo posset. vtrum furtum factum non est? at nihil clarius Larini fuit. an ad Stratonem suspicio non pertinuit? at is & ex serrula insimulatus, & à puero conscio est indicatus. an id actum non est in quærendo? quæ fuit alia igitur causa quærendi? an id quod dicendum vobis est, & quod tum Sassia dictitabat, cum de furto quæreretur: tum Strato isdem in tormentis dixit de veneno. en hoc illud est, quod antè dixit: mulier abundat audacia: consilio & ratione dificitur. nam tabellæ quæstionis plures proferuntur: quæ recitatæ, vobisq; editæ sunt, illæ ipsæ, quas tum obsignatas esse dixi. in quibus tabellis de furto litera nulla inuenitur. non venit in mentem primam orationem Stratonis conscribere de furto: post aliquid adiungere dictum de veneno. quod non percunctatione quæsitum, sed dolore expressum videretur. quæstio de furto est, veneni iam suspicione, superiore quæstione sublata: quod ipsum hæc eadem mulier indicarat. quæ vt Romæ de amicorum sententia statuerat satis esse quæsitum: postea per triennium maximè ex omnibus seruis Stratonem illum dilexerat: in honore habuerat: commodis omnibus affecerat cum igitur de furto quæreretur, & eo furto quo ille sine controuersia fecerat: tum ille de eo, quod quærebatur, verbum nullum fecit: de veneno statim dixit: de furto, si non eo loco quo debuit: ne in extrema quidem,

aut media, aut in aliqua denique parte quæstionis, verbum nullum fecit. Iam videtis illam nefariam mulierem Iudices eadem manu, qua, si detur potestas, interficere filium cupiat: hanc fictam quæstionem conscripsisse. atq; istam ipsam quæstionem dicite quis obsignauit? vnum aliquem nominate. neminem reperietis: nisi forte eiusmodi hominem: quem ego proferri malim, quàm neminem nominari. Quid ais T. Accli? tu periculum capitis, tu indicium sceleris, tu fortunas alterius literis conscriptas in iudicium afferas? neq; earum authorem literarum, neq; obsignatorem, neq; testem vllum nominabis? & quam tu pestem innocentissimo filio ex matris sinu deprompseris, hanc hi tales viri comprobabunt? Esto: in tabellis nihil est authoritatis: quid? ipsa quæstio iudicibus: quid? amicis hospitibusq; Oppianici, quos adhibuerat antea. quid? huic tandem ipsi tempori, cur non reseruata est? quid istis hominibus factum est Stratone, & Nicostrato? quæro abs te Oppianice, seruo tuo Nicostrato quid factum esse dicas? quem tu cum hunc breui tempore accusaturus esses: Romam deducere: dare potestatem indicandi: incolumem denique seruare quæstioni: seruare his iudicibus: seruare huic tempori debuisti. nam Stratonem quidem Iudices in crucem actum esse exectascitote lingua: quod nemo est Larinatium qui nesciat. timuit mulier amens non suam conscientiam, non odium municipum, non famam omnium: sed quasi non omneis eius sceleris testes essent futuri: sic metuit ne condemnaretur extrema seruuli voce morientis. Quod hoc portentum dij immortales? quod tantum monstrum in vllis locis? quod tam infestum scelus, & immane, aut vnde natum esse dicamus? Iam enim videtis profectò Iudices, non si-

ne necessarijs meæ ac maximis causis principio orationis meæ de matre dixisse. nihil est enim mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optauerit, cogitauerit, effecerit. mitto illam primam libidinis iniuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam. quæ nondum ad huiusce vitæ periculum, sed ad commune familiæ dedecus pertinebant: nihil de alteris Oppianici nuptijs queror: quarum illa cum obsides filio ab eo mortuos accepisset: tum denique in familiæ luctum atq; in priuignorum funus nupsit. prætereo quod Auriũ Melinum, cuius illa quondã socrus, paulò antè vxor fuisset: cum Oppianici esse operâ proscriptum occisumq; cognosceret: eam sibi domum sedemq; coniugij delegit: in qua quotidie superioris viri mortis indicia, & spolia fortunarum videret. illud primum queror, de illo scelere, quod nunc denique patefactum est Fabritiani veneni: quod iam tum recens suspicio sum cæteris, huic incredibile, nunc verò apertum iam omnibus ac manifestum videtur. non est profectò de illo veneno celata mater: nihil est ab Oppianico sine consilio mulieris cogitatum. quod nisi esset, certa postea deprehensa re non illa vt ab improbo viro discessisset: sed vt à crudelissimo hoste fugisset: domumq; illam in perpetuũ scelere omni affluentem reliquisset. non modò id non fecit: sed ab illo tempore nullum locum prætermisit, in quo non instrueret insidias aliquas: ac dies omnes ac noctes tota mente mater de pernicie filij cogitaret. quæ primum, vt illum confirmaret Oppianicum accusatorem filio suo. donis muliebribus, collocatione filiæ, spe hæreditatis obstrinxerit. itaq; apud cæteros nouis inter propinquos susceptis inimicitijs sæpè fieri diuortia atque affini-

affinitatum dissidia vidimus: hæc mulier satis firmum accusatorem filio suo fore neminem putauit: nisi qui in matrimonium sororem eius antè duxisset. cæteri nouis affinitatibus adducti, veteres inimicitias sæpè deponũt. illa sibi ad confirmandas inimicitias affinitatis coniunctionem pignori fore putauit. neq; in eo solũ diligens fuit, vt accusatorem filio suo compararet: sed etiam cogitauit, quibus eum rebus armaret. hinc enim illæ sollicitationes seruorum & minis, & promissis: hinc illæ infinitæ crudelissimæq; de morte Oppianici quæstiones: quibus finem aliquando non mulieris modus: sed amicorum authoritas fecit: ab eodem scelere illæ triennio post habitæ Larini quæstiones: eiusdem amentiæ falsæ conscriptiones quæstionum: ex eodem furore etiam illa conscelerata exectio linguæ: totius denique huius ab illa est & inuenta & ornata comparatio criminis. Atq; his rebus cum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset: paulisper conquirendorum & conducendorum testium causa Larini est commorata. postea autem cum appropinquare huius iudicium ei nunciatum est: confestim huc aduolauit: ne aut accusatoribus diligentia, aut pecunia testibus deesset: aut ne fortè mater hoc sibi optatissimum spectaculum huius sordium, atque luctus, & tanti squaloris amitteret. Iam verò quod iter Romam eius mulieris fuisse existimatis? quod ego propter vicinitatem Aquinatium & Venafranorum ex multis audiui, & comperi. quos concursus in his oppidis? quantos & virorum & mulierum gemitus esse factos? mulierem quandã Larino, atque illam vsq; à mari supero Romam proficisci, cum magno comitatu & pecu-

nia: quo facilius circumuenire iudicio capitis atq; opprimere filium posset? nemo erat illorum penè dicam, quin expiandũ illum locum esse arbitraretur: quacunq; illa iter fecisset: nemo, quin terram ipsam violari, quæ mater est omniũ, vestigijs conscelerate matris putaret. Itaque nullo in oppido consistendi potestas & fuit: nemo ex tot hospitibus inuentus est: qui non contagionem aspectus fugeret. noctisne potius ac solitudini, quã vlli aut vrbi, aut hospiti committebat. nunc verò quid agat, quid moliatur, quid deniq; quotidie cogitet, quem ignorare nostrum putat? quos appellarit, quibus pecuniã promiserit, quorũ fidẽ precio labefactare conata sit, tenemus. quin etiam nocturna sacrificia, quæ putat occultiora esse, sceleratasq; eius preces, & nefaria vota cognouimus: quibus illa etiam deos immortales de suo scelere testatur: neque intelligit pietate, & religione, & iustis precibus, deorum mentes, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum cæsis hostijs, posse placari. cuius ego furorem, atque crudelitatem deos immortales à suis aris atque templis aspernatos esse confido. vos Iudices, quos huic A. Cluentio quosdam alios deos ad omne vitæ tempus fortuna esse voluit: huius importunitatẽ matris à filij capite depellite. multi sæpè in iudicando peccata liberũm parentũ misericordiæ concesserunt. vos ne huius honestissimè actam vitã matris crudelitati condonetis, rogamus. præsertim cum ex altera parte totum municipium videre possitis. omnes scitote Iudices (incredibile dictu est, sed à me verissimè dicetur) omnes Larinates, qui valuerunt, venisse Romam: vt hunc studio frequentiaq; sua quantum possent, in tanto eius peri-

periculo subleuarunt. pueris illud hoc tempore & mulieribus oppidum scitote esse traditum: idq; in præsentia in communi Italiæ pace domesticis copijs esse tutum. quos tamen ipsos æquè, & eos quos præsentes videtis, huius expectatio iudicij dies noctesq; sollicitat. non illi vos de vnius municipis fortunis arbitrantur, sed de totius municipij statu, dignitate, commodisq; omnibus sententias esse laturos. summa est enim Iudices hominis in cõmunem municipij rem diligentia: in singulos municipes benignitas: in omnes homines iusticia & fides. præterea nobilitatẽ illam inter suos, locumq; à maioribus traditum sic tuetur: vt maiorum grauitatem, constantiam, gratiam, liberalitatem assequatur. Itaq; ys eum verbis publicè laudant: vt non solum testimonium suum iudiciumq; significent: verũ etiam curam animi, ac doloremẽ. quæ dum laudatio recitatur: vos quæsõ qui eam detulistis, assurgite. ex lachrymis horũ Iudices existimare potestis, omneis hæc Decuriones decreuisse lachymantes. Agè verò vicinorum quantum studium, quam incredibilis beneuolentia, quanta cura est? non illi in libellis laudationum decreta miserunt: sed homines honestissimos quos nossemus omnes, huc frequentes adesse, & hunc præsentes laudare voluerunt. Adsunt Ferentani homines nobilissimi: Marrucini item: pari dignitate Theano Appulo, atq; Luceria equites Ro. honestissimos homines laudatores videtis: Bouiano, totoq; ex Samnio cũ laudationes honestissimæ missæ sunt: tum homines amplissimi nobilissimiq; venerunt. iam qui in agro Larinati prædia, qui negocia, qui res pecuniarias habent: honesti homines, & summo splendore præditi, difficile dictu est:

quàm sint sólliciti, quàm laborent. non multi mihi ab vno sic deligi videntur: vt hic ab his vniuersis. quã non abesse ab huius iudicio L. Volusinum summo splendore hominẽ, ac virtute præditum, vellem: præsentem posse P. Heluidium Rufum equitem Ro. omniũ ornatissimum nominare: qui cum huius causã dies noctesq; vigilaret, & cum me hanc causam doceret: in morbũ grauem periculosumq; incidit, in quo tamen nõ minus de capite huius, quàm de sua vita laborat. Cn. Tudicij Senatorij viri optimi & honestissimi par studiũ & testimonio, & laudatione cognoscetis. eadem spe, sed maiore verecundia de te P. Volumui, quoniam iudex es in A. Cluentium, dicimus. & ne longum sit, omnium vicinorum. summam esse in hunc beneuolentiã confirmamus. Horũ omnium studium, curam, diligentiam, meumq; vna laborẽ, qui totam hanc causam vetere instituto sólus peroraui, vestramq; simul Iudices æquitatem, & mansuetudinem, vna mater oppugnat. at quæ mater? quã cæcam crudelitate & scelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla vnquam turpitudo retardauit: quæ vicys animi in deterrimas parteis iura hominum conuertit omnia; cuius ea stulticia est, vt eam nemo hominẽ: ea vis, vt ne mo fœminam: ea crudelitas, vt nemo matrem appellare possit. atq; etiam nomina necessitudinum, non sólum naturæ nomen & iura mutauit: vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. eò iam denique adducta est: vt sibi præter fórmam, nihil ad similitudinem hominis reseruarit. Quare Iudices si scelus odistis: prohibete aditum matris à filij sanguine: date parenti hunc incredibilem dolorem ex salute, ex victoria liberum: patiamini matrem,

trem, ne orbata filio lætetur, victam potius vestra æquitate discedere. Sin autem id quod vestra natura postulat: pudorem, bonitatẽ, virtutemq; diligitis: leuate hunc aliquando supplicem vestrum Iudices tot annos in falsa inuidia periculisq; versatum: qui nunc primũ post illam flammam aliorum facto, & cupiditate excitatam, spe vestræ æquitatis erigere animum, & paulum respirare à metu cœpit: cui posita sunt in vobis omnia. quem seruatum esse plurimi cupiunt: seruare sóli vos potestis. Orat vos Habitus Iudices, & flens obsecrat: ne se inuidiæ, quæ in iudicys valere non debet: ne matri, cuius vota & preces à vestris mentibus repudiare debetis: ne Oppianico homini nefario condemnato iam & mortuo condonetis. Quod si qua calamitas hunc in hoc iudicio afflixerit innocentem. ne iste miser Iudices, si id, quod difficile factu est: in vita remanebit: sæpè & multũ quæretur, deprehensum esse illud quondã Fabricianum venenum: quod si tum indicatum non esset, non huic æruminosissimo venenum illud fuisset: sed multorũ medicamentum laborum. postremò etiã fortassis mater exequias illius funeris prosecuta, mortem sé filij lugere simulasset: nunc verò quid erit perfectum? nisi vt huius ex medys mortis insidys vita ad luctum reseruata, mors sepulchro patris priuata esse videatur? satis diu fuit in miseriys Iudices: satis multos annos ex inuidia laborauit. nemo huic tam iniquus prater parentem fuit: cuius animum non iam expletum esse putemus. vos qui æqui estis omnibus: qui vt quisque crudelissimè oppugnatur, eum lenissimè subleuatis: conseruate A. Cluentiũ: restituite incolumen municipio: amicis, vicinis, hospitibus, quorũ

ſtudia videtis, reddite: vobis in perpetuum liberisq; veſtris obſtringite. veſtrum eſt hoc Iudices: veſtræ dignitatis: veſtræ clementiæ. rectè hoc repetitur à vobis, vt virũ optimum, atq; innocentiſſimum, plurimisq; mortalibus charum, atq; iucundiſſimum, his aliquando calamitatibus liberetis: vt omnes intelligant, in concionibus eſſe inuidiæ locum, in iudicijs veritati.

DE LEGE AGRARIA CONTRA P. SERVILIVM RVLLVM TRIBVNVM PLEBIS IN SENATV ORATIO XV.

Deſunt permulta.

quæres apertè petebatur, ea nunc occultè cuniculis oppugnatur. dicent enim Decemuiri id quod & dicitur à multis, & ſæpe dictum eſt: poſt eoſdem conſules regis Alexandrini teſtamento. regnum illud, populi. Ro. eſſe factum. dabitis igitur Alexandriam clàm petentibus ijs: quibus apertiſſimè pugnantibus reſtitiſtis? hæc per deos immortales, vtrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia? & vtrum cogitata ſapientum an optata furioſorum videntur? Videte nunc proximo capite, vt impurus helluo turbet Rempublicã: vt à maioribus noſtris poſſeſſiones relictas diſperdat, & diſſipet: vt ſit non minus in populi Ro. patrimonio nepos, quàm in ſuo, proſcribit in ſua lege, vectigalia, quæ Decemuiri vendant: hoc eſt proſcribit auctionem publicorum bonorum. agros emi vult qui diuidantur. quærit pecuniam. videlicet excogitabit aliquid, atq; afferet. nã ſuperioribus capitibus dignitas populi Ro. violabatur:

nomen imperij in commune odium orbis terræ vocabatur: vrbes pacatæ, agri sociorum, regum status Decemuiris donabantur: nunc præsens certa pecunia numerata quæritur. expecto quid Tribunus Pl. vigilans, & acutus excogitet. veneat, inquit sylua Scantia. vtrum tandē hanc syluam in relictis possessionibus, an in Censorum pascuis inueneristi? si quid est, quod indagaris, inueneris: ex tenebris erueris, quanquam iniquum est: tamen consume sanè: quoniam commodum est: quoniam quidem tu attulisti, syluā verò tu Scantiam vendas, nobis consulibus, atq; hoc Senatu? tu vllum vectigal attingas? tu populo Ro. subsidia belli, tu ornamenta pacis eripias? tum verò hoc me inertiorem consulem iudicabo, quam illos fortissimos viros, qui apud maiores nostros fuerunt: quod, quæ vectigalia, illis consulibus, populo Ro. parta sunt: ea me consule ne retineri quidem potuisse iudicabūtur. Vendit Italiæ possessiones ex ordine omnes. sanè est in eo diligens: nullam enim prætermittit. persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam: nullum ædificium, nullos agros relinquit. audistis auctionem populi Ro. proscriptam à Tribuno plebis, constitutā in mensem Ianuarium: & credo non dubitatis, quin iccirco hæc ærarij causa non vendiderint ij, qui armis, & virtute peperierunt: vt esset quod nos largitionis causa venderemus. Videte nunc quoad fecerit iter apertius quàm antea. nam superiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, à me indicati sunt: nunc iam se ipsi indicabunt. Iubent venire agros Attaleensium atq; Olympenorum. hos populo Ro. Seruilij, fortissimi viri victoria adiunxit. deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminy, partim L. Pauli, qui Persen vicit, virtute

tute parti sunt: deinde agrum optimum, & fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummij imperio, ac felicitate ad vectigalia populi Ro. adiunctus est: post autem agros in Hispania apud Carthaginem nouam, duorum Scipionū eximia virtute possessos, tū ipsam veterem Carthaginem vendunt: quam P. Africanus nudatam tectis, ac mœnibus, siue ad notandam Carthaginensium calamitatem, siue ad testificandam nostram victoriam, siue ad oblatam aliquam religionē, ad æternam hominū memoriam consecrauit. his insignibus, atq; insulis imperij venditis, quibus ornatā vobis maiores vestri Remp. tradiderunt: iubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaq; possederit. nū obscurè videntur propè hasta præconis insectari Cn. Pompeij exercitū? qui venire iubeant eos ipsos agros: in quibus ille etiam nunc bellū gerat, atq; versetur. Hoc verò cuiusmodi est? quod eius auctionis, quā constituūt, locum sibi nullum definiunt? nam decemuiris quibus in locis ipsis videatur, vendendi potestas lege permittitur. Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi Ro. non licet. his vendere vel in vltimis terris licebit? at hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimonijs faciunt: vt in atrijs auctionarijs potius, quàm in triuijs, aut in compitis auctionentur. hic permittit sua lege Decemuiris, vt in quibus cōmodum sit tenebris, vt in qua velint solitudine, bona populi Ro. possint diuendere. Iam illa omnibus in prouincijs, regnis, liberis populis, q̄ acerba, quā formidolosa, quàm quæstuosa concursatio Decemuiralis futura sit, nō videtis? hæreditatū obeundarū causa, quibus vos legationes dedistis, qui et priuati, et priuatū ad negociū exierunt, nō maximis opibus, neq; summa

ma authoritate præditi, tamen auditis profectò quàm graues eorum aduentus ſocijs veſtris eſſe ſoleant. quamobrem quid putatis impendere hac lege omnibus gentibus terroris, & mali? cum mittantur in orbem terrarum decemuiri ſummo cum imperio, ſumma cum auaricia, infinitaq; omnium rerum cupiditate? quorũ cum aduentus graues cum faſces formidoloſi, tum verò iudicium, ac poteſtas erit non ferenda. licebit enim, quod videbitur publicũ iudicare: quod iudicarint, vendere. etiam illud, quod homines ſancti non facient: vt pecuniam accipiant, ne vendant: tamen id ijs ipſum per legem licebit. hinc vos quas ſpoliationes, quas pactiones, quam deniq; in omnibus locis nundinationẽ iuris, ac fortunarum fore putatis? etenim quod ſuperiore parte legis prefinitum fuit, Sylla, & Pompeio Conſulibus: id rurſus liberum, infinitumq; fecerunt. iubet eoſdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere: vt ydem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit: & quos ipſis libeat publicare. quo in iudicio perſpici non poteſt: vtrum ſeueritas acerbior, an benignitas quæſtuoſior ſit futura. Sunt tamen in tota lege exceptiones duæ, non tam iniquæ quàm ſuſpicioſæ. excipit in vectigali imponendo agrum Recentoricum Sicilienſem: in vendendis agris, eos agros, de quibus cautum ſit fœdere. hi ſunt in Africa, qui ab Hyempſale poſſidentur. Hic quæro, ſi Hyempſali ſatis eſt cautum fœdere, & Recentoricus ager priuatus eſt: quid attinuerit excipi? ſin & fœdus illud habet aliquam dubitationem: & ager Recentoricus dicitur nonnunquam eſſe publicus: quem putet exiſtimaturum duas cauſas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret? Nunc quisnam

quisnam tam abſtruſus vſquã nummus videtur: quem non architecti huiuſce legis olfecerint? prouincias, ciuitates liberas, ſocios, amicos, reges deniq; exhauriunt: admouent manus vectigalibus populi Romani: non eſt ſatis. audite vos qui amplißimo populi, ſenatusq; iudicio exercitus habuiſtis, et bella geſſiſtis. quod ad quenq; peruenit, peruenerit ex præda, ex manubijs, ex auro coronario. quod neq; conſumptum in monumento, neque in ærarium relatũ ſit: id ad Decemuiros referri iubet. hoc capite multa ſperant in omneis imperatores, hæredesq; eorum, quæſtionem ſuo iudicio comparant. ſed maximã pecuniam ſe à Fauſto ablaturos arbitrantur. quam cauſam ſuſcipere iurati Iudices noluerunt: hanc ipſi Decemuiri ſuſcipere. iccirco à iudicibus fortaſſe prætermiſſam eſſe arbitrantur: quod ſit ipſis reſeruata. deinde etiam in reliquũ tempus diligentißimè ſancit: vt quod quisq; imperator habeat pecuniæ, protinus ad Decemuiros deferat. hic tamen excipit Pompeium: ſimillimè vt mihi videtur, atq; in illa lege, qua peregrini Roma eiciuntur: Glaucippus excipitur. non enim hac exceptione vſus afficitur beneficio: ſed vnus priuatur iniuria. Sed cui manubias remittit, huius vectigalia inuadit. iubet enim pecuniam, ſi qua poſt nos conſules ex nouis vectigalibus recipiatur: hac vti decemuiros: quaſi verò non intelligamus, hæc eos vectigalia, quæ Cn. Pompeius adiunxerit, vendere cogitare. Videtis iam P. C. omnibus rebus, & modis conſtructam, & coaceruatam pecuniam Decemuiralem. Minuetur huius pecuniæ inuidia: cõſumetur enim in agrorum emptionibus. optimè quis ergo emet agros iſtos? ijdem Decemuiri. tu Rulle, miſſos enim facio cæteros, emes quos voles: vendes quos voles: vtrunq; horum

rum facies quãti voles. cauet enim vir optimus: ne emat ab inuito. quasi verò non intelligamus, ab inuito emere, iniuriosum esse: ab non inuito, quæstuosum. quantum tibi agri vendet, vt alios omittam, socer tuus? & si ego eius æquitatem animi probè noui, vendet non inuitus. facient idem cæteri libenter: vt possessionis inuidiam pecunia commutent: accipiant, quod cupiunt: dent, quod retinere vix possunt. Nunc prospicite omnium rerum infinitam, atq; intolerandam licentiã. pecunia coacta est ad agros emendos: ij porrò ab inuitis non ementur. si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? referetur pecunia? non licet. exigetur? vetat. verum esto: nihil est, quod non emi possit: si tantum des, quantum velit venditor. spoliemus orbem terrarum: vendamus vectigalia: effundamus ærariũ: vt locupletatis aut inuidiæ, aut pestilentiæ possessoribus, agri tamen emantur. quid? tum quæ erit in istos agros deductio? quæ totius rei ratio, atq; descriptio? deducentur, inquit, coloniæ. quo? quorum hominum? in quæ loca? quis enim non videt in colonijs esse hæc omnia consideranda? tibi nos, Rulle, & istis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, totam Italiam inermem tradituros existimasti? quam præsidijs confirmaretis: colonys occupa retis: omnibus vinclis deuinctam, & constrictam tenere tis. vbi enim cauetur, ne in Ianiculo coloniam constituatis? ne vrbẽ hanc vrbe alia premere, atq; vrgere possitis? non faciemus inquit. Primum nescio. deinde timeo. postremò non cõmittam: vt vestro beneficio potius, quàm nostro consilio salui esse possimus. Quod verò totam Italiam vestris colonijs complere voluistis: id cuiusmodi esset, neminẽ ne nostrum intellecturum existimastis?

stimastis? scriptum est enim, quæ in municipia, quasq; in colonias Decemuiri velint: deducant colonos, quos velint: & ys agros assignent, quibus in locis velint: & cum totam Italiam militibus suis occuparint: vobis non modo dignitatis retinendæ, sed ne libertatis quidem recuperandæ spes relinquatur. Atq; hæc à me suspicionibus & coniectura coarguuntur. Iam omnis omnium tollet error: iam aperte ostendent, sibi nomen huius Reipublicæ, sedem vrbis, atq; imperij, denicq; hoc tẽplum Iouis Optimi Maximi, atq; hanc arcem omniũ gentium displicere. Capuam deduci colonos volunt. illam vrbem huic vrbi rursus opponere, illuc opes suas deferre, & imperij nomen transferre cogitant. qui locus propter vbertatem agrorum, abundantiam q; rerum omnium, superbiam, & crudelitatem genuisse dicitur: ibi nostri coloni delecti ad omne facinus, à Decemuiris collocabuntur. & credo qua in vrbe homines in veteri dignitate, fortunaq; nati copiam rerum moderatè ferre non potuerunt: in ea isti vestri satellites modestè insolentiam suã continebunt. Maiores nostri Capua magistratus, Senatum, consiliũ commune, omnia denicq; insignia Reip sustulerunt: neq; aliud quicquam nisi inane nomen Capuæ reliquerunt: non crudelitate: quid enim illis fuit clementius? qui etiã externis hostibus victis, sua sæpissime reddiderunt: sed consilio, quod videbant, si quod Reip. vestigium illis mœnibus contineretur: vrbem ipsam imperio domicilium præbere posse. vos hæc, nisi euertere Remp. cupere tis, ac vobis nouam dominationem comparare: credo quàm pernicioſa essent non videretis? quid enim cauendum est in colonys deducendis? si luxuries

Anni-

Annibalem ipsum Capuæ corrupit? si superbia natã inibi esse ex Campanorum fastidio videtur? si præsidium non præponitur huic vrbi ista colonia, sed opponitur? At quemadmodum armatur dy immortales? nam bello Punico quicquid potuit Capua, potuit ipsa per sese. nunc omnes vrbes, quæ circum Capuam sunt: à colonis per eosdem Decemuiros occupabuntur. hanc enim ob causam permittit ipsa lex, in omnia quæ velint oppida colonos vt Decemuiri deducant, quos velint. Atq; his colonis agrum Campanum, & Stellatem campum diuidi iubet. Non queror diminutionem vectigalium: non flagitium huius iacturæ atque damni: prætermitto illa, quæ, nemo est, quin grauissimè, & verissimè conqueri possit: nos caput patrimonij publici, pulcherrimã populi Ro. possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub signo, claustrisq; Reip. positum vectigal, seruare non potuisse: eum deniq; nos agrum P. Rullo concessisse: qui ager ipse per sese, & Syllanæ dominationi, & Gracchorum largitioni restitisset: non dico solum hoc in Rep. vectigal esse, quod amissis aliys remaneat: intermissis non conquiescat: in pace niteat: in bello non obsolescat: militem sustentet: hostem non pertimescat: prætermitto omnem hanc orationem: & concioni reseruo: de periculo salutis, ac libertatis loquor. Quid enim existimatis integrum vobis in Rep. fore? aut in vestra libertate? ac dignitate retinendum? cum Rullus, atq; ij, quos multo magis quàm Rullum timetis, cum omni egentiũ, atq; improborum manu, cum omnibus copys, cum omni argento, & auro, Capuam, & vrbes circa Capuam occuparint? His ego rebus P. C. resistam vehementer, atq; acriter: neq; patiar homines ea me Consule expromere quæ contra

quæ contra Remp. diu cogitarint. Errastis Rulle vehementer & tu, & nonnulli Collegæ tui: qui speraſtis vos contra consulem veritate, non ostentatione popularem, posse in euertenda Rep. populares existimari. lacesso vos: in concionem voco: populo Ro. disceptatore vti volo. etenim, vt circumspiciamus omnia, quæ populo grata, atque iucunda sunt: nihil tam populare, quàm pacem, quã concordiam, quàm otium reperiemus. sollicitam mihi ciuitatem suspicione, suspensam metu, perturbatã vestris legibus, & concionibus, & seditionibus tradidistis: spem improbis ostendistis: timorẽ bonis iniecistis: fidem de foro, dignitatem de Rep. sustulistis. hoc motu, atque hac perturbatione animorum, atq; rerum, cũ populo Romano vox, & authoritas consulis repentè in tantis tenebris illuxerit: cum ostenderit nihil esse metuendum: nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium nouum nullum regnum Decemuirale, nullam alterã Romam, neque aliam sedem imperij nobis consulibus futuram: summamq; tranquillitatem pacis, atque otij: verendum credo nobis erit: ne vestra ista præclara lex Agraria magis popularis esse videatur? cum verò scelera consiliorum vestrorum, fraudemq; legis, & insidias, quæ ipsi populo Rom. à popularibus Tribunis Pl. fiant, ostendero: pertimescam credo: ne mihi non liceat contra vos in concione consistere? præsertim cum mihi deliberatum, & constitutum sit, ita gerere consulatum: quo vno modo geri grauiter, & liberè potest: vt neque prouintiam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neq; rem vllam, quæ à Tribuno plebis impediri possit, appetiturus sim. Dicit frequentissimo Se-

natu cõsul Cal. Ianuarij: sese, si status hic Reip. maneat, neq; aliud negocium extiterit, quod honestè subterfugere non possit in prouinciam non iturũ, sic me in hoc magistratu geram populi Romani: vt possim Tribunũ Pl. Reip. iratũ coërcere: mihi iratũ contemnere. Quamobrẽ per deos immortales colligite vos Tribuni plebis: deserite eos, à quibus, nisi prospicitis, breui tempore deseremini: conspirate nobiscum: consentite cum bonis: cõmunem Remp. cõmuni studio, atq; amore defendite. multa sunt occulta Reip. vulnera: multa nefariorum ciuiũ pernicio sa consilia: nullum externum periculum est: nõ rex, non gens vlla, non natio pertimescenda est: incluſum malũ, intestinum, ac domesticum est. huic pro se quisq; nostrũ mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. erratis, si senatum probare ea, quæ dicũtur à me, putatis: populum autem esse in alia voluntate: omnes, qui se incolumes volent: sequentur authoritatem cõsulis soluti à cupiditatibus, liberi à delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quod si quis vestrũ spe ducitur: se posse turbulenta ratione honori velificari suo: primum me consule id sperare desistat: deinde habeat me ipsum sibi documento: quẽ equestri ortum loco consulem videt: quæ vitæ via facillimè viros bonos ad honorẽ dignitatemq; perducat. Quod si vos vestrum mihi studium P. C. ad communẽ dignitatem defendendã profitemini: perficiam profectò id, quod maximè Resp. desiderat: vt huius ordinis authoritas, quæ apud maiores nostros fuit: eadem nunc longo interuallo Reip. restituta esse videatur.

DE

DE LEGE AGRARIA CONTRA P. SERVILIVM RVLLVM TRIBVNVM PL. AD POPVLVM ORATIO XVI.

EST hoc in more positum Quirites, institutoq; maiorum: vt y qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt: eam primã habeant concionem: qua gratiam beneficij vestri cum suorum laude cõiungant. qua in oratione nonnulli aliquando digni maiorũ loco reperiuntur. plerique autẽ hoc perficiunt, vt tantum maioribus eorũ debitum esse videatur: vnde, etiã quod posteris solueretur, redundaret. mihi quidẽ apud vos de meis maioribus dicendi facultas nõ datur: non quod nõ tales fuerint: quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisq; institutos videtis: sed quod laude populari, atq; honoris vestri luce caruerũt. de me autẽ ipso vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere: ingrati, tacere. nã & quibus studijs hanc dignitatẽ consecutus sim, memetipsum commemorare perquam graue est: & silere de tantis vestris beneficijs nullo modo possum. quare adhibebitur à me certa ratio moderatioq; dicendi: vt quid à vobis acceperim, commemorem: quare dignus vestro summo honore. singulariq; iudicio sim: ipse modicè dicã, si necesse erit: vos eosdẽ existimaturos putẽ, qui iudicauistis. Me perlongo interuallo propè memoriæ, temporumq; nostrorum primum hominem nouum Consulem feciſtis: & eum locum, quem nobilitas præsidijs firmatum, atque omni

ratione obuallatum tenebat, me duce rescidistis, virtutiq; in posterum patere voluistis: neq; me tantũmodo cõsulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis: quomodo pauci nobiles in hac ciuitate consules facti sunt: nouus ante me nemo. nã profectò si recordari volueritis de nouis hominibus: reperietis, eos, qui sine repulsa consules facti sunt: diuturno labore, atq; aliqua occasione esse factos: cum multis annis post petissent, quàm Praetores fuissent: aliquanto serius, quã per ætatẽ, ac per leges liceret. qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos. me esse vnum ex omnibus nouis hominibus, de quibus meminisse possumus: qui consulatum petierim cum primum licitum sit: consul factus sim, cum primum petierim. vt vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occasionẽ interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. Est illud amplissimum quod paulò ante cõmemorauit Quirites: quod hoc honore ex nouis hominibus primum me multis posthabitis affecistis: quod prima petitione: quod anno meo sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest: quod meis comitys non tabella indicem tacitæ libertatis, sed vocem viuam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum, ac studiorum tulistis: ita me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulæ voces preconum, sed vna voce vniuersus populus Rom. consulem declarauit. Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium Quirites, cum ad animi mei fructum, atq; lætitiam duco esse permagnum: tum ad curam, sollicitudinemq; multo maius. versantur enim Quirites in animo meo multæ, & graues cogitationes:

quæ

quæ mihi nullam partem neque diurnæ, neq; nocturnæ quietis impartiunt. primũ tuendi consulatus. quæ cum omnibus est difficilis, & magna ratio: tum verò mihi præter cæteros. cui errato nulla venia, rectè facto exigua laus, & ab inuitis expressa proponitur: non dubitanti fidele consilium, non laboranti certum subsidium nobilitatis ostenditur. quod si solus in discrimen aliquod adducerer: ferrẽ Quirites animo æquiore. sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio verum etiã casu lapsum esse arbitrabuntur: vos vniuersos qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. mihi autẽ Quirites omnia potius perpetienda esse duco: quàm non ita gerendum consulatum: vt in omnibus meis factis, atque consilys, vestrum de me factum, consiliumq; laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor, ac difficillima ratio consulatus gerendi: quod non eadẽ, qua superioribus consulibus, lege, & conditione viendũ esse decreuit: qui aditum huius loci, conspectumq; vestrum partim magnoperè fugerunt, partim nõ vehementer secuti sunt. ego autem non solũ hoc in loco dicam, vbi est id dictu facillimum: sed in ipso Senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur: popularem me futurum esse Consulem, prima mea illa oratione Cal. Ianuarij dixi. neque enim vllo modo facere possum: vt cum me intelligã non hominum potentiũ studio: non excellentibus gratys paucorum, sed vniuersi populi Ro. iudicio consulem ita factum: vt nobilissimis hominibus longè præponerer: non & in hoc magistratu, & in omni vita essem popularis. Sed mihi ad huiusce verbi vim & interpretationem vehementer opus est vestra sapientia. versatur enim

magnus error propter insidiosas nonnullorum simulationes: qui cum populi non solum cõmoda, verum etiam salutem oppugnant, & impediunt: oratione assequi volũt, vt populares esse videantur. Ego qualem Cal. Ianuarij acceperim Remp. Quirites intelligo: plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil aduersi, quod nõ boni metuerent, improbi expectarent. omnia turbulenta consilia cõtra hunc Reip. statũ, & contra vestrum ocium, partim iniri: partim nobis Consulibus designatis inita esse dicebantur. sublata erat de foro fides, non ictu aliquo nouæ calamitatis, sed suspicione, ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum: nouæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quæri putabantur. quæ cũ ego non solum suspicarer: sed planè cernerem, neq; enim obscurè gerebãtur, dixi in Senatu, in hoc magistratu me popularem Consulem futurum. quid enim est tam populare, quàm pax? qua non modò ij, quibus natura sensum dedit: sed etiam tecta, atq; agri mihi lætari videntur. quid tam populare, quàm libertas? quam non solum, ab hominibus, verum etiam à bestijs expeti, atq; omnibus rebus anteponi videtis. quid tã populare, quàm ocium? quod ita iucundum est: vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisq; vir, maximos labores suscipiendos putet: vt aliquando in ocio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate: qui iccircò etiam maioribus nostris præcipuam laudem, gratiamq; debemus: quod eorum labore est factum, vt impunè in ocio esse possemus. Quare qui possum non esse popularis? cũ videam hæc omnia Quirites, pacem externam, libertatẽ propriam generis, ac nominis vestri, otium domesticũ,

mesticũ, deniq; omnia, quæ vobis chara atq; ampla sunt: in fidem, & quod modò in patrocinium mei consulatus esse collata? Neq; enim Quirites illud vobis iucundum, aut populare debet videri: largitio aliqua promulgata: quæ verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto ærario, nullo pacto potest. neq; verò illa popularia sunt existimanda: iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutio damnatorum, qui ciuitatũ afflictarum perditis iam rebus extremi exitiorũ sõlent esse exitus. neq; si qui agros populo Ro. pollicentur: si aliud quiddam obscurè moliũtur: aliud spe ac specie simulationis ostentant: populares existimandi sunt. nam verè dicam Quirites, genus ipsum legis Agrariæ vituperare non possum. venit enim mihi in mentẽ, duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebis Romanæ viros, Tyberium, & C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse: qui agri à priuatis antè possidebantur. non sum autem ego is Consul: qui, vt plerique, nefas esse arbitrer, Gracchos laudare: quorum consilys, sapientia, legibus, multas esse video Reipub. partes constitutas. itaque vt initio mihi designato consuli nunciabatur, legem Agrariam Tribunos Pl. designatos conscribere: cupiebam quid cogitarent, cognoscere. etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus: esse aliquam oportere inter nos benè administrandæ Reip. societatem. cum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem: celabar, excludebar. & cum ostenderem, si lex vtilis plebi Romanæ mihi videretur: authorem me, atq; adiutorem futurũ: tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam, ne-

gabant me adduci posse: vt vllam largitionem probarem. finem feci offerendi mei: ne fortè mea sedulitas, aut insidiosa, aut impudens videretur. interea non desistebant clàm inter se conuenire: priuatos quosdam adhibere: ad suos cœtus occultos noctem adiungere, & solitudinem. quibus rebus, quanto in metu fuerimus ex vestra sollicitudine in qua illis temporibus fuistis, facilè assequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magistratus Tribuni plebis: concio tandē expectata P. Rulli: quod & princeps erat Agrariæ legis: & truculentius se gerebat, quàm cæteri. tam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur: vestitu obsoletiore, corpore inculto & horrido: capillatior quàm antè, barbaq; maiore: vt oculis, & aspectu denunciare omnibus vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur. legem hominis, concionemq; expectabam. lex initio nulla proponitur: concionem imprimis aduocari iubet. summa cum expectatione concurritur. explicat orationem sanè longam, & verbis valdè bonis. vnum erat quod mihi vitiosum videbatur: quod tanta ex frequentia inueniri nemo potuit: qui intelligere posset, quid diceret: hoc ille vtrum insidiarum causa fecerit: an hoc genere eloquētiæ delectetur, nescio. tamen si qui acutiores in concione steterant: de lege Agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. aliquando tandem me designato lex in publicum proponitur: concurrunt iussu meo plures vno tempore librarij. descriptam legē ad me afferunt. omni hoc vobis ratione confirmare possum Quirites: hoc animo me ad legendam legem, cognoscendamq; venisse: vt si eam vobis accommodatam, atque vtilem esse intelligerem, author eius, atque adiutor essem. non enim natura,

tura, neq; dissidio, neq; odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum Consulatus cū Tribunatu: quia persæpe seditiosis, atq; improbis tribunis Pl. boni & fortes consules obstiterunt: & quia vis Tribunitia nonnunquam libidini restitit consulari. non potestatum dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus: vt eam cuperem esse aptam vestris commodis: & eiusmodi, quàm cosule re, non oratione popularis, & honestè, & libenter posset defendere. Atq; ego à primo capite leges vsq; ad extremum reperio Quirites, nihil aliud cogitatū: nihil aliud susceptum: nihil aliud actum: nisi vti decem reges, ærarij, vectigaliū, prouinciarum omnium, totius Reipublicæ, regnorum, liberorum populorum, orbis deniq; terrarum, domini constituerentur, legis Agrariæ simulatione, atq; nomine sic confirmo Quirites: hac lege Agraria pulchra, atq; populari, dari vobis nihil: condonari certis hominibus omnia, ostentari populo Romano agros: eripi etiam libertatem: priuatorum pecunias augeri: publicas exhaurit: deniq;, quod est indignissimū, per tribunum Pl. quem maiores præsidē libertatis, custodemq; esse voluerunt, reges in ciuitate constitui. quæ cum exposuero: si falsa vobis videbuntur esse, sequar authoritatem vestram: mutabo meam sententiā. si insidias fieri libertati vestræ, simulatione largitionis intelligetis: nolitote dubitare plurimo sudore, & sanguine maiorum vestrorum partam vobisq; traditam libertatem, nullo vestro labore consule adiutore defendere. Primum caput est legis Agrariæ: quo, vt illi putant, tentamini leuiter, quo animo libertatis vestræ diminutionem ferre possitis: iubet enim Tribunum Pl. qui eam legem tule-

rit, creare Decemuiros per tribus septem decim: vt quem nouem tribus fecerint, is Decemuir sit. Hic quæro, quam ob causam initium rerum, ac legum suarum hinc duxerit: vt populus Rom. suffragio priuaretur? toties legibus Agrarijs curatores constituti sunt: Triumuiri, Quinqueuiri, Decemuiri: quæro à populari Tribuno Pleb. ecquando nisi per XXXV tribus creati sint. etenim cum omnes potestates, imperia, curationes ab vniuerso populo Ro. proficisci conuenit: tum eas profectò maximè, quæ constituuntur ad populi fructum aliquem, & commodum: in quo & vniuersi diligant: quem populo Ro. maximè consulturum putent, & vnusquisq; studio, & suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire possit. hoc Tribuno Pl. potissimũ venit in mentem, populum Ro. vniuersum priuare suffragijs: paucas tribus non certa conditione iuris, sed sortis beneficio fortuito ad vsurpandam libertatem vocare. Item, inquit, eodemq; modo capite altero, vt comitijs Pontificis Maximi. ne hoc quidem vidit: maiores nostros tam fuisse populares: vt quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum: in eo tamen propter amplitudinem sarcerdotij voluerint populo supplicari. atq; hoc idem de cæteris sacerdotijs Cn. Domitius Tribunus Pl. vir clarissimus tulit: quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat: vt minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur. videte quid interfit inter Cn. Domitium Tribunum pl. hominem nobilissimum: & P. Rullum, qui tentauit vt opinor pacientiã vestram: cum se nobilẽ esse diceret. Domitius quod per ceremonias populi fieri non poterat: ratione assecutus est: vt id, quoad posset, quoad fas

fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret. hic quod populi proprium semper fuit: quod nemo imminuit, nemo immutauit: quin ij qui populo agros essent assignaturi: antè acciperent à populo beneficium, quàm darẽt: id totũ eripere vobis, atq; è manibus extorquere conatus est. ille quod dari populo nullo modo poterat: tamen quo dãmodo dedit. hic quod adimi nullo pacto poterat potestate: quadam ratione eripere conatur. quæret quispiam in tanta iniuria, tantaq; impudentia quid spectarit? non defuit consilium. fides erga plebem Romanam, æquitas in vos, libertatemq; vestram vehementer defuit. iubet enim comitia Decemuiris habere creandis eum, qui legẽ tulerit. hoc dicam planius. iubet Rullus homo non cupidus, neq; appetens, habere comitia Rullũ. nondum reprehendo. video feciſſe alios. illud, quod nemo fecit, de minore parte populi: quò pertineat videte. habebit comitia. volet eos denunciare, quibus regia potestas hac lege quæritur. vniuerso populo neq; ipse cõmittit, neq; illi horum consiliorum authores committi rectè putant posse. sortietur Tribus idem Rullus homo felix: educet quas volet tribus: quos nomen tribus Decemuiros fecerint, ab eodem Rullo eductæ: hos omnium rerum, vt iam ostendam, dominos habebimus. atque ij, vt grati ac memores beneficij esse videantur, aliquid se nouem tribuum notis hominibus debere confitebuntur: reliquis verò sex & XX tribubus nihil erit, quod non putent posse suo iure denegare. quos tandem igitur Decemuiros creari vult? se primum. qui licet? leges enim sunt veteres, neque ea consulares, si quid intereſſe hoc arbitramini: sed tribunitiæ, vobis maioribusq; vestris vehementer

menter gratæ, atq; iucundæ. Licinia est lex, atq; altera Ebutia: quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione, ac potestate: sed etiam collegas eius cognatos, affines excipit: ne eis ea potestas, curatione mandetur. etenim si populo consulis, remoue te à suspicione alicuius tui commodi: fac fidem te nihil nisi populi vtilitatem, & fructum quærere: sine ad alios potestatem, ad te gratiam beneficij tui peruenire. nam hoc quidem vix est liberi populi, vix vestrorum animorum, ac magnificentiæ. quis legem tulit? Rullus. quis maiorem partem populi, suffragijs priuauit? Rullus. quis comitijs præfuit? Rullus. quis tribus, quas voluit, vocauit nullo custode sortitus? quis decemuiros, quos voluit, renunciauit? idem Rullus. quem principē renunciauit? Rullū. vix mehercule seruis hoc eum suis, non vobis omnium gentium dominis probaturum arbitrarer. optimæ leges igitur hac lege sine vlla exceptione tollentur. Idem legis sibi sua lege curationem petit: idē maiore parte populi suffragijs spoliata, comitia habebit: quos volet, atque in ijs seipsum renunciabit: & videlicet collegas suos adscriptores legis Agrariæ, non repudiabit: à quibus ei locus primus inuidiæ, in præscriptione legis concessus est: cæteri fructus omnium rerum, qui in spe legis huius positi sunt, cōmuni cautione, atq; æqua sibi parte retinentur. At videte hominis diligentiam: si aut Rullum cogitasse, aut si Rullo potuisse in mentem venire arbitramini. viderunt ij, qui hæc machinabantur: si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data: quæcunq; res esset, in qua fides, integritas, virtus, authoritas quæreretur: vos eam sine dubitatione ad Cn. Pompeium principem delaturos. etenim quem vnum ex cunctis delegissetis: vt eum omnibus

bus omnium gentium bellis, terra, & mari præponeretis. certè in Decemuiris faciendis, siue vides haberetur, siue honos, & cōmitti huic optimè, & ornari hūc iustissimè posse intelligebant. itaq; excipitur hac lege, nō adolescentia, non legitimū aliquod impedimentū, nō potestas, nō magistratus vllus alijs negocijs, ac legibus impeditus: reus deniq; quominus Decemuir fieri possit, præsentem eum profiteri iubet. quod nulla alia in lege vnquam fuit: ne in his quidem magistratibus, quorum certus ordo est. Timebat enim Pompeius ne si adesset ferri nō posset: aut ne si accepta lex esset: illū sibi Collegam ascriberetis custodem ac vindicem cupiditatum. Hic, quoniam video vos hominis dignitate, & contumelia legis esse cōmotos, renouabo illud, quod initio dixi, regnū comparari: libertatem vestram hac lege funditus tolli. An vos aliter existimabatis? cū ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adiecissent: nō eos in primis id acturos, vt ex omni custodia vestræ libertatis, ex omni potestate, curatione, patrocinio, vestrorum commodorū, Cn. Pompeius depelleretur? viderunt, & vident: si per imprudentiam vestram negligentiam meam, legem incognitam acceperitis: fore vti postea cognitis insidijs cum Decemuiros crearetis: cum vicijs omnibus & sceleribus legis, Cn. Pompeij præsidium opponendum putetis. & hoc paruū argumentum vobis erit, à certis hominibus damnationem, potestatem q; omnium rerum quæri? cum videatis eum, quē custodem vestræ libertatis fore videant: expertem fieri dignitatis. Cognoscite nunc quæ potestas Decemuiris & quanta detur. Primum lege curiata Decemuiros ornat. Iam hoc inauditum, & planè nouo more: vti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitijs antè sit datus.

Eam

Eam legem ab eo Prætore qui sit primus factus, ferri iubet. at quomodo? vt y Decemuiratum habeant, quos plebs designauerit. oblitus est, nullos à plebe designari. & is orbem terrarum constringit nouis legibus, qui quid in secundo capite scriptum est, non meminit in tertio. Atq; hîc perspicuum est, quid iuris à maioribus acceperitis: quid ab hoc Tribuno Pl. vobis relinquatur. maiores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam centuriata lex Censoribus ferebatur: cum curiata cæteris patricijs magistratibus, tum iterum de eisdem iudicabatur: vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa: curiata tantũ auspiciorum causâ remanserunt. hic autem Tribunus Pl. quia videbat potestatem neminem iniussu populi, aut plebis posse habere: curiatis ea comitijs, quæ vos non sinitis, confirmauit: tributa, quæ vestra erant, sustulit. Ita cũ maiores binis comitijs voluerint vos de singulis magistratibus iudicare: hic homo popularis ne vnquam quidem populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis religionem, & diligentiam. vidit, & perspexit, sine curiata lege Decemuiros habere potestatem nõ posse: quoniam per nouem tribus essent constituti. Iubet ferre de his legem Curiatam. Prætori imperat, quàm idipsum absurdè, nihil ad me attinet. Iubet enim qui primus sit Prætor factus: eum legem curiatam ferre. sin is ferre non posset, qui postremus sit. vt aut lusisse in tantis rebus, aut præfectò nescio quid spectasse videatur. Verũ hoc quod est aut ita peruersum, vt ridiculum, aut ita malicioſum, vt obscurum sit, relinquamus. ad religionem hominis reuertamur. Videt sine lege curiata nihil

agi

agi per Decemuiros posse. quid postea si ea lata non erit? attendite ingenium. tum y Decemuiri, inquit, eodẽ iure sint, quo qui optima lege. si hoc fieri potest, vt in hac ciuitate, quæ longè iure libertatis cæteris ciuitatibus antecellit. quisquam nullis comitijs imperium, aut potestatẽ assequi possit: quid attinet tertio capite legem curiatam ferre iubere? quoniam quarto permittas, vt sine lege curiata idem iuris habeant, quod haberent, si optima lege à populo essent creati? reges constituuntur, non Decemuiri Quirites, ijq; ab his initijs, fundamentisq; nascuntur: vt non modo cum genere cœperint, sed etiam cum constituentur: omne vestrũ ius, potestas, libertasq; tollatur. at videte quàm diligenter retineat ius tribunitiæ potestatis. Consulibus legem curiatam ferentibus, à Tribunis plebis sæpe est intercessum. neq; tamen nos id quærimur, esse hanc Tribunorũ Pl. potestatem: tantũmodo si quis ea potestate temerè est vsus, existimamus. hic Tribunus Pl. lege curiata, quàm Prætor ferat, adimit intercedendi potestatem. atq; hoc cum in eo reprehendendum est: quod per Tribunum Pl. Tribunitia potestas minuitur: tũ in eo deridendum: quod Consuli, si legem curiatã non habet: attingere rem militarem non licet. hic qui vetat intercedendi potestatem, etiamsi intercessum sit: tamen eandem constituit, quam si lata esset lex: vt non intelligam: quare aut hic vetet intercedere, aut quenquã intercessurũ putet: cum intercessio stultitiã intercessoris significatura sit, non rem impeditura. Sint igitur Decẽuiri neq; veris comitijs, hoc est populi suffragijs, neq; illis ad speciẽ, atq; ad vsurpationẽ vetustatis per XXX lictores auspiciorũ causâ adumbratis, constituti. videte nunc eos qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto maio-

ribus

ribus ornamentis afficiat, quàm omnes non affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis. Iubet auspicij coloniarum deducendarum causa Decemuiros habere pullarios. eodem iure, inquit, quo habuerunt tres viri lege Sempronia. Audes etiam Rulle mentionem facere legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa commouet? tres viros illos XXXV tribunum suffragio esse creatos? & cum tu à Ti. Gracchi æquitate, ac pudore longissimè remotus sis, id quod dissimillima ratione factum sit: eodem iure putas esse oportere? dat præterea potestatem verbo Prætoriam, re vera regiam. definit in quinquennium: facit sempiternam. tantis enim confirmat opibus, & copijs, vt inuitis eripi nullo modo possit. deinde ornat apparitoribus, scribis, librarijs, præconibus, architectis, præterea multis, tabernaculis, centurijs, suppellectili. sumptum haurit ex ærario: suppeditat à sociis. Ianitores ex equestri loco ducentos in annos singulos: stipatores corporis constituit: eosdem ministros, & satellites potestatis. Formam adhuc habetis Quir. & speciem ipsam Tyrannorum: insignia videtis potestatis, nondum ipsam potestatem. dixerit enim fortasse quispiam. quid me ista lædunt? scriba, lictor, præco, pullarius? omnia sunt hæc huiusmodi Quirites: vt ea qui habeat sine vestris suffragijs, aut rex non ferendus, aut priuatus furiosus esse videatur. perspicite quanta potestas permittatur, non priuatorum insaniam, sed intolerantiam regis esse dicetis. Primum permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis. deinde orbis terrarum, gentiumq; omnium datur cognitio sine consilio, pœna sine prouocatione, animaduersio sine auxilio. iudicare per

quinquennium

quennium vel de Consulibus, vel de ipsis Tribunis Pl. poterunt. de illis interea nemo iudicabit. magistratus his gerere licebit: causam dicere non licebit: emere agros à quibus volent, vel quos volent, quã volent magno poterunt: colonias deducere nouas, renouare veteres, totã Italiam suis colonijs vt complere liceat, permittitur: omnes prouincias obeundi, liberos populos agris mulctandi, regnorum vel dandorum summa potestas datur: cum velint. Romæ esse, cum commodum sit, quacunque velint summo cum imperio, iudicioq; omnium rerũ vagari vt liceat, conceditur. interea dissoluant iudicia publica: de consilijs abducant, quos velint: singuli de maximis rebus iudicent: quæstori permittant: finitorem mittant: ratum sit quod finitor vni vlli, à quo missus erit, renunciauerit. Verbum mihi deest Quirites, cum ego hanc potestatem regiam appello. sed profectò maior est quædam. nullum enim regnum fuit vnquam, quod non siminus iure aliquo, at regionibus tamen certis, contineretur. hoc verò infinitum est, quo & regna omnia, & vestrum imperium, quod latissimè patet, & ea quæ partim libera à vobis, partim etiã ignorata vobis sunt, permissu legis continentur. datur igitur eis, primũ vt liceat eis vendere omnia: de quibus vendẽdis Senatus Cõsulta facta sunt M. Tullio, Cn. Cornelio Consulibus, aut postea. cur hoc tam est obscurum, atque cæcum? quid? ista omnia, de quibus Senatus censuit: nominatim in lege præscribi nonne potuerunt? Duæ sunt huius obscuritatis causæ Quirites: vna pudoris, si quis pudor esse potest in tam insigni impudentia: altera sceleris. nam neque ea, quæ Senatus nominatim vendenda censuit, audet appellare. sunt enim loca publica vrbis:

sunt sacella: quæ post restitutam tribunitiam potestatem nemo attigit: quæ maiores in vrbe partim periculi perfugia esse voluerunt. hac lege tribunitia Decemuiri vendent. accedit eò mons Gaurus: accedent salicta ad Minturnas: adiungitur etiam illa via vendibilis Herculanea multarum delitiarum, & magnæ pecuniæ: permulta alia quæ Senatus propter angustias ærarij vendenda censuit: Consules propter inuidiam non vendiderunt. Verum hæc fortasse propter pudorem in lege reticentur. sed illud magis est credendum, & pertimescendum: quod audaciæ Decemuirali, corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumq; Senatusconsultorum, quæ facta nunquam sunt, cum ex eo numero, qui per eos annos Consules fuerunt, multi mortui sint, magna potestas permittitur. nisi forte nihil est æquum vos de eorum audacia suspicari: quorum cupiditati nimium angustus orbis terrarum esse videatur. Habetis vnum venditionis genus: quod magnũ videri vobis intelligo: sed attendite animos ad ea, quæ consequũtur. hunc quasi gradum quendam, atque aditum ad cætera iactum intelligetis. QVI AGRI, QVÆ LOCA, ÆDIFICIA. quid est præterea? multa in mancipijs, in pecore, auro, argento, ebore, veste, suppellectili, cæteris rebus. Quid dicam? inuidiosum putasset hoc fore, si omnia nominasset? non metuit inuidiam. quid ergo? longum putauit, et timuit, nequid præteriret. adscripsit: ALIVD'VE QVID. qua breuitate rem nullam esse exceptam videtis. Quicquid ergò sit extra Italiam: quod publicum populi Ro. factum sit L. Sylla, Q. Pompeio Consulibus, aut postea: id Decemuiros iubet vẽdere. hoc caput Quirites omneis gẽteis, nationes,

nes, prouincias, regna, Decemuirũ ditioni, iudicio, potestatiq; permissa, & condonata esse dico. Primũ hoc quæro, qui tandem locus vsquam sit: quem non possint Decemuiri dicere publicũ populi Ro. esse factum? nam cum idem possit iudicare, qui dixerit: quid est, quod nõ liceat ei dicere: cui non liceat idem iudicare? Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralleis, Ephesum, Miletum, Cyzicum, totam deniq; Asiam, quæ post L. Syllam, Q. Pompeium conss. recuperata sit, populi Ro. factam esse dicere. vtrum oratio ad eius rei disceptationem deerit? an cũ idem & disseret, & iudicabit: impelli non poterit, vt falsum iudicet? an condemnare Asiam volet: terrorem damnationis, & minas non quanti volet æstimabit? Quid quod disputari contra nullo pacto potest? quoniam statutum à vobis est, & iudicatum, quam hæreditatem iam creuimus. Regnum Bithyniæ quod certè publicum est populi Ro. factum. num quid causæ est, quin omnes agros, vrbes, statiua, portus, totam deniq; Bithyniam Decemuiri vendituri sint? quid Mytilenæ? quæ certe vestræ Quirites belli lege ac victoriæ iure factæ sunt: vrbs & natura, & situ, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine imprimis nobilis: agri iucundi, & fertiles. nempè eodem capite inclusi continentur. Quid Alexandria, cunctaq; Ægyptus? vt occultè latet? vt recondita est? vt furtim tota Decemuiris traditur? quis enim vestrum hoc ignorat? dici illud regnum testamento Regis Alexandrini populi Ro. esse factum? hîc ego consul populi Ro. non modò nihil indico: sed ne quid sentiam quidem profero. magna enim mihi res non modò ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. video qui testamentum factum

esse confirmet: authoritatem senatus extare hæreditatis aditæ sentio. tũ quando Alexandro mortuo Legatos Tyrum misimus: qui ab illo pecuniã depositam, nostris recuperarent. hæc L. Philippũ sæpè in Senatu confirmasse memoria teneo. eum qui regnũ illud teneat, hoc tempore: neq; genere, neq; animo regio esse, inter omnes ferè video conuenire. dicitur contrà: nullum esse testamentũ: nõ oportere populum Ro. omnium regnorũ appetentem videri: demigraturos in illa loca nostros homines propter agrorũ bonitatem, & omnium rerum copiã. hac tãta de re P. Rullus cum cæteris Decemuiris Collegis suis iudicabit? & verum iudicabit? nam vtrunque ita magnum est: vt nullo modo neq; concedendũ, neq; ferendũ sit: volet esse popularis populo Ro. adiudicabit. ergò idẽ ex sua lege vendet Alexandriã: vendet Ægyptum: vrbis copiosissimæ, pulcherrimorũq; agrorum iudex, arbiter, dominus, rex deniq; opulentissimi regni reperietur. non sumet sibi tantum: non appetet: iudicabit Alexandriam regis esse: à populo Rom. abiudicabit. primũ populi Rom. hæreditatem Decemuiri iudicent? cũ vos volueritis de priuatis hæreditatibus Centumuiros iudicare? deinde quis aget causam populi Romani? vbi res ista agetur? qui sunt isti Decemuiri quos perspiciamus regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adiudicaturos? quod si Alexandria petebatur: cur non eosdem cursus hoc tempore, quos L. Cottã, L. Torquato Coss. cucurrerunt? cur non apertè vt antea? cur non itẽ: vt cum decreto & palàm regionem illam petierunt? an quietis his, qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt: nunc tetris tenebris, & caligine se Alexandriam peruenturos arbitrati sunt? Atque illud circumspicite

spicite vestris mentibus: vnaq;

*

legatos nostros homines authoritate tenui, qui rerum priuatarum causa legationes liberas obeunt: tamen exteræ nationes ferre vix possunt. graue est enim nomen imperij, atq; id etiam in leui persona pertimescitur, propterea quod vestro, non suo nomine, cum hinc egressi sunt, abutũtur. quid censetis cum isti Decemuiri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabũtur? quo tandem animo? quo metu? quo periculo miseras nationes futuras? est in imperio terror. patientur. est in aduentu sumptus. ferent. imperabitur aliquid muneris. non recusabunt. illud verò quantũ est Quirites? cum is Decemuir, qui aliquam in vrbem aut expectatus, vt hospes, aut repentè, vt dominus venerit: illũ ipsum locum, quo venerit, illam ipsam sedem hospitalẽ, in qua erit deductus: publicam populi Romani esse dicet? quanta calamitas populi, si dixerit? quantus ipsi quæstus, si negarit? Atq; idem, qui hæc appetunt. queri nonnunquam solent, omnes terras Cn. Pompeio, atque omnia maria esse permissa. simile verò est multa committi, & condonari omnia? vel labori & negocio præponi, an prædæ & quæstui? mitti ad socios liberandos, an ad opprimendos? deniq; si quis est honos singularis: nihil ne interest, vtrum populus Ro. eum, cui velit, deferat: an is impudenter populo Rom. per legis fraudem surripiatur? Intellexistis quot res & quantas Decemuiri legis permissu venditurí sint. non est satis. cum sese sociorum, cum exterarum nationum, cum regnum sanguine imple-

rint: incidant neruos populi Romani: adhibeant manus vectigalibus vestris: irrumpant in ærarium. sequitur enim caput, quo capite non permittit quidem, si fortè desit pecunia: quæ tanta ex superioribus recipi potest, vt deesse non debeat: sed plane, quasi ea res nobis saluti futura sit: ita cogit atque imperat, vt Decemuiri vestra vectigalia vendant nominatim. Quam tu mihi ex ordine recita de legis scripto populi Ro. auctionem. quã mehercule ego præconi huic ipsam luctuosam & acerbam prædicationem futuram puto. vt in suis rebus ita in Repu. luxuriosus nepos, qui prius syluas vendat, quàm vineas. Italiam percensuisti. perge in Siciliam. nihil est in hac prouincia: quod aut in oppidis, aut in agris maiores nostri proprium vobis reliquerint, quin id venire iubeat. quod portum recenti victoria maiores vobis in sociorum vrbibus, ac finibus, & vinculum pacis, & monimentum belli reliquerunt: id vos ab illis acceptum hoc authore vendetis? Hîc mihi parumper mentes vestras Quir. commouere videor: dũ patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur contra Cn. Pompei dignitatem. & mihi quæso ignoscite, si appello talem virum sæpius, vos mihi Prætori biennio ante Quir. hoc eodem in loco personam hanc imposuistis: vt quibuscunque rebus possem, illius absentis dignitatem vobiscum vnà tuerer. feci adhuc quæ potui, neq; familiaritate illius adductus, nec spe honoris, atque amplissimæ dignitatis: quam ego etsi libente illo, tamen absente illo per vos consecutus sum. quamobrem cum intelligam hanc totam ferè legem ad illius opes euertendas tanquam machinam comparari: & resistam consilijs hominum, & perficiam profectò, quod ego video comparari: vt id vos

vniuersi

vniuersi non solum videre: verum etiam tenere possitis. Iubet venire quæ Attalensium, quæ Phaselitum, quæ Olympenorum fuerint: agrumq; Agerensem, & Oriudicum, & Gedusanum. hæc P. Seruilij imperio, & victoria clarissimi viri vestra facta sunt. Adiungit agros Bithyniæ regios: quibus nunc publicani fruuntur. deinde Attalicos agros in Cherroneso, in Macedonia, qui Regis Philippi siue Persæ fuerunt: qui item à Censoribus locati sunt: & certissimum vectigal. adscribit idem auctioni Corinthios agros opimos & fertiles, & Cyrenenses qui Appionis fuerunt: & agros in Hispania propter Carthaginem Nouam, & in Africa ipsam veterem Carthaginem Nouam, & in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit: quam videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum, ac vetustatis, de consilij sententia consecrauit: sed vt ipse locus, eorum, qui cũ hac vrbe de imperio certarunt: vestigia calamitatis ostenderet. Sed non fuit tam diligens, quam est Rullus: aut fortasse emptorem ei loco reperire non potuit. Verum inter hos agros regios, captos veteribus bellis, virtute summorum Imperatorum, adiungit regios agros Mythridatis, qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt: vt eos Decemuiri vendant. Itáne verò? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nondum deniq; bello confecto, cum Rex Mythridates amisso exercitu, regno expulsus, tamen in vltimis terris aliquid etiam nunc moliatur: atque ab inuicta Cn. Pompei manu Mæotide, & illis paludibus, & itinerum angustijs, atque altitudine montium defendatur: cum imperator in bello versetur: in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne iudicium, & potestas more ma-

iorum debet esse, Decemuiri vendent? & credo P. Rullus, is enim sic se gerit, vt sibi iam Decemuir designatus esse videatur, ad eam auctionem potissimum proficiscetur? is videlicet, antequã veniat in Pontum: literas ad Cn. Pompeium mittit. quarum ego iã exemplũ ab isto compositum esse arbitror. P. SERVILIVS RVLLVS TRIBVNVS PL. DECEMVIR S. D. POMPEIO CN. F. non credo ascripturum esse Magno. non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, concessurus verbo. TE VOLO CVRARE: VT MIHI SINOPE PRÆSTO SIS AVXILIVMQVE ADDVCAS DVM EOS AGROS, QVOS TVO LABORE COEPISTI, EGO MEA LEGE VENDAM. an Pompeium non adhibebit? in eius prouincia vendet manubias Imperatoris? ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto inter vestra, atq; hostium castra hasta posita, cum suis formosis finitoribus auctionantem. Neq; in hoc solum inest contumelia: quæ vehementer & insignis est, & noua. vt vlla res parta bello, nõ dum legibus datis, etiam tum imperatore bellum administrante, non modò venierit, verum etiam locata sit, plus spectant homines certè, quàm contumeliam: sperant si concessum sit inimicis Cn. Pompeij cum imperio, cum iudicio omnium rerum, cum infinita potestate, cum innumerabili pecunia, non solum alijs in locis vagari: verum etiam ad ipsius exercitum peruenire: aliquid illi insidiarum fieri: aliquid de eius exercitu, copijs, gloria, detrahi posse. putant, si quam spem in Cn. Pompeio exercitus habeat, aut agrorum, aut aliorum commodorum: hanc non habiturum: cum viderit earũ rerum

rerum omnium potestatem ad Decemuiros esse translatam. patior non molestè tam stultos esse, qui hæc sperent: tam impudentes, qui conentur. illud queror, tam me ab ijs esse contemptum: vt hæc portenta me Consule potissimum cogitarent. At in omnibus his agris, ædificijs q; vendendis permittitur Decemuiris, vt vendãt, quibuscunq; in locis videatur. O' perturbatam rationem: O' libidinem refrenandam: O' consilia dissoluta, atq; perdita. vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac vrbe, hoc ex loco, hac vestrum frequentia. venire vestras res proprias, & in perpetuum à vobis alienari, in Paphlagonia tenebris atq; in Cappadociæ solitudine licebit? L. Sylla cum bona indemnatorum ciuium funesta illa auctione sua venderet, & se prædam suam diceret vendere: tamen ex hoc loco vendidit: nec quorum oculos offendebat, eorum ipsorum conspectum fugere ausus est. Decemuiri vestra vectigalia non modo ne vobis quidem arbitris: sed ne præcone quidem publico teste vendent? Sequitur omnes agros extra Italiam infinito ex tempore: non, vt antea, ab Sylla, & Pompeio coss. cognitio Decemuirũm: priuatus sit an publicus, sicq; agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quàm regium sit, quem præterit? posse quibuscunq; locis velint, nulla disceptatione, nullo consilio, priuata publicare: publica liberare. Excipitur hoc capite, ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excipi, & propter hominum necessitudinem, & propter æquitatem Quir. sæpe vehementer gaudeo. Sed quæ hæc impudentia? qui agrum Recentoricũ possident, vetustate possessionis se, non iure, misericordia Senatus, non agri conditione defendunt. nam illum

agrum publicum esse fatentur. sed moueri possessionibus, amicissimis sedibus, ac dijs penatibus negant oportere. At si est priuatus ager Recentoricus: quid eum excipis? sin autem publicus, quæ est ista æquitas? cæteros, etiamsi priuati sint, permittere, vt publici iudicentur: hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur. ergo eorum ager excipitur: qui apud Rullum alia ratione valuerunt. Cæteri agri omnes, qui vbique sunt, sine vllo delectu, sine populi Ro. notione, sine iudicio Senatus, Decemuiris addicentur. Atq; etiam est alia superiore capite, quo omnia veneunt, quæstuosa exceptio: quæ teget eos agros: de quibus fœdere cautum est. Audiuit hanc rẽ non à me, sed ab alijs agitari sæpe in Senatu: nonnunquam ex hoc loco: possidere agros in ora maritima regem Hyempsalem: quos P. Africanus populo Ro. adiudicarit: & tamen postea per C. Cottam Coss. cautum esse fœdere. hoc quia vos fœdus non iusseritis, veretur Hyempsal vt satis firmum sit, & ratum. Quid cuiusmodi est illud? tollitur vestrũ iudicium: fœdus totum excipitur: comprobatur. quod minuit auctionem Decemuiralem, laudo: quod regi amico cauet, non reprehendo: quod non gratis fit, indico. volitat enim ante oculos istorum Iubæ regis filius adolescens non minus bene nummatus, quàm bene capillatus. Vix iam videtur locus esse, qui tantos aceruos pecuniæ capiat, auget, addit, accumulat, aurum, argentum ex præda, ex manubijs, ex coronario, ad quoscunq; peruenit: neq; relatũ est in Publicum, neq; in monumento consumptum: id profiteri apud Decemuiros, & ad eos referre iubet. hoc capite etiam quæstionem de clarissimis viris, qui populi Ro.

Ro. bella gesserunt, iudicium q; de pecunijs repetundis ad Decemuiros translatum videtis. horum erit nullum iudicium, quanta cuiusq; manubiæ fuerint: quid relatum, quid residuum sit. in posterum verò lex hæc imperatoribus vestris constituitur: vt quicunq; de prouincia decesserit: apud eosdem Decemuiros quantum habeat prædæ, manubiarum, auri coronarij, profiteatur. Hic tamen vir optimus, eum quem amat excepit Cn. Pompeium. vnde iste amor tam improuisus, ac tam repentinus? qui honore Decemuiratus excluditur propè nominatim: cuius iudicium, legum q; datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur: cuius non in prouinciam, sed in ipsa castra Decemuiri cum imperio, infinita pecunia, maxima potestate, & iudicio rerum omnium mittuntur: cui ius imperatorium, quod semper omnibus imperatoribus est conseruatum, soli eripitur: is excipitur vnus, ne manubias referre debeat. vtrum tandẽ hoc capite, bonos haberi homini, an inuidia quæri videtur? remittit hoc Rullo Cn. Pompeius: beneficio istolegis, benignitate Decemuirali nihil vtitur. nã si est æquum prædas, ac manubias suas imperatores, non in monumenta deorum immortalium, neq; in vrbis ornamenta conferre: sed ad Decemuiros, tanquam ad dominos reportare: nihil sibi appetit præcipuè Pompeius, nihil: vult se in communi, atq; in eodem, quo cæteri, iure versari. sin est iniquum Quirites, si turpe, si intolerandum: hos Decemuiros portitores omnibus omnium pecunys constitui, qui non modo reges, atq; exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant: non mihi videntur honoris causa, excipere Pompeium: sed metuere, ne ille eandem cotumeliam, quam

cæteri

cæteri, ferre non possit. Pompeius autem hoc animo sit, vt quicquid vobis placeat, sibi ferendum putet: quod vos ferre non poteritis, id profectò perficiat, ne diutius inuiti ferre cogamini. Verum tamen cauet: vt si qua pecunia, post nos Consules, ex nouis vectigalibus recipiatur, ea Decemuiri vtantur. noua porrò vectigalia videt ea fore, quæ Pompeius adiunxerit. ita remissis manubys, vectigalibus eius virtute partis, se frui putat oportere. Parta sic pecunia Quir. Decemuiris tanta, quanta sit in terris: nihil prætermissum, sed omnes vrbes, agri, regna deniq3, postremò etiam vectigalia vestra venierint: accesserint in cumulum manubiæ vestrorum imperatorum: quantæ, & quàm immanes diuitiæ Decemuiris in tantis auctionibus, tot iudicys, tam infinita potestate rerum omnium quærantur, videtis. cognoscite nunc alios immensos, atq3 intolerabiles quæstus: vt intelligatis ad certorum hominum importunam auariciam hoc populare legis Agrariæ nomen esse quæsitum. hac pecunia iubet agros emi, quo deducamini. Non consueui homines appellare asperius Quir. nisi lacessitus: velim fieri posset: vt à me sine contumelia nominarentur ij, qui se Decemuiros sperãt futuros: iam videretis quibus hominibus omnium rerum & vendendarum & emendarum potestatem permitteretis. sed quod ego nondum statuo mihi esse dicendum; vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare. vnum hoc certè videor mihi, verissime posse dicere. tum cum haberet hæc Resp. Luscinos, Calatinos, Acidinos homines non solum honoribus populi, rebusq3 gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos: & tum, cum erant Catones, Philippi, Lælij: quorum sapientiã, temperantiamq3 in publicis, priuatisq3, forensibus,

forensibus, domesticisq3 rebus perspexeratis: tamẽ huiuscemodi res cõmissa nemini est, vt idem iudicaret, et venderet: & hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum, idemq3 agros vectigaleis populi Ro. abalienaret: & cum summã tantæ pecuniæ nullo teste sibi ipse ex sua voluntate fecisset: tum deniq3 emeret à quibus vellet, quod videretur. Committite vos nunc Quir. his hominibus hæc omnia, quos odorari hunc Decemuiratũ suspicamini: reperietis partem esse eorum, quibus, ad habendum, partem quibus ad consumendũ, nihil satis esse, videatur. Hìc ego iam illud, quod expeditissimũ sit, ne disputo quidem Quirites: non esse hanc vobis à maioribus relictam consuetudinem, vt emantur agri à priuatis, quo plebs publicè deducatur: omnibus legibus, agris publicis priuatos esse deductos, huiuscemodi me aliquid ab hoc horrido, ac truce Tribuno Pl. expectasse: hanc verò emendi & vendendi quæstuosissimam ac turpissimam mercaturam, alienã actione Tribunitia, alienam dignitate populi Ro. semper putaui. Libet agros emi. primum quæro quos agros, & quibus in locis? nolo suspensam & incertam Plebem Ro. obscura spe & caca expectatione pendere. Albanus ager est, Sentinus, Priuernas, Fundanus, Vestinus, Falernus, Linternus, Cumanus, Casinas audio. Alba alia porta, Capenas, Faliscus, Sabinus ager. Reatinus, Venafranus, Allifanus, Trebullanus: habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & cæteros horum similes non modo emere, verum etiam coaceruare possis. cur eos non definis? neque nominas vt saltem deliberare plebs Romana possit, quid intersit sua: quid expediat: quantum tibi in emendis, & in vendendis rebus cõmittendum putet. definio inquit

Italiam

Italiam. satis certa regio. etenim quantulũ interest vtrũ in Massici radices, an in Italiam aliòue deducamini? Agè verò definis locum. quidnam agri verò inquit? qui arari, aut coli possit. qui possit arari, inquit, aut coli: non qui aratus aut cultus sit. Vtrum hæc lex est, an tabula Veratianæ auctionis? in qua scriptum fuisse aiunt: iugera CC. in quibus oliuetum fieri potest: iugera CCC. vbi institui vineæ possunt. hoc tu emes ista innumerabili pecunia, quod arari aut coli possit? quod solum tam exile, & macrum est: quod aratro perstringi non possit? aut quod est tam asperum saxetum: in quo agricularum cultus non elaboret? Iccirco, inquit, agros nominare non possum: quia tangam nullum ab inuito. hoc quoq; multo est quæstuosius, quàm si ab inuito sumeret. inietur enim ratio quæstus de vestra pecunia: & tum deniq; ager emetur, cum idem expedierit emptori, & venditori. Sed videte vim legis Agrariæ: ne ij quidem, qui agros publicos possident: decedent de possessione, nisi erunt ducti optima conditione, & pecunia maxima. conuersa ratio. antea, cum erat à tribuno Pl. mentio legis Agrariæ facta: continuò qui agros publicos, aut qui possessiones inuidiosas tenebant, pertimescebant. hæc lex eos homines fortunis locupletat: inuidia liberat. quàm multos enim Quirites, existimatis esse: qui latitudinẽ possessionum tueri, qui inuidiam Syllanorum agrorum ferre non possint? qui vendere cupiant? emptorem non reperiant? perdere iam deniq; illos agros ratione aliqua velint? Qui paulò antè diem noctemq; tribunitium nomen horrebant: vestram vim metuebant: mentionem legis Agrariæ pertimescebant: ij nunc etiam vltrò rogabũtur, atq; orabuntur: vt agros partim publicos, partim plenos

inuidiæ

inuidiæ, plenos periculi, quanti ipsi velint Decemuiris tradant. atq; hoc carmen hic Tribunus Pl. non vobis, sed sibi intus canit. habet socerum virum optimum: qui tantum agri in illis Reip. tenebris occupauit, quantũ concupiuit. huic subuenire vult succumbenti, iam oppresso Syllanis oneribus, graui sua lege: vt liceat illi inuidiam deponere, pecuniam condere. & vos non dubitatis: quin vo Etigalia vestra vendatis plurimo maiorum vestrorum sanguine, & sudore quæsita? vt Syllanos possessores diutius augeatis, periculo liberetis? Nam ad hanc emptionem Decemuiralem duo genera agrorum spectant Quirites eorum vnum, propter inuidiam domini fugiunt: alterum, propter vastitatem. Syllanus ager à certis hominibus latissimè, cotinuatus tantam habet inuidiam: vt veri ac fortis Tribuni Pl. stridorem vnum perferre non possit. hic ager omnis, quoquo precio coëmptus erit: tamẽ ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum, atq; desertum, emetur ab ijs: qui eos vident sibi esse, si non vendiderint, relinquendos. Et nimirũ istud est, quod ab hoc Tribuno Pl. dictum est in Senatu: vrbanam plebem nimium in Rep. posse, exhauriendã esse. Hoc enim verbo est vsus: quasi de aliqua sentina, ac non de optimorũ ciuium genere loqueretur. Vos verò Quirites, si me audire vultis: retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, vrbis, fori, ludorum festorum dierũ, cæterorum omniũ commodorum. nisi fortè mauultis, relictis his rebus, atq; hac luce Reip. in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentiæ finibus Rullo duce collocari. At dicat quos agros empturus sit: ostendat, & quid, & quibus daturus sit. vt

vt ijs

vero cum omnes vrbes, agros, vectigalia, regna vendiderit: tum harenam aliquã, aut paludes emat, id vos potestis quæsõ concedere? Quanquam illud est egregium: quod hac lege antè omnia veneunt: antè pecuniæ cogũntur, & coaceruantur: quàm gleba vna ematur. deinde emi iubet: ab inuito vetat. quæro, si, qui velint vendere, non fuerint, quid pecunia fiet? & referre in ærarium lex vetat, exigi prohibet. igitur pecuniam omnem decemuiri tenebunt: vobis ager non emetur. vectigalibus abalienatis, sõcijs vexatis, regibus, atq; omnibus gentibus exinanitis, illi pecunias habebunt: vos agros non habebitis. facilè inquit adducentur pecuniæ magnitudine, vt velint vendere. ergo ea lex est: qua nostra vendamus, quanti possimus: aliena emamus, quanti possessores velint. Atq; in hos agros, qui hac lege empti sint: coloniũs ab ijs Decemuiris deduci iubet. quid? omnis ne locus eiusmodi est? vt nihil intersit Reip. colonia deducatur in eum locum, nec ne? an est locus, qui coloniam postulet? est planè rectius & * quo in genere, sicut in cæteris Reip. partibus, est operæ precium diligentiam maiorum recordari: qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt: vt esse non oppida Italiæ, sed propugnacula imperij viderentur: hi deducent colonias in eos agros, quos emerint etiámne si Reip. non expediat? & in quæ loca præterea videbitur? quid igitur est causæ: quin coloniam in Ianiculum possint deducere? & suum præsidium in capite, atq; ceruicibus vestris possint collocare? tu non desinias, quo colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam iudicaris? compleas numero? confirmes præsidio, quo velis? populi Ro. vectigalibus, atq;

galibus, atque omnibus copijs ipsum populum Ro. coërceas? opprimas? redigas in istam Decemuiralem ditionem, ac potestatem? Vt verò totam Italiam suis præsidijs obsidere, atque occupare cogitet, quæsõ Quir. cognoscite. permittit Decemuiris: vt in omnia municipia, in omnes colonias totius Italiæ colonos deducant, quos velint: ijsq; colonis agrum dari iubet. Num obscurè maiores opes, quàm libertas vestra pati potest, & maiora præsidia quæruntur? num obscurè regnum constituitur? num obscurè libertas vestra tollitur? nam cum ijdem omnem pecuniã, maximam multitudinem, id est totam Italiam suis opibus obsidebunt: ijdem vestram libertatem suis præsidijs, & colonijs intercluſam tenebunt: quæ spes tandem? quæ facultas recuperandæ vestræ libertatis relinquetur? At enim ager Campanus hac lege diuidetur orbis terræ pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, vrbem amplissimam, atq; ornatissimam. Atqui quid ad hac possumus dicere? de commodo vestro prius dicam Quirites: deinde ad amplitudinem, & dignitatem reuertar. vt si quis agri aut oppidi bonitate delectetur: nequid expectet, si quem rei dignitas commouet: vt huic simulatæ largitioni resistat. Ac primum de oppido dicam: si quis est fortè, quem Capua magis quã Roma delectat. Quinque millia Colonorum Capuam scribi iubet, ad hunc numerum quingentos sibi singuli sument. Quæsõ nolite vosmetipsos consolari: verè & diligenter considerate. nũ vobis, aut vestri similibus, integris, quietis, ociosis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? si est omnibus vobis, aut maiori vestrum parti, quanquam me, vester bonos vigilare dies, atq; noctes, & intentis oculis omneis Reip. partes intueri iubet: tamẽ pauliſper, si ita cõmo-

dum vestrum fert, conniuebo. sed si quinque hominum millibus ad vim facinus, eademq; delectis, locus, atque vrbs, quæ bellum facere, atq; instruere possit, quæritur: tamen ne patiemini vestro nomine contra vos firmari opes: armari præsidia: vrbes, agros, copias comparari? Nam agrum quidem Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiuerunt. deducent suos: quorum nomine ipsi teneant & fruantur: coëmant præterea: ista dena iugera continuabunt. Nam si dicent per legem id non licere: ne per Corneliam quidem licet. at videmus, vt longinqua mittamus, agrum Prænestinũ à paucis possideri. neq; istorum pecuniis quicquam aliud deesse video: nisi eiusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines, & Cumanorũ, ac Puteolanorum prædiorum sumptus sustentare possit. Quod si vestrum commodum spectat: veniat, & coràm mecum de agri campani diuisione disputet. Quæsiui ex eo Cal. Ian. quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset distributurus. respondit, à Romilia Tribu se initium esse facturum. primũ quæ est ista superbia, & contumelia? vt populi pars amputetur: ordo tribuũ negligatur: antè rusticis detur ager, qui habent: quàm vrbanis, quibus ista agri spes, & iucunditas ostenditur. aut si hoc ab se dictum negat, & satisfacere omnibus vobis cogitat: proferat: in iugera dena describat: ab Otriculana, vsque ad Narniensem nomina vestra proponat. si non modò dena iugera dari vobis: sed ne constipari quidẽ tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis: tamen ne vexari Rempublicã, contemni maiestatem populi Romani, deludi vosmetipsos diutius à Tribuno Pl. patiemini? Quod si posset ager iste ad vos per-

peruenire: nonné eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? vnum ne fundum pulcherrimũ populi Ro. caput vestræ pecuniæ, pacis ornamentum, subsidiũ belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonæ, disperire patiemini? an obliti estis Italico bello amissis cæteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? an ignoratis cætera illa magnifica populi Rom. vectigalia, perleui sæpè momento fortunæ, inclinatione temporis pendere? quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia transmarina vectigalia iuuabunt, tenuissima suspicione prædonum, aut hostium iniecta? At verò hoc agri Campani vectigal, cum eiusmodi est, vt domi sit, & omnibus præsidys oppidorum tegatur: tum neq; bellis infestum, nec fructibus varium, nec cœlo, ac loco calamitosum esse solet. Maiores nostri non solum id quod à Campanis cœperant, non imminuerunt: verumetiam, quod & tenebant, quibus adimi iure non poterat, coëmerunt. Qua de causa nec duo Gracchi, qui de plebis Ro. commodis plurimum cogitauerunt: nec L. Sylla, qui omnia sine vlla religione, quibus voluit, est dilargitus: agrum Campanum attingere ausus est. Rullus extitit, qui ex ea possessione Remp. dimoueret: ex qua nec Gracchorum benignitas eã, nec Syllæ dominatio deiecisset. Quem agrum nunc prætereuntes vestrum esse dicitis: & quẽ pariter qui iter faciunt, externi homines, vestrũ esse audiunt: is cũ erit diuisus: neq; erit, neq; vester esse dicetur. At qui homines possidebũt? primo quidẽ acres, ad vim prompti, ad seditionẽ parati: qui simulac Decemuiri concrepuerint: armati in cives, & expediti ad cedem

esse possint. deinde ad paucos opibus, & copijs affluentes totum agrum Campanum perferri videbitis vobis interea, qui illas à maioribus pulcherrimas vectigalium sedes armis captas accepistis, gleba nulla de paternis, atq; auitis possessionibus relinquetur: ac tantum intererit inter vestram & priuatorum diligentiam: quod cum à maioribus vestris P. Lentulus, Princeps Senatus in ea loca missus esset: vt & priuatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia fundum coëmeret: dicitur renunciasse, nulla se pecunia fundum cuiusdam emere potuisse: eumq; qui nollet vendere, ideò negasse adduci posse vti venderet: quod cum plures fundos haberet, ex illo solo fundo nunquam malum nuncium audisset. itáne verò? priuatum hæc causà commouit? populum Rom. ne agrum Campanum priuatis, gratis Rullo rogante tradat, non commouebit? At quidem populus Romanus de hoc vectigali potest dicere: quod ille de suo fundo dixisse dicitur. Asia multos annos vobis fructum Mythridatico bello non tulit: Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit: Siciliæ ciuitatibus bello fugitiuorum M. Attilius etiam mutuũ frumentum dedit: at ex hoc vectigali nunquam malus nuncius auditus est. cætera vectigalia belli facultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates sustentantur. Deinde in hac assignatione agrorum: ne illud quidem dici potest, quod in cæteris: agros desertos à plebe, atque à cultura hominum liberorum esse non oportere. sic enim dico: si Campanus ager diuidatur: exturbari, & expelli plebem ex agris, non constitui, & collocari. totus enim ager Campanus colitur, & possidetur à plebe optima, & modestissima. quod genus hominum optimè

optimè moratum, optimorum & aratorum, & militum, ab hoc plebicola tribuno Pl. funditus eiicitur. atq; illi miseri nati in illis agris, & educati, glebis subigendis exercitati, quo se subitò conferant, non habebunt. his robustis, & valentibus, et audacibus Decemuirûm satellibus agri Campani possessio tota tradetur. & vt vos nunc de vestris maioribus prædicatis, hunc agrum nobis maiores nostri reliquerunt: sic vestri posteri de vobis prædicabunt: hunc agrum patres nostri acceptum à patribus suis perdiderunt. Equidem existimo, si iam Campus Martius diuidatur: & vnicuiq; vestrum, vbi consistat, bini pedes assignentur: tamen promiscuè toto, quam propriè parua frui parte malletis. quare etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro peruenturum: qui vobis ostenditur, alys comparatur: tamen honestius eum vos vniuersi, quàm singuli possideritis. nunc verò cũ ad vos nihil pertineat: sed paretur alys, eripiatur vobis nõ ne acerrimè tanquam armato hosti, sic huic legi pro vestris agris resistetis? Adiungit Stellatẽ campum agro Campano: & in eo duodena describit in singulos homines iugera. quàsi verò paulũ differat ager Campanus, ac Stellatis. Et multitudo Quirites quæritur: qua illa omnia oppida compleantur. nam dixi anteà, lege permitti, vt quæ velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt. Theanum oppriment: Atellam, Cumas, Neapolin, Pompeios, Nuceriam suis præsidijs deuincient. Puteolos verò, qui nunc in sua potestate sunt: suo iure libertateq; vtuntur, totos nouo populo, atque aduentitys copys occupabunt. tunc illud exilium Campanæ coloniæ, vehementer huic imperio timendum, Capua

à Decemuiris inferetur: tunc contra hanc Romam communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur. In id oppidum homines nefarij Remp. nostram transferre conantur: quo in oppido maiores vestri nullam omninò Remp. esse voluerunt: qui tres solum vrbes in terris omnibus Carthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperij grauitatem ac nomen sustinere. deleta Carthago est: quod cum hominum copijs, tum ipsa natura, ac loco succincta portibus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere ita fructuosissimis insulis populi Rom. videbatur. Corinthi vestigium vix relictum est. erat enim posita in angustijs, atq; in faucibus Græciæ: sic vt terra claustra locorum teneret: & duo maria maximè nauigationi diuersa penè coniungeret: cũ pertenui discrimine separarentur. hæc, quæ proculerant à conspectu imperij, non solum afflixerunt, sed etiam ne quando recreata exurgere, atque erigere se possent, funditus vt dixi, sustulerunt. de Capua multum est, & diu consultum. extant literæ Quirites publicæ: sunt senatusconsulta complura. statuerunt homines sapientes: si agrum Campanis ademissent: magistratus, Senatum, publicum exilla vrbe consilium, sustulissent: imaginem Reip. nullam reliquissent: nihil fore quod Capuã timeremus. Itaq; hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis: vt esset vrbs: quæres eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset: vt esset locus comparandis, condendisq; fructibus: vt aratores cultu agrorum defessi, vrbis domicilijs vterentur: iccircò illa ædificia nõ esse deleta. Videte quantũ interuallum sit interiectũ, inter maiorum nostrorum consilia, & inter istorum hominum

minum dementiam. illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellã atq; horreum Campani agri esse voluerunt. hi expulsis aratoribus, effusis, ac dissipatis fructibus vestris, eandem Capuam sedem nouæ Reip. constituunt, molem contra veterem Remp. comparant. quod si maiores nostri existimassent, quenquam in tam illustri imperio, & tam præclara populi Romani disciplina, Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos duos adhuc videmus, qui hanc Remp. Capuã totam transferre vellent) profectò nomen illius vrbis non reliquissent. verũ arbitrabantur Corintho & Carthagini etiamsi Senatũ & magistratum sustulissent, agrũq; ciuibus ademissent: tamen non defore, qui illa restituerent, atque qui antè omnia cõmutarent, quàm nos audire possemus: hic verò in oculis S. P. Q. R. nihil posse existere: quod non antè extingui, atq; opprimi posset: quam planè exortum, ac natum esset. neq; verò ea res fefellit homines diuina mente, & consilio præditos. nam post Q. Fuluium, Q. Fabium Conss. quibus Consulibus Capua deuicta, atque capta est: nihil est in ea vrbe contra hanc Rempub. non dico factum, sed nihil omninò excogitatum. multa postea bella gesta cum regibus, Philippo, Antiocho, Perse, Pseudophilippo, Aristonicho, Mythridate, & cæteris. multa præterea bella grauia Carthaginensium, Corinthium, Numantinum, multæ in hac Repu. seditiones domesticæ, quas prætermitto: bella cum sociis, Fregellanum, Marsicum: quibus omnibus domesticis, externisq; bellis Capua non modo non obfuit, sed opportunissimam se nobis præbuit, & ad bellum instruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis, ac sedibus suis recipiendos. homines non inerant in vrbe

qui malis concionibus, turbulentis senatusconsultis, iniquis imperijs Rempu. miscerent: & rerum nouarũ causam aliquam quærerent. neq; enim concionandi potestas erat cuiquam, nec consilij capiundi publici. non gloriæ cupiditate efferebantur: propterea, quod vbi honos publicè non est, ibi gloriæ cupiditas esse non potest. non concione, non ambitione discordes. nihil enim supererat, de quo certarent: nihil, quod contra peterent: nihil, vbi dissiderent. Itaq; illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam, ratione, & consilio maiores nostri ad inertissimum, & desidiosissimum ocium perduxerunt. sic & crudelitatis infamiam effugerunt: quod vrbem ex Italia pulcherrimã non sustulerunt. & multum in posterum prouiderunt, quod neruis vrbis omnibus exectis vrbem ipsam solutam, ac debilitatam reliquerunt. Hæc consilia maiorum M. Bruto, vt antea dixi, reprehendenda, & P. Rullo visa sunt: neque te P. Rulle omnia illa M. Bruti, atque auspicia à simili furore deterrent. nam & ipse qui deduxit: & qui magistratum Capuæ & Leocreanti * cœperunt: & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt. Et quoniam Bruti, atq; illius temporis feci mentionem: commemorabo id quod egomet vidi, cum venissem Capuam, coloniam deductam L. Considio, & Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, Prætoribus: vt intelligatis quantã locus ipse afferat superbiam: quæ paucis diebus, quibus illò colonia deducta fuit, perspici atque intelligi potuit. nam primum id quod dixi, cum cæteris in colonijs Duumuiri appellantur: hi, se Prætores appellari volebant. Quibus primus annus, hanc cupiditatem attulisset:

attulisset: nonne arbitramini paucis annis fuisse consulũ nomen appetituros? deinde anteibant lictores, non cum bacillis, sed vt hîc Prætoribus anteeunt, cum fascibus duobus. erant hostiæ maiores in fõro constitutæ: quæ ab his Prætoribus de tribunali, sicut à nobis consulibus de consilij sententia probatis, ad præconem, & ad tibicinem immolabantur. deinde Patres Conscripti vocabantur. Iam verò vultum Considij videre ferendum vix erat: quem hominem vt grandi macie torridum, Romæ contemptũ, abiectum videbamus: hunc Capuæ Campano supercilio, ac regio spiritu cum videremus: Magios, Blossios mihi videbar illos videre, ac Iubellios. Iam verò qui metus erat tunicatorũ illorum? & in Albana, et Seplasia, quæ concursatio percontantiũ, quid Prætor edixisset? vbi cœnaret? quid enunciasset? nos autem, hinc Roma qui veneramus: iam non hospites, sed peregrini, atq; aduenæ nominabamur. hæc qui prospexerint, maiores nostros dico Quirites: non eos in deorum immortalium numero, venerandos à nobis, & colendos putatis? quid enim viderunt? hoc quod nunc vos quæsõ perspicite, atq; cognoscite. non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis, ac seminis: quàm ex his rebus, quæ ab ipsa natura loci & à vitæ consuetudine suppeditantur: quibus alimur, & viuimus. Carthaginenses fraudulenti, & mendaces, non genere, sed natura loci: quod propter portus suos multis & varijs mercatorum sermonibus, studium fallendi, studio quæstus vocabantur. Ligures, montani, duri, atq; agrestes: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quæsitum. Campani semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis

salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atq; omnium rerum affluentia, primum illa nata sunt: arrogantia, quæ à maioribus nostris alterum Capua Consulem postulauit. deinde ea luxuries, quæ ipsum Annibalem armis etiam tum inuictum, voluptate vicit. Huc isti Decemuiri cum numerũ colonorũ ex lege Rulli deduxerint: centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices constituerint: quos illorũ animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romã in montibus positam, & conuallibus, cœnaculis sublatam, atq; suspensam, non optimis vijs, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicata; ac præ illis semitis irridebunt, atq; contemnent. agros verò Vaticanum & Pupiniam cum suis optimis, atq; vberibus campis conferendos scilicet non putabunt. oppidorum autem finitimorũ illam copiam cum hac perrisum, ac per iocum contemnẽt: Labicos, Fidenos, Collatiã, ipsum hercle Lanuium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeijs, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus elati, & inflati fortasse non continuò, sed certè, si paulum assumpserint vetustatis, ac roboris, non continebuntur: progredientur longius: efferentur. Singularis homo priuatus, nisi magna sapientia præditus, vix facilè sese regionibus officij, magnis in fortunis, & copijs continet: nedum isti ab Rullo, & Rulli similibus conquisiti, atq; electi coloni, Capuæ, in domicilio superbiæ, atque in sedibus luxuræ collocati, non statim conquisituri sint, aliquid sceleris & flagitij. imò verò etiam hoc magis, quàm illi veteres, germaniq; campani: quod in vetere fortuna illos natos, & educatos, nimia tamen rerum omnium copia deprauabant. hi ex summa

summa egestate, in eandem rerum abundantiam tradu cti, non solum copia, verumetiam insolentia commouebuntur. Hæc tu P. Rulle M. Bruti sceleris vestigia, quã monumenta maiorum sapientiæ sequi maluisti. hæc tu cũ istis tuis actoribus excogitasti: vt vetera vectigalia venderetis, & expleretis noua. Vrbi Capuam ad certamen dignitatis opponere vis: vt sub vestrũ ius, iurisdictionẽ, potestatem, vrbes, nationes, prouincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem subiungeretis: vt cum omnem pecuniã ex ærario exhausissetis: ex vectigalibus redigissetis: ab omnibus regibus, gentibus, Imperatoribus nostris coëgissetis: tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent: vt ijdem partim inuidiosos agros à Syllanis possessoribus, partim desertos, ac pestilentes, à vestris necessarijs, vobismetipsis emptos, quanti velletis populo Rom. induceretis: vt omnia municipia, coloniasq; Italiæ, nouis colonis occuparetis: vt quibuscunq; in locis vobis videretur, ac quã multis videretur, colonias collocaretis: vt omnẽ Remp. vestris militibus, vestris vrbibus, vestris præsidijs cingeretis: atq; oppressam teneretis: vt ipsum Cn. Pompeiũ, cuius præsidio sæpissime pop. Ro. contra acerrimos hostes, & contra improbissimos ciues victor est. proscribere, easq; horũ cõspectu priuare posse tis: vt nihil auro, & argento violari, nihil numero, & suffragijs declarari, nihil elata manu perfringi posset: quod nõ vos oppressum, atq; ereptũ teneretis: vt volitaretis interea p gentes, per regna omnia cũ imperio summo, cũ iudicio infinito, cũ omni pecunia: vt veniretis in castra Cn. Pompey: atq; ipsa castra, si cõmodũ vobis esset, vẽderetis: vt interea magistratus reliquos legibus omnibus soluti, sine metu iudiciorum, sine periculo

culo petere posſetis: vt nemo ad populum Rom. vos adducere: nemo producere: non Senatus cogere: non Consul coërcere: non Tribunus Plebis retinere posſit.

Hæc ego vos cõcupiſſe pro veſtra ſtultitia, atq; intemperantia non miror: ſperaſſe me consule aſſequi poſſe, demiror. Nam cum omnium Conſulum grauis in Repub. cuſtodienda cura, ac diligentia debet eſſe: tum eorum maximè, qui non in cunabilis, ſed in Campo ſunt Conſules facti. nulli populo Ro. pro me maiores mei ſpoponderunt: mihi creditum eſt: à me petere, quod debeo, me ipſum appellare debetis. quemadmodum cum petebam, nulli me vobis authores generis mei commendarunt: ſic ſi quid deliquero: nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. Quare modo vt vita ſuppetat: quanquam ego ſum is qui eam poſſum ab iſtorũ ſcelere, inſidyſq; defendere: polliceor hoc vobis Quir. bona fide Remp. vigilanti homini, non timido, diligenti, non ignauo, cõmiſiſtis. Ego is conſul qui concionem metuam? qui Tribunos Pl. perhorreſcam? qui ſæpe & ſine cauſa tumultuer? qui timeam ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi Tribunus Pl. duci iuſſiſſet? ego nondum veſtris armis armatus, inſignibusq; ampliſſimis ornatus, imperio, authoritate, non horrui in hunc locum progredi poſſe: vobis authoribus improbitati hominis reſiſtere. nunc verear ne Reſp. tantis munita præſidys ab iſtis vinci aut opprimi poſſit? ſi antea timuiſſem: tamen hac concione, hoc populo certè nen vererer. quis enim vnquam tam ſecunda concione legem Agrariam ſuaſit, quàm ego diſuaſi? ſi hoc diſſuadere eſt, ac non diſturbare, ac peruertere? Ex quo intelligi Quir. poteſt, nihil eſſe tam populare: quàm id, quod ego vobis in hunc annum Conſul popularis affero: pacẽ tranquillitatem,

tranquillitatem, ocium. quæ nobis deſignatis timebatis: ea ne accidere poſſent, conſilio meo, ac ratione prouiſa ſunt. non modo vos eritis in ocio, qui ſemper eſſe voluerat is: verumetiam iſtos, quibus ocioſi negocium feciſſemus: ocioſiſſimos reddam. etenim illis honores, poteſtates, diuitiæ, ex tumultu, atq; ex diſſentionibus ciuium comparari ſolent. vos, quorum gratia in ſuffragijs conſiſtit: libertas in legibus. honos in iudicijs, & æquitate: magiſtratus & res familiaris in pace: omni ratione otium tenere debetis. nam & ſi ij qui propter deſidiam in otio viuunt, tamen in ſua turpi inertia capiunt voluptatem: ſub ipſo otio, quo vos fortunam regitis, ſi hunc ſtatum quem habetis eſſe meliorem non ignoratis, non vt quæſitum, ſed vita partum otium tenueritis. Quod ego & concordia, quam mihi conſtitui cum Collega, inuitiſſimis ijs hominibus, quos in conſulatũ inimicos eſſe & animis, corporis actibus prouidi, omnibus proſpexi ſanè & reuocaui. idem Tribuno Pl. denunciaui quid turbulenti me Conſule conflaret. Summum et firmiſſimum eſt illud communibus fortunis præſidium Quirites: vt quales vos hodierna die maxima concione mihi pro ſalute veſtra præbuiſtis: tales reliquis temporibus populi Ro. præbeatis. pro certo polliceor hoc vobis, atq; confirmo, me eſſe perfecturum. vt iam tandem illi, qui honori inuiderunt meo: tamen vos vniuerſos in Conſule deligendo plurimum vidiſſe fateantur.

DE

DE LEGE AGRARIA. CONTRA RVLLVM TR. PL. AD POPVLVM ORATIO XVII.

COmmodius fecissent Tribuni plebis Quirites: si quæ apud vos de me deferunt: ea coràm potius me præsente dixissent. nam & æquitatem vestræ disceptationis, & consuetudinem superiorum, & ius suæ potestatis retinuissent. sed quoniam adhuc præsens certamen, contentionemq; fugerunt: nunc, si videtur eis, in meam concionem prodeant: & quò prouocati à me, venire noluerunt, reuocati saltem reuertantur. Video quosdam Quirites strepitu significare nescio quid: & non eosdem vultus, quos proxima mea concione præbuerunt: in hanc concionem mihi retulisse. quare à vobis, qui nihil de me credidistis: vt eam voluntatem, quam semper habuistis erga me, retineatis, peto. à vobis autem, quos leuiter immutatos esse sentio: paruam exigui temporis vsuram, bonæ de me opinionis postulo: vt eam, si quæ dixero, vobis probabo: perpetuo retineatis. sin aliter, hoc ipso in loco depositam, atque abiectam relinquatis. Completi sunt animi auresq; vestræ Quirites: me gratificantem septem Tyrannis, cæterisq; Syllanarum assignationum possessoribus, Agrariæ legi, & commodis vestris obsistere. hæc si qui crediderunt: illud prius crediderint necesse est: hac lege Agraria, quæ promulgata sit, adimi Syllanos agros, vobisq; diuidi: aut deniq; minui priuatorum obsessiones, vt in eas vos deducamini. Si ostendo, non modo non adimi cuiquam

quam glebam de Syllanis agris: sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissimè confirmari, atq; sanciri: si doceo agris his qui à Sylla sunt dati: si diligenter Rullum sua lege cõsulere: vt facilè appareat eam legem, non à vestrorum commodorum patrono, sed à Valgij genero esse conscriptã: nunquid id est causæ Quirites? quin illa criminatione, qua in me absentem vsus est, non solum meam, sed etiam vestrã diligentiam, prudentiamq; despexerit? Caput est legis XL. de quo ego consulto Quir. neq; apud vos antè feci mentionẽ: ne aut refricare obductam iam Reip. cicatricem viderer, aut aliquid alienissimo tempore nouæ dissensionis commouere. neq; verò nunc ideo disputabo: quod hunc statum Reip. non magnopere defendendum putem: præsertim qui ocij, & concordiæ patronum me in hunc annum Reip. confessus sim: sed vt doceam Rullum posthac in his saltem tacere rebus: in quibus de se & de suis factis taceri velit. Omnium legum iniquissimam, dissimillimamq; legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sylla tulit: vt omnia quæcunq; ille fecisset: essent rata. nam cum cæteris in ciuitatibus Tyrannis institutis, leges omnes extinguantur, atq; tollantur: hic Reip. Tyrannum lege constituit. est inuidiosa lex, sicut dixi. verumtamen habet excusationem. non enim videtur hominis lex esse, sed temporis, quid si est hæc multo impudentior? Nam Valeria lege, Cornelys legibus eripitur, cum datur: coniungitur impudens gratificatio cũ acerba iniuria. sed tamen habet in illis legibus spem nonnullam ille cui ademptus est: aliquem scrupulum cui datus est. Rulli cautio est hæc: QVAE POST C. MARIVM, CN. PAPIRIVM CONSVLES.

LES. quàm procul à suspicione fugit: quod eos Consules, qui aduersary Syllæ maximè fuerunt, potissimum nominauit. si enim Syllam Dictatorem nominasset: perspicuum fore, & inuidiosum arbitratus est. Sed quem vestrum tuam tardo ingenio putauit? cui post eos Consules Syllam Dictatorem fuisse in mentem venire non posset? quid ergo Marianus Tribunus Pl. qui nos Syllanos in inuidiam rapit? QVÆ POST MARIVM ET CARBONEM CONSS. agros, ædificia, lacus, stagna, loca, possessiones, cœlum & mare prætermisit: cætera complexus est. PVBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA CONCESSA SVNT. à quo Rulle? post Marium & Carbonem Conss. quis assignauit? quis dedit? quis concessit, præter Syllam? EA OMNIA EO IVRE SINT. quo iure? labefactat videlicet nescio quid nimium acer, nimium vehemens Tribunus Pl. Syllana rescindit. VT QVAE OPTIMO IVRE PRIVATA SINT. etiámne meliore, quàm paterna, & auita? meliore. at hoc valeria lex non dicit? Corneliæ leges non sanciunt: Sylla ipse non postulat. si isti agri partem aliquam iuris, aliquam similitudinem propriæ possessionis, aliquam spem diuturnitatis attingunt: nemo est tam impudens istorum: quin agi secum præclarè arbitretur. tu verò Rulle, quid quæris? quod habent, vt habeant? quis vetat? vt priuatum? sed ita latum est: vt melior tui soceri fundus Irpinus sit: siue ager Irpinus (totum enim possidet) quàm meus paternus auitusq; fundus Arpinas. id enim caues. optimo enim iure ea sunt profectò prædia, quæ optima conditione sunt: libera, meliore iure sunt, quàm serua. capite hoc, omnia quæ seruiebant: non

uiebant: non seruient. soluta meliore in causa sunt, quàm obligata. eodem capite obligata omnia, si modo Syllana sunt, liberantur. immunia commodiore conditione sunt, quam illa quæ pensitant. Ego Thusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam: quia à municipio fundum accepi: si à Sylla mihi datus esset, Rulli lege non penderem. Video vos Quir. sicuti res ipsa cogat, commoueri, vel legis, vel orationis impudentia. legis, quæ ius melius Syllanis prædijs constituat, quàm paternis. orationis, quæ eiusmodi causa insimulare quenquam audeat, rationes Syllæ nimium vehementer defendere. At si illa solum sanciret, quæ à Sylla essent data, tacerem: modò ipse se Syllanum esse confiteretur. sed non modò illis cauet: verum etiam aliud quoddam genus donationis inducit: & is, qui à me Syllanas possessiones defendi criminatur: nõ eas solum sancit: verum ipse nouas assignationes instituit: & repentinus Sylla nobis exoritur. nam attendite quantas concessiones agrorum hic noster oburgator vno verbo facere conetur. QVÆ DATA, DONATA, CONCESSA, VENDITA. patior: audio, quid deinde? POSSESSA. hoc Tribunus Pl. promulgare ausus est? vt quod quisq; post Marium & Carbonem conss. possidet: id eo iure teneret, quo optimo priuatum. etiámne si vi eiecit? etiámne si clàm, si precario venit in possessionem? Ergò hac lege ius ciuile, causæ possessionum, Prætorum interdicta tollentur. non mediocris res, neq; paruum sub hoc verbo futurum Quirites latet. sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati, neque venditi: qui à paucis hominibus impudentissimè possidentur. his cauet: hos defendit: hos priuatos facit: hos inquã agros, quos Sylla nemini dedit: Rul-

lus non vobis assignare vult: sed eis condonare, qui possident. Causam quæro, cur ea, quæ maiores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hispanys, Macedonia, Asia, quæsierunt, venire patiamini? cũ, ea, quæ vestra sunt condonari possessoribus eadem lege videatis? Iam totam legem intelligetis cum ad paucorum dominationum scripta sit: tum ad Syllanæ assignationis rationes esse accommodatissimã. nam socer huius vir multum bonus est: neq; ego nunc de illius bonitate, sed de genere impudentiæ disputo. ille enim quod habet retinere vult: neq; se Syllanum esse dissimulat. hic vt ipse habeat, non habet: quæ dubia sunt, per vos sancire vult: & cũ plus appetat quàm ipse Sylla: quibus ego rebus resisto, Syllanas res defendere criminor. habet agros nõnullos, inquit, socer meus desertos, atque longinquos: vendet eos mea lege quanti volet. habet incertos, ac nullo iure possessos: confirmabuntur optimo iure. habet publicos: reddã priuatos. denique eos fundos, quos in agro Cassinati optimos, & fructuosissimos cõtinuauit: cum vsq; eò vicinos proscriberet: quoad oculos cõtinuando, ex multis prædys vnã fundi regionẽ, formamq; perfecerit: quos nunc cum aliquo metu tenet: sine vlla curæ possidebat. Et quoniam qua de causa, & quorũ causã ille hoc promulgauit, ostendi: doceat ipse, num ego quem possessorem defendam, cum Agrariæ legi resisto? Syluam Scantiam vendis. Resp. possidet, defendo. Campanum agrũ diuidis. vos estis in possessione. non cedo. deinde Italiæ, Siciliæ, cæterarumq; prouinciarũ possessiones venaleis, ac proscriptas hac lege video. vestra sunt prædia, vestræ possessiones. resistam, atque repugnabo: neq; patiar à quoquam populum Romanum de suis possessionibus me Consule dimoueri. præsertim cũ vobis

nihil

nihil quæratur. hoc enim vos in errore versari diutius non oportet. nunquis vestrum ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus est? nemo. atq; ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, & præclara illa Capua seruatur. exercitus contra vos, contra libertatem vestram, contra Cn. Pompeium constituitur: contra hanc vrbem Capuam, contra vos manus hominum audacissimorum, contra Cn. Pompeium decem duces comparantur. Veniant coràm: & quoniam me in vestram concionem vobis flagitantibus conuocarunt, disserant.

PRO C. RABIRIO, PERDVELLIONIS REO, AD QVIRITES. ORATIO XVIII.

ETSI Quirites non est meæ consuetudinis initio dicendi rationem reddere, quare causa quemq; defendam: propterea quod cum omnibus ciuibus in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij proponenda ratio videtur esse officij mei: propterea, quod quæ iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est: eadē vobis ad absoluendum debet videri. nam me cum amicitiæ vetustas, tū dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum verò vt id studiosissimè facerem, salus Reipublicæ, consulare officium, consulatus deniq; ipse mihi vnà vobiscum cum salute Reip. commendatus, coëgit. non enim C. Rabirium culpa delicti, non inuidia, vitæq; turpitudo, nō deniq; veteres, iustæ, grauesq; inimicitiæ ciuium in discrimen capitis vocauerunt sed vt illud summū auxilium maiestatis, atq; imperij, quod nobis à maioribus est traditum, de Rep. tolleretur: vt nihil posthac authoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum, contra pestē, ac perniciem ciuitatis valeret: iccircò in his rebus euertendis vnius hominis senectus, infirmitas, solitudoq; tentata

tuta est. Quamobrem si est boni consulis, cum cuncta auxilia Reip. labefactari conuelliq; videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti, fortunisq; communibus, implorare ciuium fidem, suā salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorū & fortium ciuium, quales vos omnibus Reip. temporibus extitistis, intercludere omneis seditionū vias, munire prædia Reipublicæ, summum in consulibus imperium: summū in Senatu consilium, putare: ea qui secutus sit, laude potius, & honore, quam pœna, & supplicio dignum iudicare. Quamobrem labor in hoc defendendo præcipuè meus est: studium verò conseruandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit. sic enim existimare debetis Quirites: post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neq; à Tribuno pl. susceptam, neque à consule defensam, neque ad populum Rom. esse delatam. agitur enim nihil aliud in hac causa Quirites, nisi vt nullum sit posthac in Respublica publicum consilium: nulla bonorum consensio contra improborū furorem, & audaciam: nullum extremis Reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis. Quæ cum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse est ab Ioue Optimo Maximo, cæterisq; dys deabusq; immortalibus, quorum ope, & auxilio multò magis hæc Respu. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto: precorq; abys, vt hodiernū diem, & ad huius salutem conseruandam, & ad Remp. constituendam, illuxisse patiantur. deinde vos Quirites, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro: quoniam vno tem-

pore vitæ C. Rabirij hominis miserrimi, atq; innocentissimi. salus Reipublicæ vestris manibus suffragijsq; permittitur: adhibeatis in hominis fortunis misericordiam: in Reipu. salute sapientiam, quam soletis. Nunc quoniam T. Labiene diligentiæ meæ, temporis angustijs obstitisti: meq; ex comparato, & constituto spacio defensionis, in semihoræ curriculum coegisti: parebitur & quod iniquissimum est, accusatoris conditioni: & quod miserrimum, inimici potestati. quanquam in hac præscriptione semihoræ, patroni mihi partes reliquisti: Consulis ademisti: propterea quod ad defendendū propemodum satis erit hoc mihi temporis: verum ad conquerendum parum. nisi forte de locis religiosis, ac delubris, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas. quo in crimine nihil est vnquā abs te dictū: nisi à C. Macro obiectum esse crimen id C. Rabirio. in quo ego demiror, meminisse te quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus: oblitum esse, quid æqui & iurati iudices iudicarint. An de peculatu facto, an de tabulario incenso, longa oratio est exprimenda? quo in crimine propinquus C. Rabirij iudicio clarissimo C. Curtius pro virtute sua, est honestissimè liberatus: ipse verò Rabirius non modo in iudicium horum criminū, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo est vnquam vocatus. An de sororis filio diligentius respondendum est? quem ab hoc necatum esse dixisti: cum ad iudicij moram familiaris funeris excusatio quæreretur. quid enim est tam verisimile? quàm chariorem huic sororis maritum, quàm sororis filium fuisse? atque ita chariorem, vt alter vita crudelissimè priuaretur, cum alteri ad prolationem iudicij biduum quæreretur, An

de seruis

de seruis alienis contra legem Fabiam retentis, aut ciuibus Romanis contra legem Portiam verberatis, aut necatis, plura dicenda sunt? cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, singulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur? cumq; ad eius propulsandū periculum non modò homines, sed propè regiones ipsæ conuenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quàm ipsius vicinitatis nomen, ac termini postulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparē? quod est in eadem mulctæ irrogatione præscriptum: hunc ne suæ nec alienæ pudicitiæ pepercisse? quin etiam suspicor eo mihi semihoram à Labieno præstitutam esse: vt ne plura de pudicitia dicerem. Ergò ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam desiderant, intelligis mihi semihoram istam nimium longam fuisse: illam alteram partem de necē Saturnini nimis exiguam, atque angustam esse voluisti: quæ non oratoris ingenium: sed Consulis auxilium implorat, & flagitat. nam de perduellionis iudicio, quod à me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirij. quod vtinam Quirites ego id aut primus, aut solus ex hac Rep. sustulissem: vtinam, quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meæ laudis esset. quid enim optari potest, quod ego mallem: quàm me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? sed ista laus primum est maiorum nostrorum Quirites: qui expulsis regibus, nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt. deinde multorum virorum fortium: qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. quamobrem vter nostrum tan-

dem Labiene popularis est? tu ne? qui ciuibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putat oportere? qui in campo Martio comitijs centuriatis auspicato in loco crucem ad ciuium supplicium defigi, & cõstitui iubes? an ego? qui funestari concionẽ contagione carnificis veto: qui expiandum forum populi Ro. ab illis nefarij sceleris vestigijs esse dico: qui castam concionem, sanctum Campum, inuiolatum corpus omnium ciuiũ Ro. integrum ius libertatis defendo seruari oportere? popularis verò Tribunus plebis, custos, defensorq; iuris, & libertatis. Portia lex virgas ab omnium ciuium Ro. corpore amouit, hic misericors flagella retulit. Portia libertatẽ ciuium lictori eripuit. Labienus homo popularis carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit ne de capite ciuiũ Ro. iniussu vestro iudicaretur. hic popularis à Duumuiris iniussu vestro: non iudicari de ciue Ro. sed indicta causa ciuem Ro. capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Portiæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, ta cuiusquam deniq; hominis popularis, mentionem facis: qui non modò supplicijs inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatẽ huius populi, tentare mansuetudinem, cõmutare disciplinam conatus es? nanq; hæc tua quæ te hominem clementem, popularemq; delectant: I lictor, colliga manus: quæ non modò huius libertatis mansuetudinisq; non sunt: sed ne Romuli quidem aut Numæ Pompily: sed Tarquinij superbissimi atq; crudelissimi Regis ista sunt cruciatus carmina: quæ tu homo lenis ac popularis libentissimè commemoras: caput obnubito: arbori infelici suspẽdito: quæ verba Quir. iam pridem in hac Repub. non solum tenebris vetustatis, verumetiam luce libertatis

tatis oppressa sunt. An verò, si actio ista popularis esset, & si vllam partem æquitatis haberet, aut iuris: C. Gracchus eam reliquisset? scilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit? quàm. C. Graccho fratris: & tibi acerbiore eius fratris mors est, quem nunquam vidisti: quàm illi eius fratris, qui cum concordissimè vixerat? & similis viri tu vlciscere patrui mortem, atq; ille persequeretur fratris sui: si ista ratione agere voluisset? & par desiderium sui reliquit apud populum Ro. Labienus iste patruus vester, quisquis fuit, & Tib. Gracchus reliquerat? an pietas tua maior, quàm Gracchi? an animus? an consilium? an opes? an authoritas? an eloquentia? quæ si in illo minima fuissent: tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. cum verò his rebus omnibus C. Gracchus omneis vicerit: quantũ intervallum tandem inter te atq; illum interiectum putas? Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus: quàm in eius concione carnifex consisteret: quem non modo fõro, sed etiam cœlo hoc, ac spiritu Censoriæ leges, atq; vrbis domicilio carere voluerunt. hic se popularem dicere audet? me alienum à commodis vestris? cum iste omneis, & suppliciorũ, & verborum acerbitates, non ex memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis, atque ex Regum commentarijs conquisierit: ego omnibus meis opibus, omnibus consilijs, omnibus dictis, atq; factis repugnarim, & restiterim crudelitati. Nisi fortè hanc conditionem vobis esse vultis: quam serui, si libertatis spem propositam non haberent: ferre nullo modo possent. misera est ignominia iudicio rum publicorum, misera mulctatio bonorum: miserum exilium: sed tamẽ in omni calamitate retinetur aliquod

vestigium libertatis. mors denique si proponitur, in libertate moriamur. Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis absit, non modo à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus. harũ enim omnium rerum non solum euentus, atq; perpessio, sed etiam cõditio, expectatio, mentio ipsa denique indigna ciue Ro. atq; homine libero est. An verò seruos nostros horum suppliciorum omnium metu, dominorum benignitas vna vindicta liberauit: nos à verberibus, ab vnco, à crucis denique terrore, neq; res gestæ, neque acta ætas, neq; nostri honores vindicabunt? quamobrem fateor: atq; etiam T. Labiene profiteor: & præ me fero: te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, sed Regia, meo consilio, virtute, authoritate esse depulsum. quatũ in actione, quanq; omnia exempla maiorum, omneis leges, omnem authoritatẽ Senatus, omneis religiones, atque auspiciorum publica iura neglexisti: tamen à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non audies. liberum tempus nobis dabitur ad istam disceptationem. nunc de Saturnini crimine, ac de clarissimi patrui tui morte dicemus. Arguis occisum esse à C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum testimonijs, Q. Hortensio copiosissimè defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem si mihi esse integrum: susciperem hoc crimen: agnoscerem: confiterer. vtinam hanc mihi facultatem causa concederet, vt possem hoc prædicare: C. Rabirij manu, L. Saturninum hostem populi Ro. interfectum. nihil me clamor iste commouet, sed consolatur: cum indicat esse quosdam ciueis imperitos, sed non multos. nunquam mihi credite; populus Ro. hic qui silet, consulẽ me fecisset: si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. quanto iam

iam leuior est acclamatio. quin continetis vocem indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis. libenter inquam confiterer, si verè possem: aut etiam si mihi esset integrũ: C. Rabirij manu, L. Saturninum esse occisum. & id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. Sed quoniam id facere non possum: confitebar id, quod ad laudem minus valebit: ad crimen non minus. Confiteor interficiendi Saturnini causa, C. Rabirium arma cœpisse. quid est Labiene? quam à me grauiorem confessionem, aut quod in hunc maius crimen expectas? nisi verò interesse aliquid putas, inter eum, qui hominem occidit: & eum qui cum telo occidendi hominis causa fuit. si interfici Saturninum nefas fuit: arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt. si arma iure sumpta concedis, interfectum iure concedas necesse est.

desunt quædam.

Fit S.C. vt C. Marius, L. Valerius consules adhiberent Tribunos Pl. & Prætores, quos eis videretur: operamq; darent vt imperium populi Roma. maiestasq; conseruaretur. adhibent omneis Tribunos Pl. præter Saturninũ. præter Glauciam: qui Remp. saluam esse vellent, arma capere, & se sequi iubent. parent omnes. ex ædificijs, armamẽtarijsq; publicis arma populo Romano. C. Mario consule distribuente dantur. Hîc iam, vt omittam cætera,

ra, de te ipsō Labiene quæro: cum Saturninus Capitolium teneret: armatus esset vna C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus, atq; ergastulo Gracchus: addam, quoniam ita vis, eodem Q. Labienum patruum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus coss. post cunctus Senatus: atq; ille Senatus, quem etiā vos ipsi, qui hos P. Conscriptos qui nunc sunt, in inuidiā vocatis. quo facilius de hoc Senatu detrahere possitis: laudare consueuistis. cum equester ordo: at quorum equitum Ro. dy immortales? patrū nostrorum atq; eius ætatis. quæ tum magnam partē Reip. atq; omnem dignitatem iudiciorum tenebat: cū omnes omnium ordinum homines, qui in salute Reip. salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cœpissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? de te ipsō inquam Labiene quæro. cum ad arma consules ex S. Consulto vocauissent: cum armatus M. Æmilius princeps Senatus in comitio constitisset: qui cum ingredi vix posset: non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat? cum deniq; Q. Scæuola confectus senectute, præditus morbo, mancus, & mēbris omnibus captus, ac debilis, hastili nixus, & animi vim, & infirmitatem corporis ostenderet: cum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus omnesq; qui tum erant consulares: pro salute communi arma cœpissent: cum omnes Prætores, cuncta nobilitas, ac iuuentus accurreret: C. & L. Domitius, L. Crassus, Q. Mutius, C. Claudius, M. Drusus, cum omnes Octauy, Metelli, Iuly, Cassy, Catones, Pompey, cum L. Philippus, L. Scipio, cum M. Lepidus, cum D. Brutus, cum hic ipse P. Seruilius, quo tu imperatore Labiene meruisti. cum hic

hic Q. Catulus admodum tum adolescens, cum hic C. Curio, cum deniq; omnes clarissimi viri cum consulibus essent: quid tandem C. Rabirium facere conuenit? vtrum inclusum atq; abditū latere in occulto, atq; ignauiam suam tenebrarum ac parietum custodijs tegere? an in Capitolium pergere: atq; ibi se cum tuo patruo & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scæuola, cum bonis deniq; omnibus coire non modo salutis, verum etiam periculi societatem? Tu deniq; Labiene quid faceres tali in re ac tempore? cum ignauiæ ratio te in fugam atq; in latebras impelleret: improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret: consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent: quam tandem authoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? patruus inquit meus cum Saturnino fuit. quid pater? qui cum? quid propinqui vestri equites Romani? quid omnis præfectura, regio, vicinitas vestra? quid ager Picenus vniuersus? vtrum Tribunitium furorem, an consularem authoritatem secutus? equidem hoc affirmo: quod tu nunc de tuo patruo prædicas: neminem vnquam adhuc de sese esse confessum. nemo est inquam inuentus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus: qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur, At fuit vester patruus. fuerit: & fuerit nulla desperatione rerum suarum, nullis domesticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, vt amicitiā patriæ præponeret: iccirco ne oportuit C. Rabirium descisere a Republica? non comparere in illa armata multitudine bonorum?

norum? consulũ voci, atq; imperio non obedire? Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuisse: vt aut cum Saturnino esset: aut cum bonis: aut lateret. latere mortis erat instar turpissimæ. Cum Saturnino esse furoris & sceleris virtus & honestas & pudor cum consulibus esse cogebat. hoc tu igitur in crimen vocas? quod cum ijs fuerit C. Rabirius: quos, amentissimus fuisset, si oppugnasset: turpissimus, si reliquisset. At C. Decianus, de quo tu sæpe commemoras: quia cum hominem omnibus insignem notis turpitudinis P. Furium accusaret summo studio bonorum omniũ: queri est ausus in concione de morte Saturnini: condemnatus est: & Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ condemnatus est. Statuerunt equites Ro. illo iudicio, improbũ ciuem esse, et non retinendũ in ciuitate: qui hominis hostilem in modum seditiosi imagine aut mortem eius honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoueret, aut suam significaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaq; mihi mirum videtur: vnde hanc tu Labiene imaginem, quam habes, inueneris. nam Sex. Titio damnato, qui istam habere auderet, inuentus est nemo. Quod tu si audisses, aut si per ætatem scire potuisses: nunquam profectò istam imaginem, quæ domi posita pestem atq; exilium Sex. Titio attulisset: in rostra atq; in concionem attulisses: nec tuas, vnquam rationes ad eos scopulos appulisses: ad quos Sex Tity. afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. sed in his rebus omnibus imprudentia laberis. causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua: quæ causa antè mortua est: quam tu natus esses. qua in causa tute profectò fuisses, si per ætatem esse potuisses: eam causam

causam in iudicium vocas. An non intelligis primum quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas? deinde quot ex ijs, qui viuunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas. Nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit: quod arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi, ætas illa, qua tum fuit: Q. verò Catulum patrem huius, in quo summa sapientia, exi mia virtus, singularis humanitas fuit. M. Scaurum, illa grauitate, illo consilio, illa imprudentia, duos Mutios L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra vrbem cum præsidio fuit: quorum in hac ciuitate longè maxima consilia atq; ingenia fuerunt: cæteros pari dignitate præditos, custodes, gubernatores q; Reip. quemadmodũ mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris atq; optimis ciuibus equitibus Ro. dicemus? qui tum vnà cũ Senatu salutem Reipub. defenderunt? quid de Tribunis erarijs? cæterorumq; ordinum omnium hominibus? qui tum arma pro comuni libertate cœperunt. Sed quid ego de ijs omnibus, qui consulari imperio paruerunt, loquor? de ipsorum Conss. fama, quid futurum est? L. Flaccum hominem cum semper in Repub. tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio, cærimonijsq;, quibus præerat, diligentissimum, nefarij sceleris ac parricidij mortuum condemnabimus? adiungemus ad hanc labem ignominiamq; mortis etiam C. Marij nomen? C. Marium, quem verè patrem patriæ: parentem inquã vestræ libertatis, ad huiusce Reip. possumus dicere: sceleris ac parricidij nefarij mortuum condemnabimus? Etenim si C. Rabirio quot ijt ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putauit: quod tandem

tandem excogitabitur in eum ſupplicium: qui vocauit? Ac ſi fides Saturnino data eſt: quod abs te ſæpiſſime dicitur: non eam C. Rabirius, ſed C. Marius dedit: idemq; violauit, ſi in fide non ſtetit. Quæ fides Labiene, qui potuit ſine Senatus conſulto dari? adeóne hoſpes huiuſce vrbis? adeóne ignarus es diſciplinæ conſuetudinisq; noſtræ, vt hæc neſcias? vt peregrinari in aliena ciuitate: non in tua magiſtratum gerere videare? Quid iam iſta C. Mario inquit nocere poſſunt, quoniam ſenſu & vita caret? itane verò? tantis in laboribus C. Marius periculisq; vixiſſet: ſi nihil longius quàm vitæ termini poſtulabant, ſpe atq; animo de ſe & gloria ſua cogitaſſe? at credo, cum innumerabileis hoſtium copias in Italia fudiſſet: atq; obſidione Remp. liberaſſet: omnia ſua ſecum vna moritura arbitrabatur. non eſt ita Quirites: neq; quisquam noſtrum in Reip. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuq; ducatur. Itaque cum multis alijs de cauſis virorum bonorum mentes diuinæ mihi, atque æternæ videntur eſſe: tum maximè quod optimi & ſapientiſſimi cuiuſq; animis ita præſentit in poſterum: vt nihil niſi ſempiternum ſpectare videantur. quapropter equidem & C. Mary, & cæterorum virorum ſapientiſſimorum, ac fortiſſimorum ciuium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non ſecus ac pro patrijs fanis, atq; delubris propugnandum putare. ac ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſſent: non minus ſtrenue caperem, quàm illi pro communi ſalute cœperunt. etenim Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit: immenſum gloriæ. quare ſi eos qui iam de vita

de vita deceſſerunt, ornabimus: iuſtiorem nobis mortis conditionem relinquemus. ſed ſi illos Labiene, quos iam videre non poſſumus, negligis: ne his quidē, quos vides, conſuli putas oportere? neminem eſſe dico ex ijs omnibus: qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in iudicium vocas, pubesq; tum fuerit: quin arma cœperit: quin Conſules ſecutus ſit. omnes ij, quorum tu ex ætate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis C. Rabirij nomine citantur. At occidit Saturninum Rabirius. vtinam feciſſet. non ſupplicium deprecarer, ſed præmium poſtularem. Etenim ſi Sceuæ, ſeruo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data eſt: quod equiti Ro. præmium dari par fuiſſet? & ſi C. Marius, quod fiſtulas quibus aqua ſuppeditabatur Iouis Opt. Max. templis, ac ſedibus, præcidi imperarat: quod in cliuo Capitolino improborum ciuium,

Deſunt non pauca.

IN L. CATILINAM IN SENATV. ORATIO XIX.

QVOVSQVE tandem abutere Catilina patientia nostra? quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnũ præsidium palatij? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil consensus bonorũ omniũ? nihil hic munitissimus habendi Senatus locus? nihil horum ora, vultusq; mouerunt? patere tua consilia non sentis? constrictã iam omnium horũ conscientia teneri coniurationẽ tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid consilij cœperis: quẽ nostrum ignorare arbitraris? O' tempora, O' mores: Senatus hoc intelligit: Consul videt: hic tamen viuit. viuit? immò verò etiam in Senatum venit: fit publici consilij particeps: notat, & designat oculis ad cædẽ vnumquemq; nostrum. nos autẽ viri fortes satisfacere Reip. videmur: si istius furorem, ac tela vitemus. ad mortẽ te Catilina duci iussu Consulis iam pridem oportebat: in te conferri pestẽ istam: quam tu in nos omnes iam diu machinaris. an verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex Maximus Tyberiũ Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. priuatus interfecit? Catilinam verò orbem terræ cæde, atq; incendijs vastare cupientem nos Consules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo: quod Q. Seruilius Hala, Sp. Melium nouis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac Repu. virtus: vt viri fortes acrioribus supplicijs ciuem pernicioſum, quàm acerbissimum hostem coercerent.

rent. habemus enim Senatusconsultum in te Catilina vehemens, & graue: non deest Reipub. consilium, neque authoritas huius ordinis. nos, nos, dico aperte, Consules desumus. Decreuit quondam Senatus: vt L. Opimius Cons. videret: ne quid Respub. detrimenti caperet. nox nulla intercessit. mox interfectus est propter quasdã seditionum suspiciones, C. Gracchus clarissimo patre natus, auis, maioribus: occisus est cum liberis M. Fulnius Consularis. Simili Senatusconsulto C. Mario & L. Valerio Cons. permissa est Respublica. num vnum diem postea L. Saturninum Tribunum plebis, & C. Seruilium mors, ac Reip. pœna remorata est? at nos vigesimum iam diem patimur hebescere aciem horum authoritatis. habemus enim huiusmodi Senatusconsultum, veruntamen inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum: quo ex Senatusconsulto confestim interfectum te esse Catilina conuenit. viuis, & viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio P. C. me esse clementem: cupio in tantis Reipub. periculis me non dissolutum videri. sed iam meipsum inertiæ nequitiæq; condemno. castra sunt in Italia contra Rempub. in Hetruriæ faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem Imperatorem castrorum, ducemq; hostium intra mœnia atque adeò in Senatu videtis, intestinam aliquam quotidiè perniciem Reipublicæ molientem. Si te iam Catilina comprehendi, si interfici iussero: credo erit verendũ mihi ne hoc potius omnes boni serius à me, quàm quisquam crudelius factum esse dicant. Verum ego hoc quod iam pridem factum esse oportuit: certa de causa nondum adducor, vt faciam. tum denig; interficiam te:

cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inueniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. Quamdiu quisquā erit, qui te defendere audeat, viues: & viues ita, vt nūc viuis, multis meis, & firmis præsidijs obsessus: ne cōmouere te contra Rempu. possis. multorum te etiam oculi & aures non sentientē, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur, atq; custodient. Etenim quid est Catilina quod iam amplius expectes? si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios: nec priuata domus parietibus continere vocem coniurationis tuæ potest: si illustrantur, si erumpunt omnia: mutā iam istam mentem, mihi crede: obliuiscere cædis atq; incendiorum: teneris vndiq;: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministi ne me ante diem XII. Calend. Nouemb. dicere in Senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VIII Cal. Nouemb. C. Manlium audaciæ satellitem, neq; administrum tuæ. num me fefellit Catilina non modò res tanta, tā atrox, tam incredibilis? verū id, quod multò magis est admirandū, dies? dixi ego idem in Senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem V. Calend. Nouembris: tum cum multi principes ciuitatis Roma, non tam sui conseruandi, quàm tuorum consiliorum reprimendorū causā profugerunt. num inficiari potes te illo ipso die meis præsidijs, mea diligentia circūclusum, cōmouere te contra Rempub. non potuisse? cum tu discessu cæterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum te esse dicebas? quid? cum te Prænestē Cal. ipsis Nouembris occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensisti ne illam coloniam meo iussu, meis præsidijs, custodijs, vigilijsq; esse munitam? nihil agis, nihil

gis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo nō audiam, sed etiam videam, planeq; sentiam. recognosce mecū tandem illam superiorem noctem: iam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quàm te ad perniciem Reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios, nōn agam obscurè, in M. Leccæ domum: conuenisse eodem cōplures eiusdem amentiæ, sceleris q; socios. num negare audes? quid taces? conuincam, si negas. video enim esse hīc in Senatu quosdam, qui tecum vnà fuere. O dij immortales, vbi nam gentium sumus? quàm Remp. habemus? in qua vrbe viuimus? hīc, hīc sunt in nostro numero P. C. in hoc orbis terræ sanctissimo, grauissimoq; consilio: qui de meo, nostroq; omnium interitu, qui de huius vrbis atq; adeò orbis terrarum exitio cogitent. hosce ego video Consul: & de Repub. sententiā rogo: & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam ea nocte Catilina: distribuisti partes Italiæ: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti quos Romæ relinqueres: quos tecum educeres: descripsisti vrbis partes ad incendia: confirmasti teipsum iam esse exiturum: dixisti paululum tibi esse etiam nunc moræ, quod ego viuerē: reperti sunt duo equites Romani: qui te ista cura liberarent: & sese illa ipsa nocte paulò ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. hæc ego omnia, vix dum iam cœtu vestro dimisso, comperi: domū meam maioribus præsidijs munii, atq; firmaui: excluſi eos, quos tu ad me salutatū manè miseras: cū illi ipsi venissent: quos ego iā multis, ac summis viris ad me venturos id temporis esse prædixeram. Quæ cū ita sint Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex vrbe: patent portæ: proficiscere. nimiū diu te

imperatorem illa tua Manliana castra desiderant: educ tecum omnes tuos: si minus, quam plurimos. purga vrbem. magno me metu liberabis: dummodo inter me atque te murus intersit. nobiscum versari iam diutius non potes. non feram: non patiar: non sinam. magna dys immortalibus habenda est gratia: atque huic ipsi Ioui Statori antiquissimo custodi huius vrbis: quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamq; infestam Reip. pestem toties iam effugimus. non est sæpius in vno homine salus summa periclitanda Reipublicæ. quandiu mihi Consuli designato Catilina insidiatus es: non publico me præsidio, sed priuata diligentia defendi. cũ proximis comitijs consularibus me Consulem in Campo, & competitores tuos interficere voluisti: compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio, & copys, nullo tumultu publico concitato. denique quoties cunq; me petisti: per me tibi obstiti: quanquam videbã, perniciem meam cum magna calamitate Reipub. esse coniunctam. nunc iam aperte Remp. vniuersam petis: templa deorum immortalium, tecta vrbis, vitam omnium ciuium, Italiam denique totam, ad exitium, & vastitatem vocas. quare, quoniam id quod primum, atq; huius Imperij, disciplinæq; maiorũ proprium est, facere non audeo: faciam id, quod est ad seueritatem lenius: ad communem salutem vtilius. nam si te interfici iussero: residebit in Repub. reliqua coniuratorum manus. sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex vrbe tuorum comitum magna, & perniciosa sentina Reipublicæ. quid est Catilina? num dubitas id me imperante facere: quod iã tua sponte facitbas? exire ex vrbe Consul hostem iubet? interrogas me,

num

num in exiliũ? non iubeo: sed si me consulis, suadeo. quid enim Catilina est, quod te iam in hac vrbe delectare possit? in qua nemo est extra istam coniurationẽ perditorũ hominum, qui te non metuat: nemo, qui te non oderit. quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus tuis vnquam, quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adolescẽtulo, quem corruptelarũ illecebris irretisses: non aut ad audaciam, ferrũ: aut ad libidinem facem prætulisti? quid verò nuper? cum morte superioris vxoris nouis nuptijs domum vacuam fecisses, nonne etiã alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto: & facilè patior fileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitisse, aut non vindicata esse videatur. prætermitto ruinas fortunarum tuarum: quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties. ad illa venio, quæ non ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, sed ad summam Reipublicæ, atque ad omnium nostrum vitam, salutemq; pertinent. potest ne tibi huius vitæ hæc lux Catilina, aut huius cœli spiritus esse iucundus? cum scias esse horum neminem: qui nesciat te pridie Calend. Ian. Lepido, & Tullo Conss. stetisse in comitio cum telo? manum, consulum, & principum ciuitatis interficiendorum causã parauisse? sceleri ac furori tuo non aliquam mentem, aut timorem tuum, sed fortunam Reipub. obstitisse? Ac iam illa omitto: neq; enim sunt aut obscura, aut nõ post multò commissa. quoties tu me designatum, quoties me Consulem interficere voluisti? quot ego tuas petitiones ita conlectas, vt vitari pos-

se non viderentur, parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore effudi? nihil agis: nihil assequeris: nihil moliris: quod mihi latere valeat in tẽpore. neq; tamen conari, ac velle desistis. Quoties iam, quoties iã tibi extorta est sica ista de manibus? quoties verò excidit casu aliquo & elapsa est? tamen ea carere diutius non potes. qua quidem quibus abs te initiata sacris ac deuota sit, nescio: quod eã necesse putas consulis in corpore defigere. Nunc verò quæ tua est ista vita. sic enim iam tecum loquar: nõ vt odio permotus esse videar, quo debeo: sed vt miseriæ cordiæ, quæ tibi nulla debetur. venisti paulò ante in Senatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac necessarijs salutauit? si hoc post hominum memoriã contigit nemini: vocis expectas contumeliam: cũ sis grauissimo iudicio taciturnitatis oppressus? quid? quod ab euentu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quid? quod omnes Consulares, qui tibi persæpè ad cædem constituti fuerunt, simulatq; assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt. Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas: serui mehercle mei si me isto pacto metuerunt: vt te metuunt omnes ciues tui: domum meam relinquendam putarem. tu tibi vrbem non arbitraris? & si me meis ciuibus iniuria suspectum tam grauiter, atq; infensum viderem: carere me aspectu ciuium, quàm infestis oculis omnium conspici mallem. tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum, & iam tibi diu debitum: dubitas, quorum mentes sensusq; vulneras: eorum aspectum præsentiamq; vitare? si te parentes timerent, atque odissent tui: neque eos vlla ratione placare posses: vt opinor, ab eorum oculis aliquo concederes.

nunc

nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit, ac metuit: & iam diu te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neq; authoritatem verebere? neq; iudicium sequère? neque vim pertimesces? Quæ tecum Catilina sic agit: & quodammodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos facinus extitit nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptioq; sociorum impunita fuit, ac libera: tu non solum ad negligendas leges, & quæstiones, verum etiam ad euertendas, perfringẽdasq; valuisti superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt: tamen vt potui, tuli. nunc verò me totam esse in metu propter te vnum: quicquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse: quod à tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, vt tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecum, vt dixi, patria loquatur. nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? quid? quod tu te ipsum in custodiã dedisti? quid? quod vitandæ suspicionis causa, apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? à quo non receptus etiam ad me venire ausus es, atque domi meæ te asseruari rogasti? cum à me quoque id responsum tulisses: me nullo modo posse iisdem parietibus tutò esse tecum: qui magno in periculo essem: quod iisdem mœnibus contineremur: ad Q. Metellum Prætorem venisti. à quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti: quẽ tu vi delicet & ad custodiendum te diligentissimum, & ad supplicandum sagacissimum, & ad vindicandum fortissimum fore putasti. sed quàm longè videtur à carce-

re atq; à vinculis abesse debere: qui seipsum iam dignum custodia iudicauerit? Quæ cum ita sint Catilina: dubitas, si hìc morari æquo animo non potes, abire in aliquas terras? & vitam istam multis supplicijs iustis debitisq; ereptam, fugæ solitudini q; mandare? Refer inquis ad Senatum. id postulas: et si hic ordo sibi placere decreuerit, te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. non referam id, quod abhorret à meis moribus: sed tamen faciam, vt intelligas quid ij de te sentiant. Egredere ex vrbe Catilina: libera Remp. metu: in exilium, si hanc vocem expectas, proficiscere. quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animaduertis horum silentium? patiuntur, tacent. quid expectas authoritatem loquentium: quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sextio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem: iam mihi Consuli hoc ipso in templo iure optimo Senatus vim & manus intulisset. de te autem Catilina cum quiescunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. neq; hi solum, quorum tibi authoritas chara est videlicet, vita vilissima: sed etiam illi equites Ro. honestissimi atq; optimi viri, cæteriq; fortissimi ciues: qui circumstant Senatum: quorum tu & frequentiam videre, & studia perspicere, & voces paulò antè exaudire potuisti. quorum ego vix abs te iam diu manus ac tela contineo: eosdem facilè adducam: vt te hæc, quæ iam pridem vastare studes relinquentẽ, vsq; ad portas prosequantur. Quanquã quid est quod loquar? te vt vlla res frangat? tu vt vnquã te corrigas? tu vt vllam fugam meditere? tu vllũ vt exilium cogites? vtinam tibi istam mentem dij immortales donarent. etsi video, si mea voce ire in exilium animum

mum induxeris, quanta tempestas inuidiæ nobis, si minus in præsens tempus recenti memoria scelerum tuorũ, at in posteritatem impendeat. sed non est mihi tanti, dum modo ista tua priuata sit calamitas: & à Reip. periculis seiungatur. sed tu vt vitijs tuis commoueare, vt legum pœnas pertimescas, vt temporibus Reip. concedas, non est postulandum. neq; enim Catilina is es: vt te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. Quamobrem, vt sæpe iam dixi, proficiscere: ac si mihi inimico, vt prædicas, tuo conflare vis inuidiam, recta via perge in exilium. vix feram sermones hominũ, si id feceris. vix molem istius inuidiæ, si in exilium ieris iussu Consulis, sustinebo. sin autem seruire meæ laudi, & gloriæ mauis: egredere cum importuna scelleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos ciues: secerne te à bonis: infer patriæ bellum: exulta impio latrocinio: vt à me non eiectus ad alienos, sed inuitatus ad tuos isse videaris. quanquam quid ego te inuitem? à quo iam sciam isse præmissos: qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati: sciam pactam, & constitutam esse cum Manlio diem: à quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido, & funestam futurã: cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorũ constitutũ fuit: sciam esse præmissam, tu vt illa diutius carere possis? quam venerariad cædem proficiscens solebas: à cuius altaribus sæpe istam dextram impiam ad necem ciuiũ transtulisti. Ibis tandẽ aliquando, quo te iam pridem tua ista cupiditas effrenata, ac furiosa rapiebat. neq; enim tibi hæc res affert dolorem, sed quandã incredibilem voluptatem. ad hanc te amentiam natura peperit: voluntas exercuit: fortuna seruauit.

nunquam

nunquam tu non modo ocium, sed ne bellum quidem, ni si nefarium concupisti: nactus es ex perditis, atq; ab omni non modo fortuna, verumetiam spe derelictis conflatam improborum manum. hîc tu qua lætitia perfruere? quibus gaudijs exultabis? quanta in voluptate bacchabere? cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quenquam, neq; videbis. Ad huius vitæ studiũ meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verumetiam ad facinus obeundum: vigilare non solum ad insidiandum somno maritorum, verumetiam bonis occisorum. habes vbi ostentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium: quibus te breui tempore confectum esse senties. tantũ profeci tum, cum te à Consulatu repuli: vt exul potius tentare, quàm Consul vexare Remp. posses: atq; vt id, quod esset à te scelerate susceptum: latrocinium potius, quàm bellum nominaretur. Nunc vt à me P. C. quandã propè iustam patriæ quærimoniam detester, ac deprecer: percipite quæso diligenter quæ dicã: & ea penitus animis vestris mentibusq; mandate. Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior: si cuncta Italia, si omnis Resp. loquatur: M. Tulli quid agis? tu ne eum, quem esse hostem comperisti: quem ducem belli futurum vides: quem expectari Imperatorem in castris hostium sentis: authorem sceleris, principẽ coniurationis, euocatorẽ seruorum, & ciuium perditorum, exire patieris? vt abs te non emissus ex vrbe, sed immissus in vrbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? quid tandem impedit te? mósne maiorum? at persæpe, etiam priuati in hac Rep.

perniciosos

pernicioſos ciues morte mulctarunt. an leges, quæ de ciuium Rom. supplicio rogatæ sunt? at nunquam in hac vrbe hi, qui à Rep. defecerunt, ciuium iura tenuerunt. an inuidiam posteritatis times? præclaram verò populo Ro. referes gratiam: qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam maturè ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit: si propter inuidiam, aut alicuius periculi metum, salutem ciuium tuorum negligis. sed si quis est inuidiæ metus: non est vehementius seueritatis, ac fortitudinis inuidia, quàm inertiæ, ac nequitiæ pertimescenda. an, cum bello vastabitur Italia: vexabuntur vrbes: tecta ardebunt: te non existimas inuidiæ incendio conflagraturũ? His ego sanctissimis Reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego si hoc optimum factu iudicarem P. C. Catilinam morte mulctari: vnius vsuram horæ gladiatori isti ad viuendum non dedissem. etenim si summi viri, & clarissimi ciues, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & superiorum complurium sanguine non modo se non contaminauerunt: sed etiam honestauerunt: certè verendum mihi non erit, nequid, hoc parricida ciuiũ interfecto, inuidiæ mihi in posteritatem redundaret. quod si ea mihi maximè impenderet: tamen hoc animo semper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriam, non inuidiam putarem. Quanquam nonnulli sunt in hoc ordine: qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea quæ videant, dissimulent: qui spem Catilinæ mollibus sententijs aluerunt: coniurationemq; nascentem non credendo corroborauerunt: quorum authoritatem secuti multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadaduertissem:

aduertissem: crudeliter, non egregiè factum esse dicerent, nunc intelligo, si iste quò intendit, in Manliana castra peruenerit: neminem tam stultum fore: qui non videat coniurationem esse patefactam: neminem tam improbum, qui non fateatur. hoc autem vno interfecto, intelligo hanc Reip. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. quod si se eiecerit, secumq; suos eduxerit, & eodem cæteros vndique collectos naufragos aggregauerit: extinguetur, atq; delebitur, non modo hæc tam adulta Reip. pestis, verum etiam stirps, ac semen malorum omnium. etenim iam diu P. C. in his periculis coniurationis, & insidijs versamur. sed nescio quo pacto omnium scelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste vnus tolletur: videbimur fortasse ad breue quoddam tempus cura, & metu esse releuati: periculum autem residebit, & erit inclusum penitus in venis, atq; in visceribus Reipublicæ. vt sæpe homines ægri, morbo graui, cum æstu, febriq; iactantur: si aquam gelidam biberint: prius releuari videntur: deinde multo grauius vehementiusq; afflictantur. sic hic morbus, qui est in Republica: releuatus istius pœna, vehementius viuis reliquis ingraueſcet. Quare secedant improbi: secernant se à bonis: vnum in locum congregentur: muro denique, id quod sæpe iam dixi, secernantur à nobis: desinãt insidiari domi suæ Consuli: circunstare tribunal Prætoris vrbani: obsidere cum gladijs curiam: malleolos ad incendendam vrbem, faces q; comparare: sit denique inscriptum in frontẽ vniuscuiusq; ciuis, quid de Rep. sentiat. Polliceor vobis hoc P. C. tantam in nobis Conss. fore diligentiam: tantam in vobis authoritatem: tantã in equitibus

tibus Ro. virtutem: tantam in omnibus bonis consensionem: vt Catilinæ profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis. hisce omnibus Catilina cum summa Reip. salute, & cum tua peste, ac pernicie, cumq; eorum exitio, qui si tecum omni scelere, parricidioq; iunxerunt: proficiscere ad impium bellũ ac nefarium. Tum tu Iupiter qui iisdem quibus hæc vrbs auspicijs à Romulo constitutus, quem Statorem huius vrbis, atq; imperij verè nominamus: hunc, & huius socios à tuis aris cæterisq; templis, ac tectis vrbis, ac mœnibus, à vita, fortunisq; ciuium omnium acerbis: & omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, sceleru fœdere inter se ac nefaria societate coniunctos æternis supplicijs viuos, mortuosq; mactabis.

IN

IN L. CATILINAM AD QVIRITES. ORATIO XX.

TAndem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariæ molientem, vobis, atque huic vrbi ferro, flammaq; minitantem, ex vrbe vel eiecimus: vel emisimus: vel ipsum egredientem vrbe prosecuti sumus. abyt, excessit, euasit, erupit: nulla iam pernicies à monstro illo atq; prodigio mœnibus ipsis intra mœnia comparabitur. Atq; hunc quidem vnum huius belli domestici ducē sine controuersia vicimus. non enim iam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non deniq; intra domesticos parietes pertimescemus. loco ille motus est, cum est ex vrbe depulsus: palàm iam cum hoste nullo impediente bellum iustum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeq; vicimus: cū illū ex occultis insidijs in apertum latrocinīū coniecimus. quod verò non cruentū mucronē, vt voluit, extulit, quod viuis nobis egressus est, quod ei ferrum de manibus extorsimus: quod incolumes ciues, quod stantē vrbem reliquit: quanto tandē illum mœrore afflictum esse, & profligatum putatis? iacet ille nunc prostratus Quirites: & se perculsum atq; abiectum esse sentit: & torquet oculos profectò sæpe ad hanc vrbem: quā ex suis faucibus ereptam esse luget. Quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantā pestem euomuerit, forasq; proiecerit. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat: qui hoc ipso, in quo exultat, & triumphat oratio mea, me

me vehementer accuset: quod tam capitalem hostem non cōprehenderim potius, quàm emiserim: non est ista mea culpa Quirites: sed temporum. interemptum esse L. Catilinam, & grauissimo supplicio affectū iam pridē oportebat. id à me & mos maiorum, & huius imperij seueritas, & Respu. postulabat. sed quàm multos fuisse putatis, qui quæ ego deferrem, non crederent? quàm multos? qui propter stultitiam non putarent? quàm multos, qui etiā defenderent? quàm multos, qui propter improbitatem fauerent? ac si sublato illo, depelli à vobis omne periculum iudicarem: iam pridem ego L. Catilinam non modo inuidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo sustulissem. Sed cum viderem ne vobis quidem omnibus re etiam probata, si illum, vt erat veritus, morte mulctassem: fore, vt eius socios inuidia oppressus persequi nō possem: rē huc deduxi, vt tum palàm pugnare possetis, cum hostem aperte videretis. Quem quidē ego hostem Quirites quàm vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis: quod illud etiā molestè fero, quod ex vrbe parum comitatus exierit: vtinam ille omnes secum suas copias eduxisset. Tongillum mihi eduxit: quem amare in prætexta calumnia cœperat, Publicium, & Munatium: quorum æs alienum contractum in popinā nullum Reip. metum afferre poterat. reliquit quos viros, quanto alieno ære, quàm valentes, quàm nobiles, vos videtis. Itaq; ego illū exercitum ex Gallicanis legionibus, & cum hoc delectu, quē in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit, ex his copijs, quæ à nobis quotidie comparantur, magnoperè contemno, collectum ex senib. desperatis, agresti luxuria, ex rusticis mendiculis, ex decoctoribus, ex ys, qui vadimonia deserere, quā

illum exercitum maluerunt. quibus ego non modò si aciẽ exercitus nostri, verũ etiam si edictum Prætoris ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad Curiã, quos etiam in Senatũ venire, qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura, mallem secum eduxisset suos milites. quod si hîc permanent: mementote non tam exercitum illum esse nobis, quàm hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. atq; etiam hoc magis sunt timendi, quod quid cogitent, me scire sentiunt: neque tamen permouentur. video cui Apulia sit attributa: qui habebat Hetruriam: qui agrũ Picenum: qui Gallicum: qui sibi has vrbanas insidias cædis, atq; incendiorum deposcerit: omnia superioris noctis consilia ad me perlata esse sentiunt. patefeci in Senatu hesterna die: Catilina ipse pertimuit: profugit: hi quid expectant? næ illi vehementer errant: si illam meã pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram. quod expectaui iam sum assecutus: vt vos omnes factam esse aperte coniurationẽ cõtra Remp. videretis. nisi verò si quis est qui Catilinæ similes cum Catilina sentire nõ putet. Non est iam lenitati locus: seueritatẽ res ipsa flagitat. vnum etiã nunc concedam: exeant: proficiscantur: ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. demonstrabo iter. Aurelia via profectus est. si accelerare volent: ad vesperam consequentur. O' fortunatam Rempub. si quidem hanc sentinã huius vrbis eiecerit. vno mehercle Catilina exhausto, releuata mihi, & recreata Respublica videtur. quid enim mali, aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum subiector? quis circumscriptor? quis ganeo?

neo? quis nepos? quis adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor iuuentutis? quis corruptus? quis perditus inueniri potest? qui se cum Catilina non familiarissimè vixisse fateatur? quæ cædes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Iam verò quæ tanta in vllo vnquam homine iuuentutis illecebra fuit? quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissimè: aliorum amori flagitiosissimè seruiebat: aliis fructum libidinum: aliis mortem parentum nõ modo impellendo, verũ etiam adiuuando pollicebatur. Nunc verò quàm subitò non solum ex vrbe, verum etiã ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? nemo non modò Romæ, sed ne vllo in angulo totius Italiæ oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciuerit. Atque vt eius diuersa studia in dissimili ratione perspicere possitis: nemo est in ludo gladiatorio paulò ad facinus audacior: qui se non intimũ Catilinæ esse fateatur: nemo in scena leuior, & nequior: qui se non eiusdem propè sodalem fuisse commemoret: atque idem tamen stuprorum, & scelerum exercitatione assuefactus frigore, & fame, & siti, ac vigilijs perferendis, fortis ab ijs istis suis socijs prædicabatur: cum industriæ subsidia, atque instrumenta virtutis, in libidine, audaciaq; consumerentur. Hunc verò si sui fuerint comites secuti: si ex vrbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges: O' nos beatos: O' Rempub. fortunatam: O' præclaram laudem Consulatus mei. iam enim non sunt mediocres hominum libidines: non humanæ ac tolerandæ audaciæ: nihil cogitant, nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt: fortunas suas obligurierunt: res eos iam pridem, si-

des deficere nuper cœpit. eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. quod si in vino & alea comessationes solũ & scorta quærerent, essent illi quidẽ desperandi: sed tamẽ essent ferendi. hoc verò quis ferre possit? inertes homines fortissimis viris insidiari? stultissimos prudentissimis? ebrios sobrijs? dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conuiuijs, cõplexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, vnguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædẽ bonorũ atq; vrbis incendia. quibus ego confido impendere fatum aliquod & pœnas iam diu improbitati, nequiciæ, scelere, libidini debitas, aut instare iam plane, aut certè iam appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniã sanare non potest, sustulerit: non breue nescio quod tempus, sed multa secula propagarit Reipublicæ. nulla est enim natio, quã pertimescamus: nullus Rex, qui bellum populo Ro. inferre possit. omnia sunt externa, vnius virtute terra, mariq; pacata: domesticũ bellum manet: intus insidiæ sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis: cũ luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. huic me bello ducem profiteor Quirites: susscipio inimicitias hominum perditorũ: quæ sanari poterunt, quacunq; ratione sanabo: quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciẽ ciuitatis manare. Proinde aut exeant: aut quiescant: aut si in vrbe, & in eadem mente permanent, quæ merentur, expectent. At etiam sunt Quirites, qui dicant à me in exilium eiectum esse Catilinam. quod verbo si ego assequi possum, ipsos istos eijcerem, qui hæc loquuntur. homo enim videlicet timidus, & permodestus vocem Consulis ferre nõ potuit: simulatq; ire in exiliũ iussus est, paruit. quid quod

hesterno

hesterno die cum domi meæ penè interfectus essem: Senatum in ædem Iouis Statoris vocaui: rem omnem ad Patres Conscriptos retuli. quò cum Catilina venisset: quis eum Senator appellauit? quis salutauit? quis denig; ita aspexit: vt perditũ ciuem, ac non potius importunissimũ hostem? quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atq; inanem reliquerunt. hîc ego vehemens ille Consul, qui verbo ciues in exilium eycio: quæsiui à Catilina an in nocturno conuentu apud M. Leccam fuisset nec ne? cum ille homo audacissimus conscientia conuictus primò reticuisset: patefeci cætera, quid ea nocte egisset, vbi fuisset, quid in proxima constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, docui. Cum hæsitaret: cum cunctaretur: quæsiui quid dubitaret proficisci eò: quo iam pridem pararat: cum arma, cũ secures, cum fasces, cum tubas, cum signa militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat, scirem esse præmissam. in exilium eyciebam? quem iam ingressum in bellum esse videbam? etenim credo Manlius iste centurio, qui in agro Fesulano castra posuit: bellum populo Romano suo nomine indixit: & illa castra nunc non Catilinam ducem expectant: & ille eiectus in exilium, se Massiliam, vt aiunt, non in hæc castra conferet. O conditionem miseram non modo administrandæ, verum etiam conseruandæ Reipublicæ. nunc si L. Catilina consilijs, laboribus, periculis meis circunclusus, ac debilitatus subito pertimuerit, sententiam permutauerit, deseruerit suos consilium belli faciundi abiecerit: ex hoc cursu sceleris, & belli iter ad fugam, atque in exilium conuerterit. non ille à me

spoliatus armis audaciæ, non obstupefactus, ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuq; depulsus, sed indemnatus innocens in exilium eiectus à Consule, vi, & minis esse dicetur: & erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum: sed timidum. me non diligentissimum Consulem, sed crudelissimum tyrannum existimare velint. Est mihi tanti Quirites huius inuidiæ falsæ atq; iniquæ tempestatem subire: dummodo à vobis huius horribilis belli, ac nefary periculum depellatur. dicatur sanè eiectus esse à me: dummodo eat in exilium. sed, mihi credite, non erit iturus. nunquam ego à dijs immortalibus optabo Quirites inuidiæ meæ leuandæ causa, vt L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiatis: sed triduò tamen audietis. multoq; magis illud timeo: ne mihi sit inuidiosum aliquando, quod illũ emiserim potius, quàm quod eiecerim. sed cum sint homines, qui illum cum profectus sit, eiectum esse dicant: idem, si interfectus esset, quid dicerent? Quanquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant: non tã hoc queruntur, quàm verentur. nemo est istorũ tam misericors: qui illum non ad Manlium, quàm ad Massilienses ire malit. ille autẽ, si me hercule hoc, quod agit, nunquam antè cogitasset: tamen latrocinantem se interfici mallet, quàm exulem viuere. nunc verò, cũ ei nihil adhuc præter ipsius voluntatem cogitationemq; acciderit: nisi quod viuis nobis Roma profectus est: optemus potius, vt exeat in exilium, quàm queramur. Sed cur tam diu de vno hoste loquimur? & de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem? & quem, quia quod semper volui, murus interest, non timeo. de his, qui simulant, qui Romæ remanent:

manent: qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si vllo modo fieri posset: non tam vlciscí studeo, quàm sanare, & ipsos placare Reipublicæ. neq; id quare fieri nõ possit, si me audire voluerint, intelligo. Exponã enim vobis Quirites ex quibus generibus hominum istæ copiæ cõparentur. deinde singulis medicinam consily, atque orationis meæ, si quam potero, afferam. Primum genus est eorum, qui magno ære alieno, maiores etiam possessiones habent: quarum amore adducti dissolui nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima. sunt enim locupletes. voluntas verò & causa impudentissima. tu agris, tu ædificijs, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus, & copiosus sis? & dubites aliquid de possessione detrahere, ac fidem acquirere? quid enim? expectas bellum? quid? ergò in vastatione omniũ tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an tabulas nouas? errant qui istas à Catilina expectant. meo beneficio tabulæ nouæ proferentur, verum auctionariæ. neque enim isti qui possessiones habent, alia ratione vlla salui esse possunt. quod si maturius facere voluissent, neque id quod stultissimum est, certare cum vsuris, fructibus prædiorum: locupletioribus his, & melioribus ciuibus vteremur. Sed hosce homines minimè puto pertimescendos: quod aut deduci de sententia possunt: aut, si permanebunt: magis mihi videntur vota facturi contra Rempublicam, quàm arma laturi. Alterum genus est eorum, qui quanquam premuntur ære alieno: dominationem tamen expectant, rerũ potiri volunt: honores, quos quieta Repub desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc præcipiendum videtur: vnum scilicet & idem, quod cæteris omnibus:

vt desperent se id quod conantur consequi posse. primum omnium me ipsum vigilare, adesse prouidere Reipublicæ: deinde magnos animos esse, in bonis viris, magnã concordiam, maximam multitudinem: magnas præterea copias militum: deos denique immortales huic inuicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ vrbi contra tantã vim sceleris præsentis auxiliũ esse laturos. Quod si iam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere vrbis & sanguine ciuium, quæ mente conscelerata, ac nefaria cupierunt: Consules se, aut Dictatores, aut etiam Reges sperant futuros? non vident se cupere id: quod si adepti fuerint: fugitiuo alicui aut gladiatori concedi sit necesse? Tertium genus est ætate iam confectum, exercitatione robustum: quo ex genere iste est Manlius: cui nunc Catilina successit. hi sunt homines ex his coloniis, quas Fesulis Sylla constituit: quas ego vniuersas ciuium esse optimorũ, & fortissimorum virorum sentio. sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque iactarunt. hi dum ædificant tanquam beati: dum prædijs, lecticis, familijs magnis, conuiuijs apparatis delectantur: in tantum æs alienum inciderunt: vt, si salui esse velint: Sylla sit his ab inferis excitandus. qui etiã nonnullos agrestes homines tenues atque egentes in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. quos ego vtrosque Quirites in eodẽ genere prædatorũ, direptorumque pono. sed eos hoc moneo: desinant furere, & proscriptiones & dictaturas cogitare. tantus enim illorum temporum dolor inustus est ciuitati: vt iam ista non modò homines, sed ne pecudes quidem mihi passuræ esse videantur. Quartum genus est sanè varium, & mixtum,

xtum & turbulentum: qui iam pridem premuntur: qui nunquam emergent: qui partim inertia, partim malè gerendo negocio, partim etiam sumptibus in vetere ære alieno vacillant: qui vadimonijs, iudicijs, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti ex agris, ex vrbe se in illa castra conferre dicuntur. hosce ego non tam milites acres, quàm inficiatores lentos esse arbitror: qui homines primum si stare non possunt, corruant. sed ita, vt non modo ciuitas, sed ne vicini quidem proximè sentiant. nam illud non intelligo: quamobrem, si venire honestè non possunt: perire turpiter velint: aut cur maiore dolore perituros se cum multis, quàm si soli pereant, arbitrentur. Quintum genus est parricidarum, sicariorum deniq; omnium facinorosorum: quos ego à Catilina non reuoco: nam neque diuelli ab eo possunt: & pereant sanè in latrocinio: quoniam sunt ita multi: vt eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est non solum numero, verumetiam genere ipso, atque vita, quod proprium est Catilinæ, de eius delectu, immò verò de complexu eius, ac sinu: quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos, videtis: manicatis, & talaribus, ac tritis tunicis, velis amictos, non togis: quorũ omneis industria vitæ, & vigilandi labor in antè lucanis cœnis expromitur. in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq; versantur. hi pueri tam lepidi, ac delicati, non solum amare, & amari, neque cantare, & psallere, sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt: qui ni exeunt: ni pereunt, etiamsi Catilina perierit: scitote hoc in Rep. seminarium Catilinarium futurum: verum quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas

sunt in castra ducturi? quemadmodum illis carere poterunt? his præsertim iam noctibus? quo autem pacto illi Appenninum, atq; illas pruinas, ac niues perferent? nisi iccirco se facilius hyemem toleraturos putant: quod in conuiuijs nudi saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum: cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem Prætoriam. Instruite nunc Quir. contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestrosq; exercitus. & primum gladiatori illi confecto, & saucio Consules, Imperatoresq; vestros opponite. deinde contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. iam verò vrbes coloniarum, ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis syluestribus. neq; verò cæteras copias, ornamenta, vestra præsidia, cum illius latronis inopia, atque egestate debeo conferre. sed si omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur, eget ille: Senatu, equitibus Romanis, populo, vrbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, prouincijs omnibus, exteris nationibus, si his rebus omissis, ipsas causas, quæ inter se confligunt, contendere velimus. ex eo ipso, quam valde ipsi iaceant intelligere possumus. ex hac enim parte pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido. deniq; æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vicijs omnibus. postremo copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona deniq; spes cum omnium rerum desperatione confligit.

fligit in huiusmodi certamine, ac prælio nonne, etiamsi hominum studia deficiant, dij ipsi immortales cogant ab his præclarissimis virtutibus tot, & tanta vicia superari? Quæ cum ita sint Quirites: vos quemadmodū iam antea dixi, vestra tecta custodijs, vigilijsq; defendite. mihi vt vrbi sine vestro metu, ac sine vllo tumultu, satis esset præsidij, consultum ac prouisum est. coloni omnes, municipesq; vestri certiores à me facti de hac nocturna excursione Catilinæ, facilè vrbes suas, finesq; defendent. gladiatores, quam sibi ille maximam manum, & certissimam fore putauit, quanquam meliore animo sunt quàm pars patriciorum, potestate tamen in vestra continebuntur. Q. Metellus, quem ego prospiciens hoc in agrum Gallicanum, Picenumq; præmisi: aut opprimet hominem: aut omnes eius motus, conatusq; prohibebit. reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, iam ad Senatum referemus, quem vocari videtis. nunc illos qui in vrbe remanserunt, atq; adeo contra vrbis salutem omniumq; vestrum in vrbe à Catilinare licti sunt: quanquam sunt hostes, tamen quia nati sunt ciues: monitos eos etiam atq; etiā volo. mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc expectauit: vt id quod latebat, erumperet. quod reliquum est, iam non possum obliuisci: meam hanc esse patriam: meorum esse me consulem: mihi aut cum his viuendum, aut pro his esse moriendum. nullus est portæ custos, nullus insidiator viæ, si qui exire volunt, consulere sibi possunt. qui verò in vrbe se commouerit: cuius ego non modo factum, sed incœptum vllum, conatumue contra patriam deprehendero: sentiet in hac vrbe esse consules vigilantes: esse egregios magistratus: esse fortem Senatum.

tum: esse arma: esse carcerem: quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt. atq; hæc omnia sic agentur Quirites: vt res maximæ minimo motu, pericula summa, nullo tumultu, bellum intestinum, ac domesticum post hominum memoriam crudelissimum & maximum, me vno togato duce, & Imperatore sedetur. quod ego sic administrabo Quirites: vt, si vllo modo fieri poterit: ne improbus quidem quisquam in hac vrbe pœnam sui sceleris sufferat. sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerint: illud profectò perficiam, quod in tanto, & tam insidioso bello vix optandum videtur: vt ne quis bonus intereat, paucorumq; pœna vos omnes iam salui esse possitis. quæ quidem ego neq; mea prudentia, neq; humanis consilys fretus polliceor vobis Quirites: sed multis & non dubijs deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem, sententiamq; sum ingressus. qui iam non procul, vt quondam solebant, ab extero hoste, atque longinquo, sed hîc præsentes suo numine, atq; auxilio sua templa atq; vrbis tecta defendent. quos vos Quir. precari, venerari, atq; implorare debetis. vt quã vrbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamq; esse voluerunt: hanc omnibus hostium copijs terra mariq; superatis, à perditissimorum ciuiũ nefario scelere defendant.

IN

IN L. CATILINAM, AD QVIRITES. ORATIO XXI.

R

Empublicam Quirites, vitamq; omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberosq; vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperij, fortunatissimam pulcherrimamq; vrbem, hodierno die deorum immortalium erga vos summo amore laboribus, consilys, periculisq; meis ex flamma, atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conseruatam, ac restitutam videtis. Etsi non minus nobis iucundi atque illustres sunt ij dies, quibus conseruamur: quàm illi, quibus nascimur: quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio: & quod sine sensu nascimur, cum voluptate conseruamur: profectò, quoniam illum, qui hanc vrbem condidit, Romulum ad deos immortales beneuolentia, famaq; sustulimus: esse apud vos posterosq; vestros in honore debet dies is: qui eandem hanc vrbẽ conditam, amplificatamq; seruauit. nam totius vrbis templis, delubris, tectis omnibus, subiectos propè iam ignes circumdatosq; restinximus: ij demq; gladios in Remp. districtos retudimus: mucronesq; eorum à iugulis vestris reiecimus. Quæ quoniam in Senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me: vobis iam exponam breuiter Quirites: vt & quanta, & quàm manifesta, & qua ratione inuestigata, & comprehensa sint: vos, qui & ignoratis & expectatis, scire possitis. Principiò vt Catilina paucis antè diebus erupit ex vrbe: cum sceleris sui socios, & huiusce nefarij belli acerrimos duces Romæ reliquisset: semper vigilaui, & prouidi Quirites: quemadmodum

admodum in tantis, & tam absconditis insidijs salui esse possemus. nam tum, cum ex vrbe Catilinam eiciebam (non enim iam vereor huius verbi inuidiam: cum illa magis sit timenda, quod viuus egressus est) sed tum, cum illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui rēstitissent, infirmos sine illo ac debiles putabam. Atq; ego vt vidi, quos maximo furore & scelere esse inflammatos sciebam: eos esse nobiscum, & Romæ remansisse: in eo omnes dies noctesq; consumpsi: vt quid agerent, quid molirentur, sentirem, ac viderem: vt quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea: rem ita comprehenderem: vt tum demum animis saluti vestræ prouideretis: cum oculis maleficium ipsum videretis. Itaq; vt comperi legatos Allobrogum belli Transalpini & tumultus Gallici excitandi causa, à P. Lentulo esse sollicitatos: eosq; in Galliam ad suos cives, eodem itinere cum literis, mandatisq; ad Catilinam esse missos: comitemq; his adiunctum Vulturcium: atq; huic datas esse ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putaui: vt quod erat difficillimum, quodq; ego semper optabam à dijs immortalibus: tota res non solum à me, sed etiam à Senatu, à vobis manifestè deprehenderetur. itaque hesterno die L. Flaccum, & Cn. Pontinum Prætores fortissimos atq; amantissimos Reip. viros ad me vocaui: rem omnem expposui: quid fieri placeret ostendi. illi autem, qui omnia de Rep. præclara, atq; egregia sentirent: sine recusatione, ac sine vlla mora negocium susceperunt: & cum aduesperascaret, occultè ad pontem Miluiū peruenerūt: atq; ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt: vt Tyberis

inter

inter eos, & pons interesset. eōdem autem & ipsi sine cuiusquā suspicione multos fortes viros eduxerunt: & ego de Præfectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera vtor assiduè in Reip. præsidio, cum gladys miseram. Interim tertia ferè vigilia exacta, cum iā pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, vnaq; Vulturcius, sit in eos impetus: educuntur & ab illis gladij, & à nostris: res erat Prætoribus nota solis: ignorabatur à cæteris. Tum interuentu Pontini, atq; Flacci, pugna quæ erat commissa, sedatur: literæ, quæcunq; erant in eo comitatu, integris signis, Prætoribus traduntur: ipsi comprehensi ad me cum iam diluceseceret deducuntur. Atq; horum omnium scelerū improbissimum machinatorem Cimbrū Gabinium, statim ad me, nihil dum suspicantē vocaui, deinde item accersitur L. Statilius: & post eum Cethegus: tardissime autem Lentulus: credo quod Literis dandis, præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. Cū verò summis ac clarissimis viris huius ciuitatis, qui audita re frequentes manè ad me cōuenerant: literas à me prius aperiri, q̄ ad Senatū referri placeret: ne si nihil esset inuentū: temere à me tantus tumultus iniectus ciuitati videretur: negaui me esse facturū: vt de periculo publico, non ad consilium publicum rem integrā deferrē. Etenim Quir. si ea quæ erant ad me delata, reperta non essent: tamē ego nō arbitrabar in tantis Reip. periculis esse mihi nimiam diligentiā pertimescendā. senatū frequentē celeriter, vt vidistis, coēgi. Atq; interea statim admonitu Allobrogū C. Sulpicium Prætorē fortem virū misi: q̄ ex ædibus Cethegi si q̄d telorū esset, efferret. e q̄bus ille maximū sicarū numerū, & gladiorū extulit. Introduxi Vulturciū sine

Gallis:

Gallis: fidem ei publicam iussu Senatus dedi: hortatus sum, vt ea quæ sciret, sine timore indicaret. tum ille dixit, cum vix se ex magno timore recreasset: à P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata & literas: vt seruorum præsidio vteretur: & ad vrbem quàm primum cum exercitu accederet. Id autem eo consilio: vt cum vrbem omnibus ex partibus quemadmodum descriptum, distributumq; erat, incendissent: cædemq; infinitam ciuium fecissent: præsto esset ille, qui & fugientes excipere: & se cum his vrbanis ducibus coniungeret. Introducti autem Galli iusiurandum sibi, & literas à Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atq; ita sibi ab his & à L. Cassio esse præscriptum: vt equitatum in Italiam quàm primũ mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulũ autem sibi confirmasse ex fatis Sybillinis, aruspicumq; responsis se esse tertium illum Cornelium: ad quem regnum vrbis huius, atq; imperium peruenire esset necesse. Cinnam ante se, & Syllam fuisse: eundemq; dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius vrbis, atq; imperij: qui esset decimus annus post virginum absolutionem: post Capitolij autem incensionem vigesimus. hanc autem Cethego cum cæteris controuersiam esse dixerunt: quod cum Lentulo, atq; alijs cædem Saturnalibus fieri, atq; vrbem incendi placeret: Cethego nimium id longum videretur. Ac, ne longum sit Quirites: tabellas proferri iussimus: quæ à quoq; dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego: signum cognouit. nos linum incidimus: legimus. erat scriptum ipsius manu, & Allobrogum Senatui, & populo: sese quæ eorum legatis confirmasset, esse facturum, orare vt illi facerent, quæ sibi legati eorum

rum præcepissent. Tum Cethegus, qui paulò antè aliquid de gladijs, ac de sicis, quæ apud ipsum erant deprehensa, respondisset: dixisseq; se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse: recitatis literis debilitatus, atque abiectus, conscientia conuictus repentè conticuit. Introductus est Statilius: cognouit manum, & signum suum: recitatæ sunt tabellæ, in eãdem ferè sententia: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo: & quæsiui, cognosceret ne signum. annuit. est verò, inquam, notum signum imago aui tui clarissimi viri: qui amauit vnicè patriam, & ciues suos, quæ quidem te à tanto scelere etiam muta reuocare debuit. leguntur eadem ratione ad Senatum Allobrogum populumq; literæ. si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille quidem primò negauit. post autem aliquanto toto Vulturcij iam indicio expositio, atque edito, surrexit: quæsiuit à Gallis, quid sibi esset cum his, quamobrem domum suam venissent? itemq; à Vulturcio. Qui cum illi breuiter, constanterq; respondissent, per quẽ ad eum, quoties q; venissent: quæsissentq; ab eo, nihil secum esset de Fatis Sibyllinis locutus? tum subitò ille scelere demens, quanta vis conscientiæ esset ostendit. nam cum id posset inficiari: repentè præter opinionem omniũ confessus est: ita eum non modò ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua semper valuit: sed etiam propter vim sceleris manifesti, atque deprehensi, imprudentia, qua superabat omneis, improbitas q; defecit. Vulturcius verò subito proferri literas, atque aperiri iussit: quas sibi à Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atq; ibi vehementissimè perturbatus Lentulus, tamen & signum, & manum cognouit. erant autem scriptæ sine nomine: sed ita.

QVI SIM, EX EO, QVEM AD TE MISI, COGNOSCES. CVRA, VT VIR SIS: ET COGITA, QVEM IN LOCVM SIS PROGRESSVS: ET VIDE, QVID IAM TIBI SIT NECESSE. CVRA VT OMNIVM TIBI AVXILIA ADIVNGAS: ETIAM INFIMORVM. Gabinus deinde introductus, cum primò impudenter respondere cœpisset: ad extremum nihil ex ijs quæ Galli insimulabant, negauit. Ac mihi quidem Quir. cum illa certissima sunt visa argumenta, atque indicia sceleris: tabellæ, signa, manus, deniq; vnius cuiusq; cõfessio: tũ multò certiora illa: color, oculi, vultus, taciturnitas sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant: vt non iam ab alijs indicari, sed ipsi à se viderentur. Indicijs expositis atq; editis Quir. Senatum consului de summa Reipub. quid fieri placeret. Dictæ sunt à principibus acerrimæ ac fortissimæ sentẽtiæ. quas Senatus sine vlla varietate est consecutus. & quoniam nondũ est perscriptum Senatus Consultum: ex memoria vobis Quir. quid Senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur: quod virtute, consilio, prudentia mea Respub. periculis sit maximis liberata. deinde L. Flaccus & C. Pontinius Prætores, quod eorum opera fortis fideliq; vsus essem: meritò, ac iure laudantur. atq; etiã viro forti Collegæ meo laus impertitur: quod eos, qui coniurationis participes fuissent, à suis & Reip. consilijs remouisset. Atque ita censuerunt, vt P. Lentulus, cum se Prætura abdicasset: tum in custodiam traderetur. itemq; vti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præsentes erant, in custodiam

diam traderentur. atq; idem hoc decretum est in L. Cassium: qui sibi procurationem incendendæ vrbis depoposcerat: in M. Ceparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P Furiũ, qui est ex his colonis, quos Fesulas L. Sylla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui vnà cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Vmbrenum libertinum hominem, à quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate Senatus est vsus Quirites: vt ex tanta coniuratione, tantaq; vi ac multitudine domesticorum hostium, nouem hominum perditissimorum pœna Respub. conseruata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio dijs immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est Quirites: quod mihi primũ post vrbem conditam togato contigit: & his decreta verbis est, quod vrbem incendijs, cæde ciues, Italiam bello liberassem. Quæ supplicatio si cum cæteris conferatur Quirites, hoc interest: quod cætera, bene gesta, hæc vna, conseruata Respub. constituta est. Atque illud quod faciendum primum fuit: factum atq; transactum est. nam P. Lentulus, quanquam patefactus indicijs, & confessionibus suis, iudicio Senatus, non modò Prætoris ius, verum ciuis amiserat, tamen magistratu se abdicauit: vt quæ religio C. Mario clarissimo viro non fuerat: quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, Prætorem occideret: ea nos religione in priuato P. Lentulo puniendo liberaremur. Nunc, quoniam, Quir. sceleratissimi periculosissimiq; belli nefarios duces captos iam, & comprehensos tenetis: existimare debetis omnes Catilinæ copias, omnes

ras, atq; opes his depulsis vrbis periculis concidisse. Quẽ quidem ego cum ex vrbe pellebã: hoc prouidebam animo Quirites, remoto Catilina, non mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassij adipem, nec C. Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat vnus timendus ex his omnibus: sed tam diu, dum mœnibus vrbis continebatur. omnia norat: omnium aditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat: audebat. erat ei consilium ad facinus aptum. consilio autem neq; lingua, neque manus deerat. Iam ad cæteras res conficiendas certos homines delectos, ac descriptos habebat. neq; verò, cum aliquid mandauerat, confectũ putabat: nihil erat, quod non ipse obiret: occurreret: vigilaret: laboraret: frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem, tam acrem, tam paratũ, tam audacẽ, tam callidum, tam in scelere vigilantẽ, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidijs in castrense latrocinium compulissem, dicã id quod sentio Quirites, non facilè hanc tantã molem mali à ceruicibus vestris depulissem: nõ ille vobis Saturnalia cõstituisset: neq; tanto antè, exitium, ac fati diem Reip. denunciauisset: neq; commisisset vt signum, vt literæ suæ, testes deniq; manifesti sceleris deprehenderentur. quæ nunc illo absente sic gesta sunt, vt nullum in priuatã domo furtum vnquam sit tam palàm inuentum: quã tanta hæc in Rempub. cõiuratio manifestè inuenta atq; deprehensa est. quod si Catilina in vrbe ad hãc diem remansisset: quanquã quoad fuit, omnibus eius consilijs occurri, atq; obstiti: tamen, vt leuissimè dicam: dimicandum nobis cum illo fuisset: neque nos vnquã, dum ille in vrbe hostis fuisset: tãtis periculis Remp. tanta pace, tanto ocio, tanto silentio, liberassemus. Quanquam

quam hæc omnia Quir. ita sunt à me administrata: vt deorum immortalium nutu, atque consilio & gesta & prouisa esse videantur. Idq; cum coniectura consequi possumus: quod vix videtur humanis consilijs tantarum rerum gubernatio esse potuisse: tum verò præsentes ita his temporibus opem & auxilium nobis tulerũt: vt eos penè oculis videre possemus. nam vt illa omittã, visas nocturno tempore ab occidẽte faces, ardoremq; cœli, vt fulminũ ictus: vt terræ motus: cæteraq; quæ tam multa nobis Cõsulibus facta sunt, vt hæc quæ nunc fiunt: canere dij immortales viderentur: hoc ceriè Quirites quod sum dicturus, neq; prætermittendum, neq; relinquendum est. nam profectò memoria tenetis Cotta, & Torquato Coss. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas: cum & simulachra deorũ immortalium depulsa sunt: & statuæ veterum hominum deiectæ, & legũ æra liquefacta sunt. tactus est etiam ille, qui hanc vrbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio paruũ atque lactentem vberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. Quo quidem tempore, cum Aruspices ex tota Hetruria conuenissent: cædes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile, ac domesticum, & totius vrbis ac Imperij occasum appropinquare dixerunt. nisi dij immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis tunc, & ludi decem per dies facti sunt: neque res vlla, quæ ad placandũ deos pertineret, prætermissa est. ydemq; iusserunt simulachrum Iouis facere maius, & in excelsum collocare: & contrà atque antè fuerat, ad orientem conuertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, & forum curiamq; conspiceret: fore, vt ea consilia, quæ

clàm essent inita contra salutem vrbis, atque imperij, illustrarentur: vt à S. P. Q. R. perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, vt neq; à superioribus consulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hîc quis potest esse Quirites tam auersus à vero? tam præceps, tàm mente captus? qui neget hæc omnia, quæ videmus: præcipueq; hanc vrbẽ deorum immortalium nutu, atque potestate administrari? etenim cum esset ita responsum: cædes, incendia, interitumq; Reip. comparari: & ea à perditis ciuibus: quæ tum propter magnitudinem scelerũ nonnullis incredibilia videbantur: ea non modò cogitata à nefarijs ciuibus, verum etiã suscepta esse sensistis, illud verò nonné ita præsens est? vt nutu Iouis Optimi Maximi factum esse videatur? vt cum hodierno die manè perforum meo iussu & coniurati & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur: eo ipso tempore signum statueretur. quo collocato, atq; ad vos, Senatumq; conuerso, omnia & Senatus, & vos quæ erant contra salutem omnium cogitata, illustrata, & patefacta vidistis. Quo etiam maiore sunt isti odio supplicioq; digni: qui non solum vestris domicilijs atq; tectis, sed etiam deorum templis atq; delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati. quibus ego si me restitisse dicam: nimium mihi sumam, & non sim ferendus. Ille, ille Iupiter restitit: ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc vrbem, ille vos omnes saluos esse voluit. dijs ego immortalibus ducibus hanc mentem voluntatemq; suscepi: atq; ad hæc tanta indicia perueni. Iam verò illa Allobrogum sollicitatio à Lentulo, cæterisq; domesticis hostibus tanta res tam dementer credita & ignotis & Barba-

ris,

vis, commissæq; literæ nunquam essent profectò: nisi à dijs immortalibus huic tantæ audaciæ consilium esset ereptum. Quid verò? vt homines Galli ex ciuitate malè pacata, quæ gens vna restat: quæ bellum pop. Ro. facere & posse, & non nolle videatur: spem Imperij, & rerum amplissimarum vltrò sibi à patritijs hominibus oblatam negligerent: vestram salutem suis opibus anteponerent: id nonné diuinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt? quamobrem Quirites, quoniam ad omnia puluinaria supplicatio decreta est: celebratote illos dies cum coniugibus, ac liberis vestris. nam multi sæpè honores dijs immortalibus iusti habiti sunt ac debiti: sed profectò iustiores nunquam. erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, me vno togato duce & imperatore vicistis. Etenim recordamini Quirites omnes ciuiles dissensiones: neque solum eas quas audistis: sed has, quas vos meministis, & vidistis. L. Sylla P. Sulpicium oppressit: C. Marium custodem huius vrbis, multosq; fortes viros partim eiecit ex ciuitate, partim interemit. Cn. Octauius Consul armis ex vrbe Collegam suum expulit. omnis hic locus aceruis corporum, & ciuium sanguine redundauit. superauit postea Cinna cum Mario. tum verò clarissimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta sunt. Vltus est huius victoriæ crudelitatem postea Sylla. ne dici quidem opus est quanta diminutione ciuium & quanta calamitate Reipublicæ. Dissensit M. Lepidus à clarissimo, & fortissimo viro Q. Catulo, attulit non tam ipsius inter-

itus Reip. luctum, quàm cæterorum. Atque ille dissensiones erant huiusmodi Quirites: quæ non ad delendam, sed ad cõmutandam Rempub. pertinerent. non illi nullam esse Rempub. sed in ea, quæ esset, se esse principes neque hanc vrbem conflagrare, sed se in hac vrbe florere voluerunt. Atq; ille tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium Reip. quæsiuit, eiusmodi fuerunt: vt nõ reconciliatione concordiæ, sed internitione ciuiũ dyudicatæ sint. In hoc autem vno post hominum memoriam maximo, crudelissimoq; bello, quale bellum nulla vnquam barbaria cum sua gente gessit: quo in bello lex hæc fuit à Lentulo, C. Cassio, Cethego constituta: vt omnes, qui salua vrbe salui esse possent, in hostium numero ducerentur: ita me gessi: vt omnes salui conseruaremini. & cum hostes vestri tantum ciuiũ superfuturum putassent, quantũ infinitæ cædi restitisset: tantum autem vrbis, quantũ flamma obire non potuisset: & vrbem & ciues integros incolumesq; seruaui. Quibus pro tãtis rebus Quirites: nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo: præterquam huius diei vestram memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, ornamenta omnia honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi, & collocari volo. nihil me mutum potest delectare: nihil tacitum: nihil deniq; huiusmodi, quod etiã minus digni assequi possint. Memoria vestra Quiri. nostræres alentur: sermonibus crescent: literarũ monumentis inueterascent, & corroborabuntur: eandemq; diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem vrbis, & ad memoriam Consulatus mei propagatam. vnoq; tempore in hac Repu. duos

ciues

ciues extitisse: quorum alter fines vestri Imperij, non terræ sed cœli regionibus terminaret: alter eiusdem Imperij domicilium, sedemq; seruaret. Sed quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna atq; conditio, & illorum, qui externa bella gesserunt: quod mihi viuendum sit cum illis, quos vici ac subegi: illi hostes aut interfectos aut oppressos reliquerunt: vestrum est Quirites, si cæteris recta sua facta prosunt: mihi mea ne quando obsint, prouidere. mentes enim hominum audacissimorum scelerata ac nefaria ne vobis nocere possent, ego prouidi: ne mihi noceant: vestrum est prouidere. quanquam Quirites mihi quidem nihil iam ab istis noceri potest. magnum enim in vobis præsidium, quod mihi in perpetuum comparatum est: magna in Rep. dignitas, quæ me semper tacita defendet: magna vis est conscientiæ: quam qui negligent, cum me violare volent: se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus Quirites: vt non modo nullius audaciæ cedamus: sed etiam omnes improbos vltrò semper lacessamus. quod si omnes impetus domesticorum hostium depulsi à vobis, se in me vnũ conuerterint: vobis erit providendũ Quirites, qua conditione posthac eos esse velitis: qui se pro salute vestra obtulerint inuidiæ, periculisq; omnibus. Mihi quidem ipsi quid est quod iã ad vitæ fructũ possit acquiri: præsertim cum neque in honore vestro, neq; in gloria virtutis, quicquam videam altius, quo quidẽ mihi libeat ascendere. Illud profectò perficiam Quirites: vt ea, quæ gessi in consulatu, priuatus tuear, atq; ornem: vt si qua est in uidia in conseruanda Rep. susceptã: lædat inuidos: mihi valeat ad gloriam. deinde ita me in Repub. tractabo: vt meminerim semper quæ gesserim, curemq; vt ea vir-

tute non casu gesta esse videantur. Vos Quir. quoniam iam nox est, veneramini illum Iouẽ custodem huius vrbis, ac vestrum: in tecta vestra discedite: & ea, quæ nuquam periculum est depulsum: tamen æquè, ac priore nocte fecistis, custodijs, vigilijsq; defendite. Id ne vobis diutius faciendum sit: atq; vt in perpetua pace esse possitis, prouidebo.

IN

IN L. CATILINAM IN SENATV. ORATIO XXII.

Ideo P. C. in me omnium vestrum ora, atq; oculos esse conuersos: video vos non solum de vestro, ac Reipublicæ, verum etiam, si id depulsum sit: de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas. sed eam per deos immortales quæso deponite: atq; obliti salutis meæ, de vobis, ac liberis vestris cogitate. mihi si hæc conditio consulatus data est: vt omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusq; perferrem: feram non solum fortiter, sed etiam libenter: dummodo meis laboribus vobis populoq; Ro. P. C. dignitas, salusq; pariatur. Ego sum ille Consul P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur: non campus, consularibus auspicijs consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus, ad quietem datus, non deniq; hæc sedes honoris sella curulis vnquam vacua mortis periculo, atq; insidijs fuit. ego multa tacui: multa pertuli: multa concessi: multa meo quodam dolore in vestro timore sanaui. Nunc si hunc exitum Consulatus mei dij immortales esse voluerunt: vt vos P. C. populumq; Ro. ex cæde misera, coniuges, liberosq; vestros, virginesq; vestales ex acerbissima vexatione, templa, atq; delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex fœdissima flamma, totam Italiam ex bello, & vastitate eriperem: quæcunque mihi vni proponetur fortuna, subeatur. Etenim si P. Lentu-

lus

lus suum nomen inductus à vatibus fatale ad perniciem Reip. fore putauit: cur ego non læter meũ Consulatum ad salutem Reip. propè fatalem extitisse? Quare P. C. consulite vobis, prospicite patriæ: conseruate vos, coniuges, liberos, fortunasq; vestras populi Ro. nomen, salutemq; defendite: mihi parcere ac de me cogitare desinite. nam primum debeo sperare omnes deos, qui huic vrbi præsident: pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratias esse. deinde, si quid obtigerit: æquo animo paratoq; moriar. neq; enim turpis mors forti viro potest accidere: neq; immatura consulari: nec misera sapienti. nec tamen ego sum illi ferreus: qui fratris charissimi, atq; amantissimi præsentis mœrore non mouear, horumq; omnium lachrymis, à quibus me circumsessum videtis. nec non meam mentem domum sæpe reuocat exanimata vxor, abiecta metu filia, & paruulus filius: qui mihi videtur ampecti Rempub. tanquam obsidem consulatus mei: neque ille, qui expectans huius exitum diei astat in conspectu meo gener. moueor his rebus omnibus: sed in eam partem, vt salui sint vobiscum omnes: etiam si vis aliqua me oppresserit: potius quàm vt illi & nos vna Reip. peste pereamus. Quare P. C. incumbite ad salutem Reipublicæ. circumspicite omnes procellas, quæ impendent, nisi prouidetis. non Tib. Gracchus, qui iterũ Tribunus pleb. fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus est: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit in discrimen aliquod, atq; in vestræ seueritatis iudicium adducitur: sed tenentur hi, qui ad vrbis incendium, ad vestrum omnium cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ restiterunt. tenentur literæ, signa, manus, deniq; vniuscuiusq; confessio, sollicitantur Allobroges: seruitia

excitantur:

excitantur: Catilina accersitur: id est initum consilium, vt interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidẽ Reip. nomen, atq; ad lamentandam tanti Imperij calamitatem relinquatur. hæc omnia indices detulerunt: rei confessi sunt: vos multis indicys iudicauistis. primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis. & mea virtute, atq; diligentia perditorum hominum patefactã esse coniurationem decreuistis. deinde quod P. Lentulũ, vt se abdicaret Prætura coegistis. tum quod eum & cæteros de quibus iudicauistis, in custodiam dandos censuistis: maximeq; quod meo nomine supplicationem decreuistis: qui honos togato habitus ante me est nemini. postremò hesterna die præmia legatis Allobrogũ, Titoq; Vulturcio dedistis amplissima. quæ sunt omnia eiusmodi: vt hi qui in custodiam nominatim dati sunt: sine dubitatione à vobis damnati esse videantur. Sed ego instituì referre ad vos P. C. tanquam integrum, & de facto, quid iudicetis, & de pœna, quid censeatis. illa prædicam, quæ sunt Consulis. Ego magnum in Repub. versari furorem & noua quædam misceri, & concitari mala iampridem videbam. sed hanc tantam, tam exitiosam haberi coniurationem à ciuibus nunquam putaui. Nunc quicquid est: quocunq; vestræ mentes inclinant, atq; sententiæ: statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad nos delatum sit, videtis. huic si paucos putatis affines esse: vehementer erratis. latius opinione disseminatum est hoc malum: manauit non solum per Italiam, verumetiam transcendit alpes: obscurè serpens multas iam prouincias occupauit. id opprimi sustentando, ac prolatando nullo pacto potest. quacunq; ratione placet, celeriter vobis vindicandum est. Video duas

adhuc

adhuc esse sententias: vnã D. Syllani: qui censet eos qui hæc delere conati sunt, morte esse mulctandos. Alteram C. Cæsaris qui mortis pœnam remouet: cæterorum supplicíorum omnes acerbitates amplectitur. Uterq; & pro sua dignitate, & pro rerum magnitudine in summa seueritate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Ro. vita priuare conati sunt: qui delere Imperium, qui populi Ro. nomen extinguere, puncto temporis frui vita & communi spiritu non putat oportere. atq; hoc genus pœnæ sæpe in improbos ciues in hac Rep. esse vsurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem à dijs immortalibus non esse supplicij causa constitutam: sed aut necessitatem naturæ, aut laborum, aut miseriarum quietem esse. Itaq; eam sapientes nunquã inuiti, fortes etiam sæpe libenter oppetiuerunt. vincula verò, & ea sempiterna, cerie ad singularem pœnam nefary sceleris inuenta sunt. itaq; municipijs dispertiri iubet. habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. Decernatur tamen si placet. ego enim suscipiam: & vt spero reperiam: qui id quod salutis omnium causa statueritis, non putet esse suæ dignitatis recusare. adiungit grauem pœnam municipibus: si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodias circundat: & digna scelere hominum perditorum sancit: ne quis, eorum pœnam, quos condemnat, aut per Senatum, aut per populum leuare possit. eripit etiam spem, quæ sola hominem in miserijs consolari solet. bona præterea publicari iubet. vitam solam relinquit nefarijs hominibus: quam si eripuisset, multas vno dolore animi ac corporis & omnes scelerum pœnas ademisset. Itaq;, vt aliqua in vita formido improbis esset posita: apud inferos eiusmodi quædam

dam illi antiqui supplicia impijs constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam. Nunc P. C. ego mea video quid interfit. Si eritis secuti sententiam C. Cæsaris: quoniam hanc is in Repub. viam, quæ popularis habetur, secutus est: fortasse minus erunt hoc monitore, & authore, huiusce sententiæ mihi populares impetus pertimescendi. Sin illam alteram: nescio an amplius mihi negocij contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes, vtilitas Reip. vendicat. habemus enim etiam à C. Cæsare, sunt ipsius dignitas, & maiorum eius amplitudo postulabat: sententiam tanquam obsidem perpetuæ in Remp voluntatis: intellectum est, quid interest inter leuitatem concionatorum, & animũ verè popularem, saluti populi consulentem. video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem: ne de capite videlicet ciuium Ro. sententiam ferat. is & nudiustertius in custodiam ciues Romanos Cethegum, & P. Lentulum dedit: & supplicationem mihi decreuit: & indices hesterno die maximis præmijs affecit. Iam hoc nemini dubium est: qui reo custodiam, quæstori gratulationem, indici præmium decreuit: quid de tota re & causa indicarit. At verò C. Cæsar intelligit, legem Semproniam esse de ciuibus Ro. constitutam. qui autem in Rep. sit hostis, eum ciuem esse nullo modo posse. deniq; ipsum latorem legis Semproniæ iussu populi pœnas Reip. dependisse. idem & ipsum largitorem Lentulum, & prodigum, non putat, cum de pernicie Reip. & exitio huius vrbis tam acerbè, tamq; crudeliter cogitarit: etiam appellari posse popularem. Itaq; homo mitissimus, atq; lenissimus non dubitat P.

Lentulum

Lentulum æternis tenebris vinculisq; mandare: & sancit in posterum, ne quis huius supplicio leuando se iactare, & in pernicie Reip. posthac popularis esse possit. adiungit etiam publicationem bonorum: vt omnes animi cruciatus, & corporis, etiam egestas ac mendicitas consequatur. Quamobrem siue hoc statueritis: dederitis mihi comitem ad concionem, populo Ro. charum, atq; iucundum. siue Syllani sententiã sequi malueritis: facilè me, atq; vos à crudelitatis vituperatione defendetis: atq; obtineo eum multo leuiorem fuisse. quanquã P. C. quæ potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas? ego enim de meo sensu iudico. nam ita mihi salua Rep. vobiscum perfrui liceat: vt ego quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moueor. quis enim est me mitior? sed singulari quadam humanitate & misericordia. videor enim mihi hanc vrbem videre lucem orbis terrarum, atq; arcem omnium gentium, subito vno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam: miseros atq; insepultos: aceruos ciuiũ: versatur ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis. cum verò mihi proposui regnantem Lentulum: sicut ipse se ex fatis speraſſe confessus est: purpuratum esse & Gabinium: cum exercitu venisse Catilinam: tum lamentationem matrum familias, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco. & quia mihi vehementer hæc videntur misera atq; miseranda: iccirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me seuerum vehementemq; præbebo. etenim quæro, si quis paterfamilias liberis suis à seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruis quàm acerbissimum sanxerit: vtrum is

clemens

clemens, ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videatur? mihi verò importunus, ac ferreus, qui non dolorem cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, coniuges, liberos nostros trucidare voluerũt: qui singulas vniuscuiusq; domos, hoc vniuersum Reip. domicilium, delere conati sunt: quid egerunt, vt gentem Allobrogum in vestigijs huius vrbis atque in cinere deflagrati imperij collocarent: si vehemẽtissimi fuerimus, misericordes habebimur: sin remissiores esse voluerimus, summa nobis crudelitatis in patriæ ciuiumq; pernicie fama subeunda est. nisi cuipiam L. Cæsar vir fortissimus, & amantissimus Reip. crudelior nudiustertius est visus: cũ sororis suæ, fœminæ electissimæ, virum præsentem, & audientem vita priuandum esse dixit: cum auum iussu Conss. interfectum, filiumq; eius impuberem ligatum à Pr. missum, in carcere necandum esse dixit. quorũ quid simile fuit factum? quod initiũ delendæ Reip. consilium? largitionis voluntas tũ in Rep. versata est, et partiũ quædam contentio. Atq; illo tempore huius auus Lentuli clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus. Ille etiã graue tum vulnus accepit. ne quid de summa dignitate Reip. minueretur. hic ad euertẽda fundamẽta Reip. Gallos accersiuit: seruitia concitauit: Catilinam euocauit: attribuit nos trucidandos Cethego: cæteros ciues interficiendos Gabinio: vrbẽ inflammandã Cassio: totam Italiam vastandam diripiendamq; Catilinæ. vereamini censeo ne in hoc scelere tãimmani, ac nefario, nimis aliquid seuerè statuisse videamini? cum multò magis sit verendum: ne remissione pœnæ crudeles magis in patriam, quàm ne seueritate animaduersionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamini. Sed quæ exau-

dio P. C. dissimulare non possum. iactantur enim voces, quæ perueniunt ad aures meas: eorum qui vereri videntur, vt habeã satis præsidij ad ea: quæ vos statueritis hodierno die, transigenda. omnia prouisa, parata, & cõstituta sunt, P. C. cum mea summa cura, atq; diligentia, tum multò etiam maiore populi Ro. ad summum imperium retinendum, & ad communes fortunas conseruandas voluntate. omnes adsunt omnium ordinum homines, denique omnium ætatum: plenum est forum: pleniomnes aditus huius loci, ac templi. causa enim est post vrbem conditam hæc inuenta sola, in qua omnes sentirent vnũ, atq; idem, præter eos, qui cũ sibi viderent esse pereundum: cũ omnibus potius, quàm soli perire voluerunt. hosce ego homines excipio, & secerno libenter. neque enim in improborum ciuium, sed iam acerbissimorũ hostiũ numero habendos puto. cæteri verò, dij immortales, qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutem q; consentiunt. quid ego hîc Equites Ro. commemorem? qui vobis ita summa ordinis consily q; concedunt: vt vobiscũ de amore Reip. certent. quos ex multorum annorum dissensione, ad huius ordinis societatem, concordiam q; renocatos, hodiernus dies vobiscum, atque hæc causa coniunxit. quam coniunctionem, si in consulatu confirmatam meo, perpetuam in Rep. tenuerimus: confirmo vobis, posthac malum ciuile ac domesticum ad nullã Reipub. esse venturum partem. Pari studio defendendæ Reipub. conuenisse video Tribunos ærarios fortissimos viros: scribas item vniuersos. quos cum casu hic dies ad ærarium frequentes aduocauit: video ab expectatione huius sortis, ad communem salutem esse conuersos. omnis ingenuorũ adest multitudo, etiã tenuissimorum.

nuissimorum. quis est enim? cui non hæc templa, aspectus vrbis, possessio libertatis, lux denique hæc ipsa, & hoc commune patriæ solum, cũ sit carum, tum verò dulce atque iucundum? Operæ precium est P. C. libertinorum hominũ studia cognoscere: qui sua virtute fortunam ciuitatis consecuti, hanc verè suam patriam esse iudicant: quam quidã hinc nati, & summo nati loco non patriam suam, sed vrbem hostium esse iudicauerunt. Sed quid ego hos homines, ordines q; commemorẽ? quos priuatæ fortunæ, quos communis Respublica, quos denique libertas ea, quæ dulcissima est: ad salutem patriæ defendendam excitauit? seruus est nemo, qui modò tolerabili conditione sit seruitutis: qui non audaciã ciuiũ perditorum perhorrescat: qui non obstare cupiat: qui non tantũ, quantum audet, & quantum potest: conferat ad cõmunem salutis voluntatem. Quare si quẽ vestrum fortè cõmouet hoc, quod auditum est: lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, precio sperantem, sollicitare posse animos egentium, atque imperitorum: est id quidẽ cœptum atq; tentatum: sed nulli sunt inuenti, tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi: qui non ipsum illum sellæ, atque operis, & quæstus quotidiani locum, qui non cubile, ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc ocioſum vitæ suæ saluum esse velit. multò verò maxima pars eorum, qui in tabernis sunt: imò verò, id enim potius est dicendũ, genus hoc vniuersum amicissimum est ocio. et enim omne eorum instrumentum, omnis opera, ac quæstus, frequentia ciuiũ sustinetur: alitur ocio. quorũ si quæstus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum est? Quæ cum ita sit P. C. vobis populi Rom. præsidia non desunt. vos ne populo

Ro. deesse videamini, prouidete. Habetis consulem ex plurimis periculis, et insidijs, atq; ex media morte, nõ ad vitam suã, sed ad salutem vestram reseruatũ: omnes ordines ad cõseruandam Remp. mente, voluntate, studio, virtute, voce, consentiunt: obsessa facibus & telis impia coniurationis, vobis supplex manus tendit patria cõmunis: vobis se, vitã omnium ciuiũ, vobis arcem, & Capitolium, vobis aras, penates, vobis illum ignem Vestæ perpetuum, ac sempiternũ, vobis omnia templa deorum, atq; delubra, vobis muros, atq; vrbis tecta commendat. præterea de vestra vita, de coniugum vestrarum, ac liberorũ anima, de fortunis omnium, de sedibus, de fõcis vestris, hodierno die iudicandũ est. habetis ducẽ memorem vestri, oblitum sui: quæ non semper facultas datur: vt sui oblitus Consul, ciuium suorum sit memor. habetis omnes ordines, omnes homines, vniuersum pop. Ro. id quod in ciuili causa hodierno die primum videmus: vnum atq; idem sentientẽ. cogitate quãtis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitã libertatem, quãta deorum benignitate auctas, exaggeratasq; fortunas nos vna penè delerit. id ne vnquam posthac non modò confici, sed ne cogitari quidem possit: vobis hodierno die prouidendum est. Atq; hæc, non vt vos qui mihi studio penè præcurritis, excitarem, locutus sum: sed vt mea vox, quæ debet esse in Rep. princeps, officio functa consulari videretur. Nunc antequã ad sententiam redeo: de me pauca dicam. Ego quanta manus est coniuratorũ: quam videtis esse permagnã: tantam me inimicorum multitudinẽ suscepisse video. sed eam esse iudico turpem, & infirmã, contemptam, & abiectam. quod si aliquando alicuius furor, & scelere concitata manus ista plus valuerit: quã

vestra,

vestra, ac Reip. dignitas: me tamen meorum factorum, atq; consiliorum P. C. nunquã pœnitebit. etenim mors, atq; consiliorum P. C. nunquã pœnitebit. etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata. vitæ tantã laudem, quanta vos me vestris decretis honestatis, nemo est assecutus. cæteris enim semper benè gestæ, mihi vni conseruatæ Reip. gratulationem decreuistis. Sit Scipio clarus ille: cuius consilio, atque virtute Annibal in Africam redire, atq; ex Italia decedere coactus est: ornetur alter eximia laude Africanus: qui duas vrbes huic Imperio infestissimas Carthaginem, Numantiamq; deleuit: habeatur vir egregius L. Paulus ille: cuius currũ Rex potentissimus quondam & nobilissimus Perses honestauit: sit in æterna gloria Marius: qui bis Italiam obsidione, & metu seruitutis liberauit: anteponatur omnibus Pompeius: cuius res gestæ, atque virtutes eisdem quibus solis cursus, regionibus, ac terminis continentur. erit profectò inter horum laudes aliquid loci nostræ gloriæ: nisi fortè maius est patefacere nobis prouincias, quò exire possimus: quàm curare, vt etiam illi, qui absunt, habeant quò victores reuertantur. quanquã inest in vno loco conditio melior externæ victoriæ, quàm domesticæ: quod hostes alienigenæ, aut oppressi seruiunt: aut recepti, beneficio se obligatos putant. qui autem ex numero ciuium dementia aliqua deprauati, hostes patriæ semel esse cœperunt: eos, cum à pernicie Reip. repuleris, neq; vi coërcere, neque beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis ciuibus æternum bellum susceptum esse video. quod ego vestro, bonorumq; omnium auxilio. memoriaq; tantorum periculorum, quæ nõ modo in hoc populo, qui seruatus est: sed in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper hærebit: à me atq; à meis fa-

cile propulsari posse confido. neque vlla profectò tanta vis reperietur: quæ coniunctionẽ vestram equitumq; Ro. & tantam conspirationẽ bonorum omnium perfringere, & labefactare possit. Quæ cum ita sint Patres Cõscripti: pro imperio, pro exercitu, pro prouincia, quã neglexi: pro triumpho, cæterisq; laudis insignibus, quæ sunt à me propter vrbis, vestræq; salutis custodiam repudiata: pro clientelis, hospicijsq; prouincialibus, quæ tamen vrbanis opibus non minore labore tueor, quàm comparo: pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos singularibus studijs, proq; hac quã prospicitis ad conseruandam Remp. diligentia, nihil à vobis nisi huius temporis, totiusq; mei Cõsulatus memoriam postulo. quæ dum erit vestris mentibus infixa: firmissimo me muro septum esse arbitrabor. quod si meam spem vis improborum fefellerit, atque superauerit: cõmendo vobis paruum meum filium: cui profectò satis erit præsidij, nõ solum ad salutem, sed ad dignitatem: si eius qui hæc omnia suo solus periculo conseruauerit: illum esse filium memineritis. Quapropter de summa salute vestra, populiq; Ro. P. C. de vestris coniugibus ac liberis, de aris, ac focis, de fanis, ac templis, de totius vrbis tectis, ac sedibus, de Imperio, de libertate, de salute Italiæ, deq; vniuersa Rep. decernite diligenter, vt instituistis, ac fortiter. habetis enim consulem: qui & parere vestris decretis non dubitet: & ea, quæ statueritis, quoad viuet defendere, & per se ipsum præstare possit.

PRO

PRO L. MVRENA. ORATIO XXIII.

QVÆ deprecatus à dijs immortalibus sum, Iudices, more, institutoq; maiorum, illo die, quo auspicato comitijs centuriatis L. Murenam consulem renunciaui: vt ea res mihi, magistratuiq; meo, populo, plebiq; Romanæ benè, atq; feliciter eueniret: eadem precor ab ijsdem dijs immortalibus ob eiusdem hominis consulatum vnà cum salute obtinendum: & vt vestræ mentes atq; sententiæ cum populi Rom. voluntate, suffragijsq; consentiant: eaq; res vobis, populoq; Ro. pacem, tranquillitatem, otiũ, concordiamq; afferat. Quod si illa solennis comitiorum precatio consularibus auspicijs consecrata, tantam habet in se vim, & religionem: quantam Reip. dignitas postulat: idem ego sum precatus: vt eis quoq; hominibus, quibus hic consulatus me rogante datus esset: ea res faustè, feliciter, prospereq; eueniret. Quæ cum ita sint Iudices: & cum omnis deorum immortalium potestas aut translata sit ad vos, aut certè cõmunicata vobiscum: idem consul eum vestræ fidei commendat: qui antea dijs immortalibus commendauit: vt eiusdem hominis voce & declaratus consul, & defensus beneficium populi Rom. cum vestra, atque omnium ciuium salute tueatur. Et quoniam in hoc officio studium meæ defensionis ab accusatoribus, atque etiam ipsa susceptio causæ reprehensa est: antequã pro L. Murena dicere instituo: pro me ipso pauca dicam: non quo mihi potior hoc quidem in tempore sit officij mei, quàm hu-

iuſce ſalutis defenſio: ſed vt meo facto vobis probato, maiore authoritate ab huius honore, fama, fortunisq; omnibus inimicorum impetus propulſare poſſunt. Et primum M. Catoni vitam ad certam rationis normã dirigenti, & diligentiſſimè perpendenti momenta officiorũ omnium, de officio meo reſpondebo. Negat fuiſſe rectum Catonem & conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeuerè geſto conſulatu, cauſam L. Murenæ attingere. Cuius reprehenſio me vehementer mouet: non ſolum vt vobis Iudices, quibus maximè debeo: verum etiam vt ipſi Catoni grauiſſimo, atq; integerrimo viro rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, eſt æquius conſulem defendi, quàm à Conſule? quis mihi in Repub. poteſt, aut debet eſſe coniunctior? quàm is cui Reſp. à me vna traditur ſuſtinenda magnis meis laboribus, & periculis ſuſtenta? quod ſi in his rebus repetendis, quæ mancipij ſunt: is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit: profectò etiam rectius in iudicio conſulis deſignati, is potiſſimum conſul, qui conſulem declarauit, author beneficij populi Rom. defenſorq; periculi eſſe debebit. Ac ſi vt nonnullis in ciuitatibus fieri ſolet, patronus huic cauſæ publicæ conſtitueretur: is potiſſimè honore affecto defenſor daretur: qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum authoritatis, quàm facultatis. quod ſi è portu ſoluentibus, ij, qui iam in portũ ex alto inuehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatũ rationem, & prædonum, & locorum: quod natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet propè iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc: cui video maximas

ximas Reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? quare ſi eſt boni conſulis, non ſolum videre quid agatur: verum etiam prouidere, quid futurum ſit: oſtendam alio loco quantum ſalutis communis interſit, duos conſules in Repub. Calen. Ianuarijs eſſe. quod ſi ita eſt: non tam me officiũ debuit ad hominis amici fortunas, quã Reſp. Conſulem ad communem ſalutem defendendã vocare. Nam quod legem de ambitu tuli: certè ita tuli, vt eam, quàm mihimet ipſi iampridem tulerim de ciuium periculis defendendis, non abrogarem. etenim ſi largitionem factam eſſe confiterer: idq; rectè factum eſſe defenderem, facerem improbè: etiamſi alius legem tuliſſet. cũ verò nihil commiſſum contra legem eſſe defendam: quid eſt quod meam defenſionem latio legis impediat? Negat eſſe eiuſdem ſeueritatis, Catilinam exitium Reip. intra mœnia molientem, verbis, & penè imperio vrbe expuliſſe: & nunc pro L. Murena dicere. Ego autem has arteis lenitatis & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit: ſemper egi libenter. illam verò grauitatis, ſeueritatisq; perſonam non appetiui: ſed ab Rèp. mihi impoſitam ſuſtinui: ſicut huius imperij dignitas in ſummo periculo ciuium poſtulabat. quod ſi tum, cum Reſp. vim, & ſeueritatem deſiderabat, vici naturam: & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam: nunc, cum omnes me cauſæ ad miſericordiam atq; ad humanitatẽ vocent: quanto tandem ſtudio debeo naturæ meæ, conſuetudinig; ſeruire? Ac de officio defenſionis meæ, ac de ratione accuſationis tuæ, fortaſſe etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit. Sed me Iudices non minus hominis ſapientiſſimi atq; ornatiſſimi Ser. Sulpicij conqueſtio, quàm Catonis accuſatio commouebat. qui gra-

tuissimè & acerbissimè ferre dixit: me familiaritatis, necessitudinisq; oblitum causam L. Murenæ contra se defendere. Huic ego Iudices satisfacere cupio: vosq; adhibere arbitros. nam cum graue est verè accusari in amicitia: tum etiam, si falsò accuseris, non est negligendum. Ego Serui Sulpitii me in petitione tua tibi omnia studia, atq; officia pro nostra necessitudine & debuisse cõfiteor: & præstitisse arbitror. nihil tibi consulatum petenti à me defuit: quod esset aut ab amico, aut à gratioso, aut à consule postulandũ. abiit illud tempus: mutata ratio est. sic existimo: sic mihi persuadeo: me tibi contra honorem L. Murenæ quantum tu à me postulare ausus sis, tantũ debuisse: contra salutem, nihil debere. neq; enim si tibi tum, cum peteres consulatũ, affui: iccirco nunc, cũ Murenam ipsum petas: adiutor eodem pacto esse debeo. atq; hoc non modo non laudari: sed ne concedi quidem potest: vt amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos defendamus. mihi autem cum Murena Iudices et vetus & magna amicitia est: quæ in capitis dimicatione à Ser. Sulpicio non iccirco obruetur: quod ab eodem in honoris contentione superata est. Quæ si causa non esset: tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem adeptus est, amplitudo summam mihi superbiæ, crudelitatisq; famam inussisset: si hominis, & suis, & populi Ro. ornamentis amplissimi causam tanti periculi repudiassem. neq; enim iam mihi licet, neq; est integrum: vt meum laborem hominum periculis subleuandis nõ impertiam. nam cum præmia mihi tanta pro hac industria sint data: quanta antea nemini: labores per quos ea cœperis, cũ adeptus sis, deponere, esset hominis & astuti, & ingrati. quod si licet desinere, si te authore possum. si nulla

la inertiæ, nulla superbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego verò libenter desino. sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum hæc causa est eiusmodi, quam nec industrius, quam nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atq; huiusce rei coniecturam de tuo ipsius studio Serui facillimè cœperis. nam si tibi necesse putas, etiam aduersarijs amicorum tuorũ de iure consulentibus respondere: & si turpe existimas te aduocato illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere: noli tam esse iniustus, vt cum tui fontes vel inimicis tuis pateant: nostros etiam riuulos amicis putes clausos esse oportere. Etenim si me tua familiaritas ab hac causa remouisset: & si hoc quidem Q. Hortensio, M. Crasso clarissimis viris, si item cæteris à quibus intelligo tuam gratiam magni æstimare, accidisset: in ea ciuitate consul designatus defensorem non haberet: in qua nemini vnquam infimo maiores nostri patronum deesse voluerunt. Ego verò Iudices ipse me existimarem nefarium si amico, crudelem si misero, superbũ si Consuli defuissem. Quare quod dandũ est amicitiæ: largè dabitur à me: vt tecum agam Serui non secus, ac si meus esses frater: qui mihi est charissimus. isto in loco quod tribuendum est officio, fidei, religioni, id ita moderabor, vt meminerim me contrà amici studium pro amici periculo dicere. Intelligo Iudices treis totius accusationis partes fuisse: & earum vnam in reprehensione vitæ: alteram in contentione dignitatis: tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Atq; harum trium partium prima illa, quæ grauissima esse debebat: ita fuit infirma, & leuis: vt illos lex magis quædam accusatoria,

ſatoria, quã vera maledicendi facultas de vita L. Murenæ dicere aliquid coëgerit. obiecta eſt enim Aſia, quæ ab hoc non ad voluptatem, & luxuriam expetita eſt: ſed in militari labore peragrata. qui ſi adoleſcens patre ſuo imperatore non meruiſſet: aut hoſtem, aut patris imperiũ timuiſſe, aut à parente repudiatus videretur: aut cum ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimum filij ſoleant: huic donis militaribus, patris triumphum decorare fugiendum fuit: vt rebus communiter geſtis penè ſimul cum patre triumpharet. Hic verò, Iudices, & fuit in Aſia: & viro fortiſſimo parenti ſuo magno adiumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. & ſi habet Aſia ſuſpicionem luxuriæ quandam: non Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in Aſia continenter vixiſſe laudandum eſt. quamobrem non Aſiæ nomen obiciendum Murenæ fuit. ex qua laus familiæ, memoria generi, honos & gloria nomini conſtituta eſt: ſed aliquod aut in Aſia ſuſceptum, aut ex Aſia deportatum flagitium, ac dedecus. meruiſſe verò ſtipendia in eo bello, quod tum populus Ro. non modo maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis: patre imperatore libentiſſimè meruiſſe pietatis: finem ſtipendiorum, patris victoriam ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit. maledicto quidẽ iccirco nihil in hiſce rebus loci eſt, quod omnia laus occupauit. Saltatorẽ appellat L. Murenam Cato. Maledictũ eſt: ſi verè obycitur, vehementis accuſatoris: ſin falsò, maledici conuiciatoris. quare cum iſta ſis authoritate: non debes Marce Cato arripere maledictum ex triuio, aut ex ſcurrarũ aliquo conuicio: neq; temerè conſulem populi Ro. ſaltatorem vocare: ſed conſpicere quibus præterea vitys affectum eſſe neceſſe ſit

cum,

eum, cui verè iſtud obiici poſſit. nemo enim ferè ſaltat ſobrius: niſi forte inſanit. neq; in ſolitudine, neq; inconuiuio moderato atq; honeſto. intempeſtiui conuiuy, amœni loci, multarum delitiarum comes eſt extrema ſaltatio. tu mihi arripis id: quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum. relinquis illa: quibus remotis, hoc vicium omnino eſſe non poteſt. nullũ turpe conuiuium, non amor, non commeſſatio, non libido, non ſumptus, oſtenditur: & cum ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt: in quo ipſam luxuriam reperire non potes: in eo te vmbram luxuriæ reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murenæ dici poteſt? nihil vnquam omnino Iudices. ſic à me conſul deſignatus defenditur: vt eius nulla fraus, nulla auaricia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur. Bene habet, iacta ſunt fundamenta defenſionis. nondum enim noſtris laudibus, quibus vtar poſtea: ſed propè inimicorum confeſſione, virũ bonum, atq; integrum hominem defendimus. Quo conſtituto, facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis: quæ pars altera fuit accuſationis. Summam video eſſe in te Serui Sulpiti, dignitatem generis, integritatis, induſtriæ, cæterorumq; ornamentorum omnium. quibus fretum ad conſulatus petitionem aggredi par eſt. par cognoſco eſſe iſta in L. Murena: atq; ita paria, vt neq; ipſe dignitate vinci potuerit, neq; te dignitate ſuperarit. Contempſiſti L. Murenæ genus: extuliſti tuũ. quo loco, ſi tibi hoc ſumis: niſi qui patritius ſit, neminem bono eſſe genere natũ: facis vt rurſus plebs in Auentinum ſeuocanda eſſe videatur. Sin autẽ ſunt amplæ, & honeſtæ familiæ plebeiæ: & proauus L. Murenæ, & auus, Prætores

fuerunt:

fuerunt: & pater cum amplissimè, atq; honestissimè ex Prætura triumphasset: hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit: quod is iam patri debitus, à filio petebatur. Tua verò nobilitas Ser. Sulpiti, tametsi summa est: tamen hominibus literatis & historicis est notior: populo verò & suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco: auus nulla illustri laude celebratus. itaq; non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo: quod virtute, industriaq; perfeciſti: vt cum equitis Romani esses filius: summa tamen amplitudine dignus putarere. nec mihi vnquam minus in Q. Pompeio nouo homine, & fortissimo viro virtutis esse visum est: quàm in homine nobilissimo M. Æmilio. etenim eiusdem animi atq; ingenij est: posteris suis, quod Pompeius fecit amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere: & vt Scaurus, memoriam propè internortuam generis sui virtute renouare. Quanquam ego iam putabam Iudices, multis viris fortibus ne ignobilitas obiceretur generis, meo labore esse perfectum: qui non modo Curijs, Catonibus, Pompeys, antiquis illis, fortissimis viris, nouis hominibus, sed his recentibus Marys, & Didys, & Cælijs commemorandis iacebant. cum ego verò tanto interuallo claustra ista nobilitatis refregissem: vt aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit: non magis nobilitate quàm virtuti pateret: non arbitrabar cum ex familia vetere, & illustri Consul designatus ab equitis Ro. filio Consule defenderetur: de generis nouitate accusatores esse dicturos. etenim mihi ipsi accidit: vt cum duobus Patritijs, altero improbissimo,

mo, atque audacissimo, altero modestissimo atq; optimo viro peterem. superaui tamen dignitate Catilinam: gratia Galbam. Quod si id crimen homini nouo esse deberet: profectò mihi neq; inimici, neq; inuidi defuissent. Omittamus igitur de genere dicere: cuius est magna in vtroq; dignitas. videamus cætera. Quæsturam vnà petyt: & sum ego factus prior. Non est respondendum ad omnia. neque enim quenquam vestrum fugit: cum multi pares dignitate fiant: vnus autem primum solus possit obtinere: non eundem esse ordinem dignitatis, & renunciationis. propterea, quod renunciatio gradus habeat: dignitas autem sit persæpe eadem omnium. sed Quæstura vtriusq; propemodum pari momento sortis fuit. habuit hic lege Titia prouinciam tacitam, & quietam. tu illam, cui cum Quæstores sortiuntur, etiam acclamari solet: Hostiensem, non tam gratiosam, & illustrem, quàm negocioſam, & molestam. consedit vtriusq; nomen in Quæstura. nullum enim vobis sors campum dedit: in quo excurrere virtus cognosciq; posset. reliqui temporis spatium in contentionem vocatur, ab vtroq; dissimillima ratione tractatũ est. Seruius hic nobiscum hanc vrbanam militiam respondendi, scribendi, cauendi, plenã solicitudinis, ac stomachi secutus est: ius ciuile didicit: multum vigilauit: laborauit: præsto multis fuit: multorum stultitiam perpessus est: arrogantiã pertulit: difficultatem exorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. magna laus, & grata hominibus, vnum hominem elaborare in ea scientia, quæ sit multis profutura. Quid Murena interea? fortissimo & sapientissimo viro, summo imperatori, legatus L. Lucullo fuit. qua in legatione duxit exercitum: signa contulit: manũ conse-

ruit:

ruit: magnas copias hostium fudit: vrbes partim vi, partim obsidione cepit: Asiam istam refertam & eandem delicatam sic obyt: vt in ea neq; auaritiæ, neq; luxuriæ vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus: vt hic multas res & magnas sine imperatore gesserit: nullam sine hoc imperator. Atq; hæc, quanquam præsente L. Lucullo loquar: tamen ne ab ipso propter periculum nostrum concessam videamur habere licentiam fingendi: publicis literis testata sunt omnia: quibus L. Lucullus tantũ laudis impertit: quantum neq; ambitiosus imperator, neq; inuidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit. Summa in vtroq; est honestas: summa dignitas. quam ego, si mihi per Seruium liceat: pari, atq; in eadem laude ponam. sed non licet: agitat rem militarem: insectatur totam hanc legationem assiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat esse consulatũ: apud exercitum mihi fueris inquit: tot annos: forum nõ attigeris: abfueris tam diu, vt cum longo interuallo veneris: cum ijs qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Primum ista nostra assiduitas, Serui, nescis quantum interdum afferat hominibus fastidy: quantum satietatis. mihi quidem vehementer expedit: positã in oculis esse gratiam. sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superaui & tu idem fortasse. verumtamen vtriq; nostrum desiderium nihil obfuisset. Sed, vt hoc omisso, ad studiorum, atq; artium contentionem reuertamur: quis potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis res militaris, quã iuris ciuilis gloria? vigilas tu de nocte: vt tuis consultoribus respondeas: ille, vt eò quò intendit, maturè cum exercitu perueniat: te gallorum, illum buccinarũ

cantus

cantus excitat. tu actionem instituis: ille aciẽ instruit. tu caues ne tui consultores, ille ne vrbes aut castra capiantur. ille tenet, & scit vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceãtur. ille exercitatus est in propagandis finibus: tu in regendis. Ac nimirum, dicendum est enim quod sentio, rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. hæc nomen populo Romano, hæc huic vrbi æternã gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. omnes vrbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus, & industria, latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis. simulatq; increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. Et quoniam mihi videris istam scientiam iuris, tanquam filiolã osculari tuam: non patiar te in tanto errore versari: vt istud nescio quid, quod tantoperè didicisti, præclarũ aliquid esse arbitrere. alys ego te virtutibus, continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei, cæteris omnibus, consulatu & omni honore semper dignissimũ iudicaui. quod quidem ius ciuile didicisti: non dicam, operã perdidisti: sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatũ viam. omnes enim artes, quæ nobis populi Ro. studia conciliant: & admirabilẽ dignitatem, & pergratam vtilitatem debẽt habere. summa dignitas est in ijs, qui militari laude antecellunt. omnia enim quæ sunt in imperio, & in statu ciuitatis: ab ijs defendi, & firmari putantur. summa etiã vtilitas: si quidem eorum consilio, & periculo, cum Repub. tum etiam nostris rebus perfrui possumus. Grauis etiam illa est, & plena dignitatis dicendi facultas: quæ sæpè valuit in consule diligendo: posse consilio, atq; oratione, & Senatus, & populi, & eorum quibus iudicant, mentes permouere. quæritur consul, qui dicendo

nonnunquam comprimat tribunitios furores: qui concitatum populum flectat: qui largitioni resistat. non mirum si ob hanc facultatem homines sæpe etiam non nobiles consulatum consecuti sunt: præsertim cum hæc eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. quorum in isto vestro artificio Sulpiti nihil est. primum dignitas. in tam tenui scientia quæ potest esse? res enim sunt paruæ, propè in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatæ. deinde etiã si quid apud maiores nostros fuit in isto iure admirationis: id nunciatis vestris mysterijs, totum est contemptũ, & abiectum. posset agi lege nécne, pauci quondam sciebant. fastos enim vulgò non habebant. erant in magna potentia qui consulebantur. à quibus etiam dies tanquam à Chaldeis petebantur: inuentus est Scriba quidam Cn. Flauius: qui cornicum oculos consixerit: & singulis diebus ediscendos Fastos populo proposuerit: & ab ipsis cautis iurisconsultis eorum sapientiam compilarit. itaq; irati illi, quod sunt veriti ne dierũ ratione peruulgata, & cognita, sine sua opera lege posset agi: notas quasdam composuerunt: vt omnibus in rebus ipsi interessent. cũ hoc fieri bellissimè posset: fundus Sabinus meus est: immo meus: deinde iudicium: noluerunt. fundus inquit qui est in agro, qui Sabinus vocatur. satis verbo. sè. cedo quid postea? eum ego ex iure meũ esse aio. quid tum inde? inde ego te ex iure manu consertum voco. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. transit idem iurisconsultus tibicinis Latini modo. unde tu me inquit ex iure manu consertum vocasti, inde ibi ego te reuoco. Prætor interea, ne pulchrum se ac beatum putaret: atque aliquid ipse

ipse sua sponte loqueretur: ei quoq; carmen compositum est, cum cæteris rebus absurdum, tum verò nullo vsui. vtriusq; superstitibus præsentibus: istam viam dico. inite viam. præsto aderat sapiens ille: qui inire viã doceret. redite viam. eodem duce redibant. Hæc iam tum apud illos barbatos ridicula credo videbantur: homines cum rectè atq; in loco constitissent: iuberi abire, vt vnde abissent, eodem statim redirent. hisdem ineptijs fucata sunt illa omnia: quando te in iure conspicio. & hæc, sed an ne tu dicis, causa vindicaueris? quæ dum erant occulta: necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur. posteà verò peruulgata, atque in manibus iactata, & excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt: fraudis autẽ & stulticiæ plenissima. nam cum permulta præclarè legibus essent constituta: ea iureconsultorum ingenijs pleraque corrupta ac deprauata sunt. mulieres omnes propter infirmitatem consilij, maiores in tutorum potestate esse voluerunt. hi inuenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. sacra interire illi noluerunt. horum ingenio senes coëmptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt. in omni denique iure ciuili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt. vt quia in alicuius liberis, exempli causa, id nomen inuenerant: putarunt omnes mulieres quæ coëmptionem facerent, Caias vocari. Iam illud mihi quidem mirum videri solet: tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, vtrum diem tertium, an perendinum, iudicem, an arbitrum, rem, an litem dici oporteret. Itaque, vt dixi, dignitas in ista scientia consularis nunquam fuit: quæ tota ex rebus fictis, commenticijsq; constaret,

gratiæ verò multò etiã minus. quod enim omnibus patet, & æquè promptum est mihi & aduersario meo: id esse gratũ nullo pacto potest. itaq; non modò beneficij collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquando fuit, licet consulere, iam perdidistis. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quæ neq; extra Romam vsquã, neque Romæ rebus prolatis quicquã valet. peritus ideo haberi nemo potest: quod in eo quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. difficilis autem res idèo non putatur: quod & perpaucis & minimè obscuris literis continetur. itaq; si mihi homini vehementer occupato stomachum moueritis: triduo me iurisconsultum esse profitebor. etenim quæ descripto aguntur, scripta sunt omnia, neq; tamẽ quicquã tam anguste scriptũ est: quo ego non possim, qua de re agitur, addere. Quæ consuluntur autẽ, minimo periculo respondentur. si id quod oportet, responderis: idem videare respondisse quod Seruius, sin aliter: etiam controuersum ius nosse, & tractare videare. quapropter non solum illa gloria militaris, vestris formulis atque actionibus anteponenda est: verum etiam dicendi consuetudo, longè & multũ isti vestræ exercitationi ad honorem antecellet. Itaq; mihi videntur plerique initio, multò hoc maluisse. post, cum id assequi non potuissent: istuc potissimum sunt delapsi. vt aiunt in Græcis artificibus, eos auledos esse: qui citharœdi fieri non potuerint. sic nonnullos videmus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa etiam gratia etenim à vobis salubritas quædã: ab ijs qui dicunt salus ipsa petitur. deinde vestra responsa atq; decreta

eta & euertuntur sæpè dicendo: & sine defensione oratoris firma esse non possunt. in quasi satis profecissem: parcius de eius laude dicerẽ. nunc nihil de me dico: sed de his qui in dicendo magni sunt, aut fuerunt. Duæ sunt artes: quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: vna Imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur. cæteræ tamen virtutes ipsæ per se multum valent: iustitia, fides, pudor, temperantia: quibus te Serui excellere omnes intelligunt. sed nunc de studys ad honorem dispositis, non de insita cuiusq; virtute disputo. omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur: simulatq; aliquis motus nouus bellicum canere cœpit. etenim vt ait ingèniosus poeta & author valdè bonus, prælys promulgatis, TOLLITVR E MEDIO: non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiæ: sed etiam ipsa illa domina rerum SAPIENTIA: VIGERITVR RES. SPERNITVR ORATOR, non solum odiosus in dicendo, ac loquax: verum etiam BONVS. HORRIDVS MILES AMATVR. Vestrum verò studium totum iacet. NONEX IVRE MANV CONSERTVM: SED MAGE FERRO, inquit, REM REPETVNT. Quod si ita est, cedat opinor Sulpitij fòrum castris, ociũ militiæ, stilus gladio, vmbra soli: sit denique in ciuitate ea prima res: propter quam ipsa est ciuitas omnium princeps. Verum hæc Cato nimium nos nostris verbis magna facere demonstrat: & oblitos esse, bellũ illud omne Mythridaticum cum mulierculis esse gestum. Quod ego longè secus existimo Iudices: deq; eo pauca disseram. neq; enim causa in hoc continetur. Nam si omnia bella

quæ cum Græcis gessimus contemnenda sunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M. Cury: de Philippo T. Flaminij: de Ætolis M. Fuluij: de rege Perse L. Pauli: de Pseudophilippo Q. Metelli: de Corinthys L. Mummij. sin hæc bella grauissima, victoriaq; eorum bellorum gratissimæ fuerunt: cur Asiaticæ nationes, atq; ille à te hostis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monumentis, vel maximum bellum populum Romanum cum Antiocho gessisse video: cuius belli victor L. Scipio, qua parta cũ Publio fratre gloria, quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso præ se ferebat, eandem hic sibi ex Asiæ nomine assumpsit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis proaui tui. quo ille, cum esset vt ego mihi statuo, talis, qualem te esse video: nunquam cũ Scipione esset profectus: si cum mulierculis bellandum arbitraretur. Neque verò cum P. Africano Senatus egisset: vt legatus fratri proficisceretur: cum ipse paulò antè Annibale ex Italia expulso, ex Africa ejecto, Carthagine oppressa, maximis periculis Rempub. liberauisset: nisi illud graue bellum & vehemens putaretur. Atqui si diligenter quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, considera ris: omnibus regibus, cũ quibus populus Ro. bellum gessit: hunc regẽ nimirum antepones. quẽ L. Sylla maximo & fortissimo exercitu, cum exacerbasset pugna excitatũ non rudis imperator, vt aliud nihil dicam: eum bello inuectum totam in Asiam, cum pace dimisit. quẽ L. Murena pater huiusce vehementissimè vigilantissimeq; vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit. qui Rex sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes, & copias belli, tantum ipse opibus, conatuq;

natuq; valuit: vt se Oceanum cum ponto, Sertorij copias cũ suis coniunctum putaret. ad quod bellum duobus consulibus ita missis, vt alter Mithridatem persequeretur, alter Bithiniam tueretur: alterius res & terra & mari calamitosæ, vehementer & opes regis & nomen auxerunt. L. Luculli verò res tantæ extiterunt: vt neq; maius bellum commemorari possit: neq; maiore consilio & virtute gestum. Nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset: eamq; vrbem sibi Mithridatis Asiæ ianuam fore putauisset, qua effracta & reuulsa tota pateret prouincia: perficta ab Lucullo hæc sunt omnia: vt vrbs fidelissimorum sociorum defenderetur: vt omnes copiæ regis diuturnitate obsidionis consumerentur. Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atq; animis inflata peteret: mediocri certamine & parua dimicatione cõmissam arbitraris? mitto prælia: prætereo oppugnationes oppidorum: expulsus regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque authoritate valuit: vt se rege Armeniorum adiuncto nouis opibus copijsq; renouarit. Ac si mihi nunc de rebus gestis esset nostri exercitus, imperatorisq; dicendum: plurima & maxima prælia commemorare possem, sed non id agimus. hoc dico, si bellum hoc, si hic hostis, si ille Rex contemnendus fuisset: neque tanta cura senatus & populus Ro. suscipiendum putasset: neq; tot annos gessisset: neq; tanta gloria L. Luculli: neq; verò eius belli conficiendi curã tanto studio populus R. ad Cn. Põpeium detulisset: cuius ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa: quæ cum rege commissa est, & summa contentione pugnata. Qua

ex pugna cum se ille eripuisset: & Bosphorum confugisset quo exercitus adire non posset: etiam in extrema fortuna & fuga nomen tamen retinuit regium. Itaque ipse Pompeius regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tamen tantum in vnius anima posuit: vt cum ille omnia, quæ tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret: tamen non antequam illum vita expulit, bellū confectum iudicarit. Hunc tu hostem Cato contemnis? quo cū per tot annos, tot prælijs tot imperatores bella gesserunt: cuius expulsi & eiecti vita tanti æstimata est: vt morte eius nunciata, tū denique bellum confectum arbitraretur. Hoc igitur in bello L. Murenam legatum fortissimi animi, summi consilij, maximi laboris cognitum esse defendimus. & hanc eius operam non minus ad consulatum adipiscendum, quàm hanc nostram forensem industriā dignitatis habuisse. At enim in Prætura petitione prior renunciatus est Seruius. Pergitis ne vos, tanquam ex syngrapha agere cum populo? vt quem locum semel honoris cuipiam dederit: eundē reliquis honoribus debeat? quod enim fretum, quē Euripū, tot motus, tantas, tā varias habere putatis agitationes fluctuū? quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? dies intermissus vnus, aut nox interposita sæpè perturbat omnia: & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. sæpè etiam sine vlla aperta causā fit aliud, atque existimamus? vt nonnunquam ita factum esse etiā populus admiretur: quasi verò non ipse fecerit. nihil est incertius vulgo: nihil obscurius voluntate hominum: nihil fallacius ratione tota comitiorum. quis L Philippum summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, à M. Herennio superari posse

posse arbitratus est? quis Q. Catulum humanitate, sapientia, integritate antecellentem à Cn. Manlio? quis M. Scaurum hominem grauissimum, ciuem egregium, fortissimum senatorem à Q. Maximo? non modo horum nihil ita fore putatum est: sed ne cum esset factum quidem, quare ita factum esset intelligi potuit. nam vt tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commouentur: sæpe improuiso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur. sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelligas quo signo commota sit: sæpe ita obscura est, vt casu excitata esse videatur. Sed tamen si est reddenda ratio: duæ res vehementer in Prætura desideratæ sunt. quæ ambæ in consulatu tum Murenæ profuerunt. Vna, expectatio muneris: quæ & rumore nonnullo, & studijs sermonibusq; competitorum creuerat. altera, quod ij quos in prouincia, ac legatione omnis & liberalitatis & virtutis suæ testes habuerat: nondum decesserant. Horum vtrunq; ei fortuna ad consulatus petitionem reseruauit. nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum conuenerat: idem comes L. Murena præsto fuit: & munus amplissimum, quod petitio Prætura desiderabat, prætura restituit. num tibi hæc parua videntur adiumenta, & subsidia consulatus? voluntas militum, quæ cum per se valet multitudine, tum apud suos gratia: tum verò in consule declarando multum etiam apud vniuersum populum Ro. authoritatis habet, suffragatio militaris. imperatores enim comitijs consularibus, non verborum interpretes diliguntur. quare grauis est illa oratio, me fauicium recreauit: me præda donauit: hoc duce castra cœpimus: signa contulimus: nunquā iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit: ipse cum

fortis, tum etiam felix. hoc quanti putas esse ad famã hominum ac voluntatem? etenim si tanta illis comitijs religio est: vt adhuc semper omen valuerit prærogatiuum: quid mirum est, in hoc felicitatis famã sermonemq; valuisse? sed hæc leuiora ducis: quæ sunt grauissima: & hanc vrbanam suffragationem militari anteponis: noli ludorum huius elegantiam, & scenæ magnificentiam valde contemnere: quæ huic admodum profuerunt. nam quid ego dicam populum, ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? minus est mirandum. quanquàm huic causæ id satis est: sunt enim populi, ac multitudinis comitia. quare si populo ludorũ magnificentia voluptati est: non est mirandum eam L. Murenæ apud populum profuisse. sed si nosmetipsi, qui & ab delectatione omni negocijs impedimur, & in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus: ludis tamen oblectamur, & ducimur: quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho vir fortis meus necessarius, Equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatẽ. ita lex hæc, quæ ad ludos pertinet: est omnium gratissima: quod honestissimo ordini cũ splendore, fructus quoq; iucunditatis est restitutus. quare delectant homines mihi crede ludi: etiam illos qui dissimulant, non solũ eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione sensi. nam nos quoq; habuimus scenam competitricem. quod si ego, qui trinos ludos Ædilis fecerã: tamen Antonij ludis cõmouebar: tibi qui casu nullos feceras, nihil huius istam ipsam, quã irrides, argenteam scenam, aduersatam putas? sed hæc sanè sint paria omnia. sit par forensis opera militari: sit par militari, suffragatio vrbana: sit idem magnificentissimos & nullos vnquam fecisse ludos. quid? in ipsa Prætura

tura nihil ne existimas inter tuam, & istius sortem interfuisse? huius sors ea fuit, quam omnes tui necessarij tibi optabamus, iuris dicundi: in qua gloriã conciliat magnitudo negocij: gratiam æquitatis largitio. qua in sorte sapiens Prætor, qualis hic fuit, offensionem vitat æquabilitate decernendi: beneuolentiam adiungit lenitate audiendi. egregia & ad consulatum apta prouincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur. quid tua sors? tristis, atrox, quæstio peculatus, ex altera parte lachrymarum, & squaloris, ex altera plena cathenarum, atque iudicum. cogendi Iudices: inuiti retinendi contra voluntatem: scriba damnatus: ordo totus alienus. Syllana gratificatio reprehensa, multi viri fortes, & propè pars ciuitatis offensa est: lites seuerè æstimatæ. cui placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit. postremò tu in prouinciam ire noluisti. non possum id in te reprehendere: quod in me ipso & Prætor, & Consul probaui. sed tamen L. Murenæ prouincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. habuit proficiscens delectum in Vmbria: dedit ei facultatẽ Resp. liberalitatis: qua vsus, multas sibi tribus, quæ municipijs Vmbriæ conficiuntur, adiunxit. ipse autem in Gallia, vt nostri homines desperatas iam pecunias exigerent, æquitate diligentiaq; perficit. Tu interea Romæ scilicet amicis præsto fuisti. fateor. sed tamen illud cogita, nonnullorum amicorũ studia minui solere in eos: à quibus prouincias contemni intelligant. Et quoniam ostendi Iudices parem dignitatem ad consulatus petitionem, disparem fortunam prouincialium negociorum in Murena, atq; in Sulpicio fuisse: dicam iam apertius in quo meus necessarius fuerit

inferior

inferior Seruius: & ea dicam vobis audientibus amisso iam tempore, quæ ipsi soli re integra sæpe dixi.

Petere consulatum nescire te Serui persæpe dixi: & in his rebus ipsis, quas te magno, & forti animo, & agere, & dicere videbam: tibi solitus sum dicere: magis te fortem senatorem mihi videri quàm sapientem candidatum. Primum accusandi terrores & minæ, quibus tu quotidie vti solebas, sunt fortis viri: sed & populi opinionem à spe adipiscendi auertunt, & amicorum studia debilitant. nescio quo pacto semper hoc fit, neque in vno aut altero animaduersum est, sed iam in pluribus: simulatq; candidatus accusationem meditari visus est, vt honorem desperasse videatur. quid ergo? acceptam iniuriam persequi non placet? immo vehementer placet. sed aliud tempus est petendi, aliud persequendi. petitionem ego, præsertim consulatus, magna spe, magno animo, magnis copijs, & in forum, & in campum deduci volo. non placet mihi inquisitio candidati, prænuncia repulsæ: non testium potius, quàm suffragatorum comparatio: non minæ magis, quàm blanditiæ: non declamatio potius, quàm persalutatio: præsertim cum iam hoc nouo more omnes ferè domos omnium concursent: & ex vultu candidatorum coniecturā faciant: quantū quisq; animi, & facultatis habere videatur. vides ne tu illum tristem, demissum? iacet: diffidit: abiecit hastas. serpit hic rumor. Scis tu illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quærere? alium faciam: quoniam sibi hic ipse desperat. eiusmodi candidatorum, amici intimi debilitantur: studia deponunt: aut testatā rem abyciunt: aut suam operam, & gratiam iudicio, & accusationi reseruant. accedit eodem, vt etiam ipse candidatus

datus totum animum atq; omnem curam, operam, diligentiam q; suam in petitione non possit ponere. adiungitur enim accusationis cogitatio, non parua res, sed nimirum omnium maxima. magnum est enim, te comparare ea: quibus possis hominem è ciuitate, præsertim non inopem, neq; infirmum exturbare: qui & per se, & per suos, & verò etiam per alienos defendatur. omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus: & qui non apertè inimici sumus, etiam alienissimis in capitis periculis amicissimorum officia, & studia præstamus. quare ego expertus, & petendi, & defendendi, & accusandi molestiam, sic intellexi: in petendo studium esse acerrimum: in defendendo officium: in accusando laborem. itaq; sic statuo, fieri nullo modo posse: vt idem accusationem, & petitionem consulatus diligenter adornet, atq; instruat. vnum sustinere pauci possunt: vtrunq; nemo. tu, cum te de curriculo petitionis deflexisses, animum q; ad accusandum transtulisses: existimasti te vtriq; negocio satisfacere posse? vehementer errasti. quis enim dies fuit, posteaquàm in istam accusandi denunciationem ingressus es. quem tu non totum in ista ratione consumpseris? legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat. erat enim seueriss imè scripta Calphurnia. gestus est mos, & voluntati, & dignitati tuæ. sed tota illa lex accusationē tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset: petitioni verò, refragata est. pœna grauior in plebē tua voce efflagitata est. cōmoti animi tenuiorum, exilium in nostrum ordinem. concessit senatus postulationi tuæ. sed non libenter duriorē fortunæ cōmuni conditionē te authore cōstituit. morbi excusationi pœna addita est. voluntas offensa multorū: quibus aut contra valetudinis commodū

laborandum

laborandum est: aut incommodo morbi etiã cæteri vitæ fructus relinquendi. quid ergo? hæc quis tulit? is qui authoritati senatus, voluntati tuæ paruit. denique is tulit, cui minimè proderant. illa quæ mea summa voluntate senatus frequens repudiauit: mediocriter aduersata tibi esse existimas? confusionem suffragiorum flagitasti: prorogationem legis Maniliæ: æquationem gratiæ, dignitatis, suffragiorum. grauiter homines honesti, atq; in suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi tulerunt, à tali viro esse pugnatum: vt omnes & dignitatis, & gratiæ gradus tollerentur. Idem æditicios Iudices esse voluisti: vt odia occulta ciuiũ, quæ tacitis nunc discordijs continentur, in fortunas optimi cuiusq; erumperent. hæc omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsepiebant. Atq; ex omnibus illa plaga est iniecta petitioni tuæ non tacente me maxima: de qua ab homine ingeniosissimo & copiosissimo Hortensio multa grauissimè dicta sunt. quo etiam mihi durior locus est dicendi datus. vt cum ante me & ille dixisset: & vir summa dignitate & diligentia & facultate dicendi M. Crassus: ego in extremo non partem aliquam agerem causæ, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. itaq; in ijsdem rebus ferè versor & quod possum Iudices, occurro vestræ sapientiæ. sed tamen Serui, quam te securim putas iniecisse petitioni tuæ: cum tu populum Ro. in eum metum adduxisti: vt pertimesceret, ne consul Catilina fieret: dum tu accusationem comparares, deposita atq; abiecta petitione? Etenim te inquirere videbant tristem ipsum: mœstos amicos: obuersationes, testificationes, sed actiones testium, secessionem subscriptorũ animaduertebant. quibus rebus certè ipsi candidatorum vultus obscuriores videri

deri solent. Catilinam interea alacrem, atq; lætum, stipatum choro iuuentutis, vallatum indicibus, atq; sicarijs, inflatum cum spe militum, tum Collegæ mei, quem admodum dicebat ipse, promissis, circumfluente colonorũ Aretinorum & Fesulanorum exercitu. quam turbam dissimillimo ex genere, distinguebant homines percussi Syllani temporis calamitate. vultus erat ipsius plenus furoris: oculi sceleris: sermo arrogantiæ. sic vt ei iam exploratus & domi conditus consulatus videretur. Murenam contemnebat: Sulpitium accusatorem suũ numerabat, non competitorem. ei vim denunciabat: Reip. minabatur. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit: quanta q; desperatio Reip si ille factus esset, nolite à me commoneri velle: vosmetipsi nobiscum recordamini. meministis enim cum illius nefarij gladiatoris voces percrebuissent: quas habuisse in concione domestica dicebatur: cum miserorum fidelem defensorem negasset inueniri posse: nisi eum qui ipse miser esset: integrorum & fortunatorum promissis, saucios, & miseros credere non oportere. quare qui consumpta replere, erepta recuperare vellent: spectarent quid ipse deberet: quid possideret: quid auderet: minimè timidum, & valde calamitosum esse oportere eum: qui esset futurus dux & signifer calamitosorum. tum igitur his rebus auditis meministis fieri Senatusconsultum referente me, ne postero die comitia haberentur: vt de his rebus in senatu agere possemus. itaq; postridie frequenti senatu Catilinam excitaui: atq; eum de his rebus iussi, si quid vellet, quæ ad me allata essent, dicere. Atq; ille vt semper fuit apertissimus, non se purgauit, sed indicauit, atq; innuit. Tum enim dixit, duo corpora esse Reip. vnum debile, infirmo

firmo capite, alterum firmum sine capite, huic cum. ita de se meritum esset, caput se viuo non defuturum. congemuit Senatus frequens: neque tamen satis seuerè pro rei indignitate decreuit. nam partim ideo sortes in decernendo non erant, quia nihil timebant. partim, quia timebant. Tum erupit è Senatu triumphans gaudio: quem omnino viuum illinc exire non oportuerat. præsertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus antè, Catoni fortissimo viro iudicium minitanti, ac denuncianti respondisset: si quod esset in suas fortunas incendium excitatum: id se non aqua, sed ruina restincturum. his tum rebus commotus, & quod homines iam tum coniuratos cum gladys in campum deduci à Catilina sciebam: descendi in campum cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum, & cum illa lata insigniq; lorica: non quæme tegeret. etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput & collum solere petere. verum vt omnes boni animaduerterent: & cum in metu & periculo Consulem viderent: id quod est factum, ad opem præsidiumq; meum concurrerent. Itaq; cum te Serui remissiorem in petendo putarent: Catilinam & spe & cupiditate inflammatũ viderent: omnes qui illam ab Rep. pestem depellere cupiebant: ad Murenam se statim contulerunt. magna est autem comitijs consularibus repentina voluntatum inclinatio: præsertim cum incubuit ad virũ bonum & multis alijs adiumentis petitionis ornatum. qui cum honestissimo patre, atq; maioribus, modestissima adolescentia, clarissima legatione, prætura probata in iure, grata in munere, ornata in prouincia, petisset diligenter: & ita petisset, vt neq; minanti cederet, neq; cuiquam minaretur: huic mirandum est magno

gno adiumento Catilinæ subitam spem consulatus adipiscendi fuisse? Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus, perpurgatus abijs: qui ante me dixerunt: à me quoniam ita Murena voluit retractandus. Quo in loco Posthumio familiari meo ornatissimo viro de diuisorum iudicijs, & de deprehensis pecunijs, adolescenti ingenioso & bono, Seruio Sulpicio de equitũ centurijs: M. Catoni homini in omni virtute excellenti de ipsius accusatione, de Senatusconsulto, de Rep. respondebo. Sed pauca quæ meum animum repentè mouerunt, prius de L. Murenæ fortuna conquerar. Nam cum sæpè antea Iudices & ex aliorũ miserijs, & ex meis curis, laboribusq; quotidianis, fortunatos eos homines iudicarem: qui remoti à studys ambitionis, ocium ac tranquillitatem vitæ secuti sunt. tum verò in his L. Murenæ tantis, tamq; improuisis periculis ita sum animo affectus: vt non queam satis neq; communem omnium nostrum conditionem, neq; huius euentum fortunam q; miserari. qui primum dum ex honoribus continuis familiæ maiorumq; suorum vnum ascendere gradũ dignitatis conatus est: venit in periculum: ne & ea quæ relicta, & hæc quæ ab ipso parata sunt, amittat. deinde propter studium nouæ laudis etiam in veteris fortunæ discrimen adducitur. quæ cum sunt grauia Iudices: tum illud acerbissimum est: quod habet eos accusatores, non quo odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent. nam vt omittam Seruium Sulpicium: quem intelligo non iniuria L. Murenæ, sed honoris contentione permotum: accusat paternus amicus Cn. Posthumius, vetus vt ait ipse vicinus, ac necessarius: qui necessitudinis causas com-

plureis protuli: simultatis nullam commemorare potuit: accusat Seruius Sulpitius, sodalis filij: cuius ingenio paterni omnes necessarij munitiores esse debebant: accusat M. Cato: qui quanquam à Murena nulla re vnquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac ciuitate natus: vt eius opes, & ingenium præsidio multis etiam alienissimis, vix cuiquã inimicus esse deberet. Respondebo igitur Posthumio primum: qui nescio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. cuius competitores si nihil deliquerunt, dignitate eorũ concessit, cum petere destitit. sin autem eorum aliquis largitus est: expetendus amicus est: qui alienam potius iniuriam, quàm suam persequatur.

Ea omnia, quæ & Posthumio, & Ser. Sulpicio, adolescenti responsa sunt, desiderantur.

Venio nunc ad M. Catonem: quod est firmamentũ, ac robur totius accusationis: qui tamen ita grauis est accusator, & vehemens: vt multò magis eius authoritatem,

quam

quam criminationem pertimescam. in quo ego accusatore, Iudices, primum illud deprecabor: ne quid L. Murenæ dignitas illius, ne quid expectatio tribunatus, ne quid totius vitæ splendor, & grauitas noceat: deniq; ne ea sõli huic obsint bona M. Catonis, quæ ille adeptus est: vt multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus: & duos terrores huius imperij, Carthaginem, Numantiam q; deleuerat: cum accusauit L. Cottam. erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, authoritas tanta, quanta in ipso imperio populi Romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc maiores natu dicere audiui: hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuisse. noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabãt: ita quenquã cadere in iudicio, vt nimys aduersarij viribus abiectus videretur. Quid Sergium Galbam, nam traditum memoriæ est, nonne proauo tuo fortissimo, atq; florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem populus Rom. eripuit? Semper in hac ciuitate nimis magnis accusatorum opibus & populus vniuersus, & sapientes, ac multũ in posterum prospicientes iudices restiterunt. nolo accusator in iudicium potentiã afferat: non vim maiorem aliquam, non authoritatẽ excellentem, non nimiã gratiam, valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentum, ad auxilium calamitosorum. in periculo verò & in pernicie ciuiũ repudientur. Nam si quis hoc fortè dicet: Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset: iniquam legem Iudices & miseram conditionem instituet periculis hominum: si existimabit iudicium accusatoris, in reum pro aliquo præiudicio valere oportere. Ego tuum

consilium Cato propter singulare animi mei de tua virtute iudicium, vituperare non audeo: nonnulla in re forsitan confirmare, & leuiter emendare possim: non multa peccas inquit ille fortissimo viro senior Magister: sed si peccas, te regere possum. at ego te verissimè dixerim, peccare nihil: neq; vlla in re te esse huiusmodi: vt corrigendus potius, quàm leuiter inflectendus esse videare, finxit enim te ipsa natura ad honestatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iusticiam, ad omnes deniq; virtutes magnum hominem & excelsum. accessit his tot, doctrina non moderata, nec mitis, sed, vt mihi videtur, paulò asperior, & durior: quàm aut veritas, aut natura patiatur. & quoniam non est nobis hac oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conuentu agrestium: audacius paulò de studys humanitatis, quæ & mihi, & vobis nota, & iudicanda sunt, disputabo. In M. Catone Iudices hæc bona, quæ videmus diuina & egregia, ipsius scitote esse propria. quæ nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non à natura, sed à magistro. fuit enim quidã summo ingenio vir, Zeno: cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur. huius sententiæ sunt, & præcepta, eiusmodi: sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse, nisi stultum, & leuem: viri non esse, neq; exorari, neq; placari: solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges. non autem qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos deniq; esse dicunt. omnia peccata esse paria: omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum: qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit: quàm eum, qui patrem

patrem suffocauerit. sapientem nihil opinari: nullius rei pœnitere: nulla in re falli: sententiam mutare nunquã: hæc homo ingeniosissimus M. Cato authoribus eruditissimis inductus arripuit: neque disputandi causa, vt magna pars, sed ita viuendi. petunt aliquid Publicani. caue quicquam habeat momenti gratia. supplices aliqui veniunt miseri, & calamitosi, sceleratus & nefarius fueris: si quicquam misericordia adductus feceris: fatetur aliquid se pecasse: & eius delicti veniam petit. nefarium est facinus ignoscere. at leue delictum est. omnia peccata sunt paria. dixisti quippe. iam fixum, & statutũ est. non re ductus es, sed opinione. sapiens nihil opinatur. errasti aliqua in re, malè dici putat. hac ex disciplina nobis illa sunt. dixi in Senatu me nomen consularis candidati delaturum. iratus dixisti. nunquã inquit, sapiens irascitur. at temporis causa. improbi inquit, hominis est mendacio fallere. mutare sententiam, turpe est: exorari, scelus: misereri, flagitium. Nostri autem illi (fatebor enim Cato, me quoque in adolescentia diffisum ingenio meo quæsisse adiumenta doctrinæ) nostri inquam illi à Platone, & Aristotele moderati homines & temperati, aiunt apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse, misereri: distincta genera esse delictorum, & dispares pœnas: esse apud hominẽ constantem ignoscendi locũ: ipsum sapientem sæpè aliquid opinari, quod nesciat: irasci nonnunquam: exorari eundem, & placari: quod dixerit, interdum si ita rectius sit, mutare: de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. Hos ad magistros si quà te fortuna Cato cum ista natura detulisset: non tu quidem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, nec iustior,

neq; enim esse potes, sed paulò ad lenitatem propensior, non accusares nullis adductus inimicitijs: nulla lacessitus iniuria, prudentissimum hominem, summa dignitate, atq; honestate præditum, putares, cũ in eiusdem anni custodia te, atq; L. Murenam fortuna posuisset, aliquo tecum hoc Reipub. vinculo esse coniunctum. quod atrociter in Senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses, aut mitiorem in partem interpretarere. Accipsum, quantum ego opinione auguror, nunc & animi quodam impetu concitatũ, & vi naturæ atq; ingenij elatũ, & recentibus præceptorum studijs flagrantẽ, iam vsu flectet, dies leniet, ætas mitigabit. etenim isti ipsi mihi videntur vestri præceptores, & virtutis magistri fines officiorum paulò longius, quàm natura vellet, protulisse: vt, cum ad vltimum animo contendissemus: ibi tamen, vbi oporteret, consisteremus. nihil ignoueris. immò aliquid, non omnia. nihil gratiæ causa feceris: immò resistito gratiæ, cum officium & fides postulabit. misericordia commotus ne sis etiam in dissoluenda seueritate. sed tamen est laus aliqua humanitatis. in sententia permaneto: enimuerò nisi sententia alia vicerit melior. huiusce modi Scipio ille fuit: quem non pœnitebat facere idem, quod tu. habere eruditissimum hominem, & penè diuinum domi: cuius oratione, & præceptis, quanquam erant eadem ista, quæ te delectant: tamen asperiõr non est factus: sed vt accepi à senibus, lenissimus. quis verò C. Lælio comior? quis iucundior, eodem ex studio isto? quis illo grauior? sapientior? possum de L. Philippo, de C. Gallo dicere hæc eadem. sed te domum iam deducam tuam. quenquam ne existimas Catone proauo tuo commodiorem, comiorem, moderationem fuisse, ad

omnem

omnem rationẽ humanitatis? de cuius præstanti virtute cum verè, grauiterq; diceres: domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandũ. est illud quidem exemplũ tibi propositum domi: sed tamen naturæ similitudo illius, ad te magis, qui ab illo ortus es, quàm ad vnumquemque nostrum peruenire potuit. ad imitandum verò tam mihi propositum exemplar illud est, quàm tibi. sed illius comitatem, & facilitatem tuæ grauitati, seueritatiq; asperseris: non ista quidem erunt meliora, quæ nunc sunt optima: sed certè cõdita iucundius. quare vt ad id, quod instituì, reuertar: tolle mihi è causa nomen Catonis: remoue, ac prætermitte authoritatem: quæ in iudicijs aut nihil valere, aut ad salutem debet valere: congredere mecũ criminibus ipsis. quid accusas Cato? quid affers in iudicium quid arguis? ambitum accusas. non defendo. me reprehendis, quod idem defendam: quod lege punierim. puniui ambitum, non innocentiam. ambitũ verò ipsum vel tecum accusabo, si voles. Dixisti Senatusconsultum me referente esse factum: si mercede corrupti obuiam candidatis issent: si conducti sectarentur: si gladiatoribus vulgò locus tributus, & item prandia si vulgo essent data: contra legem Calphurniam factum videri. Ergo ita Senatus iudicat, contra legem facta hæc videri, si facta sint: decernit quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit. nam factum sit nec ne, vehementer quæritur. si factum sit: quin contra legem sit, dubitare nemo potest. est igitur ridiculũ, quod est dubium, id relinquere incertum: quod nemini dubium potest esse, id iudicare. Atq; id decernitur omnibus postulantibus candidatis: vt ex S. C. neq; cuius interfit, neque contra quem sit, intelligi possit. Quare doce à L. Murena

illa esse commissa. tum egomet tibi contra legẽ commissa esse concedam. multi obuiam prodierunt de prouincia decedenti, Consulatum petenti. solet fieri. & cui autem non proditur reuertenti? quæsuit ista multitudo? primũ si tibi istam rationem nõ possum reddere, quid habet admirationis tali viro aduenienti, candidato consulari, obuiam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis mirandum videretur. quid si etiã illud addam, quod à cõsuetudine non abhorret, rogatos esse multos? num aut crimino sum sit, aut mirandum, qua in ciuitate rogati infimorum hominum filios propè de nocte ex vltima sape vrbe deductum venire soleamus: in ea non esse grauatos homines prodire hora tertia in Campum Martium, præsertim talis viri nomine rogatos? quid si omnes societates venerunt? quarum ex numero multi hîc sedent Iudices. quid si multi homines nostri ordinis, honestissimi? quid si illa officiosissima, quæ neminem patitur non honestè in vrbem introire, tota natio candidatorum? si denique ipse accusator noster Posthumius obuiam cum bene magna caterua sua venit, quid habet ista multitudo admirationis? omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat. hoc dico, frequentiam in isto officio, gratuitam non modo dignitati vllius vnquam, sed ne voluntati quidem defuisse. At sectabantur multi? doce mercede: concedam esse crimen. hoc quidem remoto, quid reprehendis? Quid opus est, inquit, sectatoribus? à me tu id quæris? quid opus sit eo, quo semper vsi sumus? homines tenues vnum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut proferendi beneficij locum, hanc in nostris petitionibus operam, atque assectationem.

tionem. neq; enim fieri potest, neq; postulandum est à nobis, aut ab equitibus Romanis: vt suos necessarios candidatos, sectentur totos dies: à quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si vno basilicæ spatio honestamur: diligenter obseruari videmur, & coli. tenuiorum & non occupatorum amicorum est ista assiduitas. quorum copia bonis viris, & beneficis deesse non solet. noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officij Cato: sine eos, qui omnia à nobis sperant, habere ipsos quoq; aliquid: quod nobis tribuere possint: si nihil erit præter ipsorum suffragium, tenue est: si vt suffragantur, nihil valent gratia: ipsi deniq; vt solent loqui non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt. atq; hæc à nobis petunt omnia: neq; vlla re alia, quæ à nobis consequuntur, nisi opera sua compensari putant posse. itaq; & legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, & Senatus consulto, quod est L. Cæsare Consule factum, restiterunt. nulla est enim pœna, quæ possit obseruantiam tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere. At spectacula sunt tributim data, & ad prandium vulgò vocati. & si hoc factum à Murena omnino Iudices non est: ab eius amicis autem more & modo factum est: tamen admonitus re ipsa, recordor quantum hæ quæstiones in senatu habitæ punctorum nobis Serui detraxerint. quod enim tempus fuit, aut nostra, aut patrum nostrorum memoria, quo hæc siue ambitio est, siue liberalitas, non fuerit? vt locus & in circo, & in foro daretur amicis, & tribulibus? hæc homines tenuiores primum nedum qui ea suis tribulibus vetere instituto assequebantur.

Desunt nonnulla.

Præfectum fabrûm semel locum tribulibus suis dedisse: quid statuent in viros primarios: qui in circo totas tabernas tribulium causâ compararunt? hæc omnia spectatorum, spectaculorum, prandiorum item crimina, à multitudine in tuam nimiam diligentiam Serui coniecta sunt: in quibus tamen Murena ab senatus authoritate defenditur. Quid enim senatus? num obuiam prodire crimen putat? non: sed mercede. conuince. num sectari multos? non: sed conductos. doce. num locum adspectandum dare? aut ad prandium inuitare? minimè: sed vulgò passim. quid est vulgò? vniuersòs. non igitur si L. Natta summo loco adolescens, qui & quo animo iam sit: & qualis vir futurus sit videmus: in equitum centurijs voluit esse, & ad hoc officium necessitudinis, & ad reliquum tempus gratiosus: id erit eius vitrico fraudi, aut crimini. nec si virgo Vestalis huius propinqua, & necessaria locum suum gladiatorium concessit huic: non & illa piè fecit, & hic à culpa est remotus. omnia hæc sunt officia necessariorum: commoda tenuiorum: munia candidatorum. At enim agit mecum austerè & Stoicè Cato. negat verũ esse allici beneuolentiam cibo: negat indicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad cœnã,

petitionis

petitionis causa, si quis vocat, condemnetur. Quippe, inquit, tu mihi summum imperium, summam authoritatem, tu gubernacula Reip. petas fouendis hominum sensibus, & deliniendis animis, & adhibendis voluptatibus? vtrum lenocinium, inquit, à grege delicatæ iuuentutis, an orbis terrarum imperium a populo Ro. petebas? horribilis oratio. sed eam vsus, vita, mores, ciuitas ipsa respuit. Neq; tamen Lacedæmonij authores istius vitæ, atq; orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt: neq; verò Cretes, quorum nemo gustauit vnquam cubans: melius quàm Romani homines, qui tempora voluptatis laborisq; dispertiunt: Resp. suas retinuerunt. quorum alteri vno aduentu nostri exercitus deleti sunt: alteri nostri imperio præsidio disciplinam suam legesq; conseruant. Quare noli Cato maiorum instituta, quæres ipsa publica, quæ diuturnitas impery comprobat, nimium seuera oratione reprehendere. fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros & honestus homo, et nobilis, Q. Tubero. Is, cum epulũ Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo Ro. daret: rogatus est à Maximo, vt triclinium sterneret: cũ esset Tubero eiusdem Africani sororis filius. atq; ille homo eruditissimus, ac Stoicus, strauit pelliculis hædinis lectulos Puni canos: & exposuit vasa Samia: quasi verò esset Diogenes Cynicus mortuus: & non diuini hominis Africani mors honestaretur: quẽ cum supremo eius die Maximus laudaret: gratias egit dys immortalibus: quod ille vir in hac Rep. potissimũ natus esset. necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, vbi ille esset. Huius in morte celebranda grauiter tulit populus Ro. hanc peruersam sapientiam Tuberonis. itaq; homo integerrimus, ciuis optimus,

mus, cum esset L. Pauli nepos, P. Africani, vt dixi, sororis filius: his hœdinis pelliculis Prætura deiectus est. odit populus Ro. priuatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit. non amat profusas epulas. sordes & inhumanitatem multo minus. distinguit rationem officiorum, ac temporum: vicissitudinẽ laboris, ac voluptatis. Nam quod ais nulla re allici hominum mentes oportere ad magistratum mandandum, nisi dignitate: hoc tu ipse in quo summa est dignitas, non seruas. cur enim quenquam, vt studeat tibi, vt te adiuuet, rogas? rogas tu me, vt mihi præsis: vt committam ego me tibi. quid tandem? istuc me rogari oportet abs te? an te potius à me, vt pro mea salute laborem, periculumq; suscipias? Quid, quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis. nam si nomine appellari abs te ciues tuos honestum est: turpe est eos notiores esse seruo tuo, quam tibi. sin etiam noris: tamen per monitorem appellandi sunt? cur ante petis quàm insusurrauit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas? quid posteaquam es designatus, multo salutas negligentius? hæc omnia ad rationem ciuitatis si dirigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinæ præcepta velis, reperiantur prauissima. Quare nec plebi Ro. eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conuiuiorum: quæ omnia maiores nostri comparauerunt: nec candidatis ista benignitas adimenda est: quæ liberalitatem magis significat, quàm largitionem. At enim te ad accusandum Resp. adduxit, Credo Cato te isto animo, atq; ea opinione venisse. sed tu imprudentia laberis. ego quod facio Iudices, cum amicitiæ, dignitatisq; L. Murenæ gratia facio: tum me pacis, otij, concordiæ, libertatis, salutis, vitæ denique omnium vestrum

causa

causa facere clamo, atq; obtestor. Audite, audite consulem Iudices, nihil dicam arrogantius: tantum dicam, totos dies, atq; noctes de Rep. cogitantem. non vsque eo L. Catilina Remp. despexit, atque contemsit: vt ea copia, quam secum eduxit, se hanc ciuitatem oppressurum arbitraretur. latius patet illius sceleris contagio: quã quisquam putat: ad plures pertinet. intus inquam est equus Troianus: à quo nunquum me consule dormientes oppri memini. Quæris à me quid ego Catilinam metuã? nihil. & curaui, ne quis metueret. sed copias illius, quas hic video: dico esse metuendas. nec tã timendus est nunc exercitus L. Catilinæ: quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicuntur. non enim deseruerunt, sed ab illo in speculis, atq; insidijs relicti in capite, atque in cerui cibus nostris restiterunt. hi & integrum cõsulem, & bonum imperatorem, & natura, & fortuna cum Reip. salute coniunctum deyci de vrbis præsidio, & de custodia ciuitatis vestris sententijs deturbari volunt. quorum ego ferrum, & audaciam reieci in campo: debilitaui in foro: compressi etiam domi meæ sæpe Iudices: his vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententijs, quàm suis gladijs consecuti. magni interest Iudices, id quod ego multis repugnantibus egi, atq; perfeci: esse Cal. Ian. in Rep. duos consules. nolite arbitrari mediocribus consilijs, aut vsitatis vijs, aut lege improba, aut perniciosa largitione auditum, aliquando aliquod malum Reip. quæri. Inita sunt in hac ciuitate consilia Iudices vrbis delendæ: ciuium trucidandorum, nominis Romani extinguendi. Atq; hæc ciues, ciues inquã, si eos hoc nomine appellari fas est, de patria sua & cogitant, & cogitauerunt: horum ego quotidie consilijs occurro:

audaciam

audaciam debilito: sceleri resisto. sed vos moneo Iudices: in exitu est iam meus consulatus. nolite mihi subtrahere vicarium meæ diligentiæ: nolite adimere eum cui Remp. cupio tradere incolumen, ab his tantis periculis defendendã. Atq; ad hæc mala Iud. quid accedat aliud non videtis? te appello Cato. nonne prospicis tempestatem anni tui? iam enim hesterna concione intonuit vox perniciosa designati Collegæ tui: contra quem multum tua mens, multum omnes boni prouiderunt: qui te ad tribunatus petitionem vocauerunt. Omnia quæ per hoc triennium agitata sunt: iam ab eo tempore, quo à L. Catilina, & Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse: in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. qui locus est Iudices? quod tempus? qui dies? quæ nox? cum ego non ex istorum insidijs, ac mucronibus, non solum meo, sed multo etiam magis diuino consilio eripiar, atq; euolem? neq; isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de Reip. præsidio demouere volunt. nec minus vellent, Cato te quoq; aliqua ratione, si possent, tollere: id quod mihi crede, & agunt, & moliuntur. vident quantum in te sit animi: quantũ ingenij: quantum authoritatis: quantum Reip. præsidij. sed cum consularia authoritate, et auxilio spoliatam vim tribunitiam viderent: tum se facilius inermem & debilitatum te oppressuros arbitrantur. nam ne sufficiatur consul non timent. vident in tuorum potestate collegarum fore. sperant sibi Syllanum clarum virum sine collega, te sine consule, Remp. sine præsidio obyci posse. His tantis in rebus, tantisq; in periculis, est tuũ M. Cato: qui non mihi, non tibi, sed patriæ natus es: videre quid agatur: retinere adiutorem, defensorem, socium

in Rep. consulem non cupidum, consulem quod maximè tempus hoc postulat, fortuna constitutum ad amplexandum ocium: scientia, ad bellum gerendum: animo & vsu, ad quod velis negocium. Quanquam huius certi potestas omnis in vobis sita est Iudices: totam Remp. vos in hac causa tenetis: vos gubernatis. Si L. Catilina cũ suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare: condemnaret L. Murenam. si interficere posset, occideret. petunt enim rationes illius, vt orbetur auxilio Respublica: vt minuatur contra suum furorem imperatorum copia: vt maior facultas tribunis Pl. detur depulso aduersario, seditionis ac discordiæ concitandæ. ydem ne igitur delecti amplissimis ex ordinibus honestissimi, atque sapientissimi viri iudicabunt? quod ille importunissimus gladiator, hostis Reip. iudicaret? Mihi credite Iudices: in hac causa non solum de L. Murenæ, verum etiam de vestra salute sententiam feretis. in discrimen extremum venimus: nihil est iam vnde vos reficiamus, aut vbi lapsi resistamus. non solum minuenda non sunt auxilia, quæ habemus: sed etiam noua, si fieri possit, comparanda. hostis est enim nõ apud Anienem, quod bello Punico grauissimũ visum est: sed in vrbe, in foro, dij immortales sine gemitu hoc dici non potest: non nemo etiam in illo sacrario Reipublicæ, in ipsa inquam curia nõ nemo hostis est: dij faxint, vt meus collega, vir fortissimus, hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat: ego togatus vobis, bonisq; omnibus adiutoribus, hoc quod conceptũ Resp. periculum parturit, consilio discutiam, & cõprimam. sed quid tandem fiet, si hæc eplasa de manibus nostris in eum annum qui consequitur, redundarint? vnus erit consul: & is non

in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus. hunc iam qui impedituri sint,

Desunt nonnulla.

illa pestis immanis, importuna Catilinæ prorumpet, quæ poterit: & iam pop. Ro. minatur: in agros suburbanos repente aduolabit: versabitur in castris furor: in curia timor: in foro coniuratio: in campo exercitus: in agris vastitas: omni autem in sede, ac loco ferrũ, flammamq; metuemus. quæ iam diu comparantur: eadem ista omnia, si ornata suis præsidijs erit Respublica: facilè & magistratuum consilijs, & priuatorum diligentia opprimentur. Quæ cum ita sint Iudices: primum Reip. causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos pro mea summa & vobis cognita in Remp. diligentia, moneo: pro authoritate consulari hortor: pro magnitudine periculi obtestor, vt ocio, vt paci, vt saluti, vt vitæ vestræ, & cæterorum ciuium consulatis. deinde ego fidem vestram vel defensoris & amici officio adductus oro, atque obsecro Iudices, vt ne hominis miseri, & cum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenæ recentem gratulationem noua lamentatione obruatis. modo maximo beneficio populi Ro. ornatus, fortunatus videbatur: quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum consulatum attulisset. nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lachrymis ac mœrore perditus, vester est supplex Iudices: vestram fidẽ obtestatur: misericordiam implorat: vestram potestatem, ac vestras opes

intuetur.

intuetur. Nolite per deos immortales Iud. hac eum re, qua se honestiorẽ fore putauit, etiam cæteris antè partis honestatibus, atq; omni dignitate fortunaq; priuare. At que ita vos hic Murena Iud. orat, atq; obsecrat: si iniuste neminem læsit: si nullius aureis, voluntatemq; violauit: si nemini, vt leuissimè dicã, odio, nec domi, nec militiæ fuit: sit apud vos modestiæ locus: sit demissis hominibus perfugiũ: si auxilium pudori. misericordiam spoliatio consulatus magnam habere debet Iudices: vnà enim eripiuntur cum consulatu omnia. inuidiam verò ijs temporibus habere cõsulatus ipse nullã potest. obijcitur enim concionibus seditiosorũ: insidijs coniuratorum: telis Catilinæ: ad omne deniq; periculũ, atq; ad omnem inuidiam solus opponitur. Quare quid inuidendum Murenæ, aut cuiquam nostrum sit in hoc præclaro consulatu non video Iudices, quæ verò miseranda sunt, ea & mihi ante oculos versantur, & vos videre, & perspicere potestis. Si, quod Iupiter omen auertat, hunc vestris sententijs affluxeritis: quo se miser vertet? domũne? vt eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam paucis antè diebus laureatã in sua gratulatione conspexit: eandẽ deformatã ignominia lugentemq; videat? an ad matrẽ? quæ misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est: ne eundẽ paulò post spoliatũ omni dignitate conspiciat. Sed quid ego matrem, aut domum appello? quem noua pœna legis, & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectuq; priuat. ibit igitur in exiliũ miser? quò? ad orientis ne partes? in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit. at habet magnũ dolorem: vnde cum honore decesserit: eodem cũ ignominia reuerti. an se in con-

trariam partem terrarum abdet? vt Gallia Transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissimè viderit: eundem lugentem, mœrentem, exulem videat? in ea porrò prouincia, quo animo C. Murenā fratrem suū aspiciet? qui huius dolor? qui illius mœror erit? quæ virius q̄ lamentatio? quanta autem perturbatio fortunæ, atq́ sermonis? quod quibus in locis paucis antè diebus factū esse consulem Murenam nuncij, literæq́ celebrassent, & vnde hospites atq́ amici gratulatum Romam concurrerint: repentè eò accedet ipse nuncius suæ calamitatis. Quæ si acerba, si misera, si luctuosa sunt: si alienissima mansuetudine, & misericordia vestra Iudices: conseruate populi Ro. beneficium: reddite Reip. Consulem: date hocipsius pudori: date patri mortuo: date generi, & familiæ: date etiam Lanuuio municipio honestissimo: quod in hac causa frequens mœstum q́ vidistis. nolitè à sacris patrijs Iunonis Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum & suum consulem potissimum auellere. Quem ego vobis si quid habet aut momenti commendatio, aut authoritatis confirmatio mea: consulem Iudices ita commendo: vt cupidissimum ocij, studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum huic coniurationi, quæ nunc Remp. labefactat, futurum esse promittam, & spondeam.

PRO

PRO L. FLACCO ORATIO XXIIII.

CVM in maximis periculis huius vrbis, atq́ imperij, grauissimo, atq́ acerbissimo Reip. casu, socio, atq́ adiutore consiliorū, periculorumq́ meorum, L. Flacco, cædem à vobis, cōiugibus, liberis vestris, vastitatem à templis, delubris, vrbe, Italia depellebam, sperabam Iudices honoris potius L. Flacci me adiutorem futurū, quàm miseriarū deprecatorē. quod enim esset præmiū dignitatis: quod populus Ro. cū huius maioribus semper detulisset: huic denegaret? cū L. Flaccus veterē Valeriæ gentis in liberanda patria laudem propè quingentesimo anno Reip. retulisset. Sed si fortè aliquādo aut beneficij huius obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis inuidus extitisset: existimabā L. Flacco multitudinis potius imperitæ, nullo tamē cum periculo, quā sapientissimorum, & lectissimorum virorum iudiciū esse subeundum. Etenim quibus authoribus & defensoribus, omnium tum salus esset non ciuiū solum, verū etiā gentium defensa, ac retenta: neminem vnquā putaui per eos ipsos periculum huius fortunis atq́ insidias creaturum. Quod si esset aliquando futurum: vt aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret: nunquā tamen existimaui Iudices D. Lælium optimi viri filium, optima ipsum spe præditum, summæ dignitatis, eam susceptum accusationem, quæ sceleratorū ciuium potius odio, & furori, quàm ipsius virtuti, atq́ institutæ adolescētiæ conueniret. Etenim

cum à clarissimis viris iustissimas inimicitias sæpe cum bene meritis ciuibus depositas esse vidissem: nõ sum arbitratus quemquã amicũ Reip. posteaquã L. Flacci amor in patriam perspectus esset: nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria, denunciaturũ. Sed quoniã Iudices multa nos & in nostris rebus, & in Rep. fefellerunt: ferimus ea, quæ sunt ferenda. tantum à vobis petimus: vt omnia Reip. subsidia, totũ statũ ciuitatis, omnem memoriam temporum præteritorum, salutem præsentium, spem reliquorum, in vestra potestate, in vestris sententijs, in hoc vno iudicio positã esse, & defixã putetis. si vnquã Resp. consilium, grauitatem, sapientiam, prouidentiã iudicum implorauit: hoc tempore, hoc inquam tempore implorat. non estis de Lydorum, aut Mysorum, aut Phrygũ, qui huc compulsi, concitatiq; venerunt, sed de vestra Rep. iudicaturi: de ciuitatis statu, de cõmuni salute, de spe bonorum omniũ, si qua reliqua est etiam nunc: qua fortium ciuium mentes cogitationesq; sustentet. omnia alia perfugia bonorũ, præsidia innocentiũ, subsidia Reipublicæ, consilia, auxilia, iura, ceciderunt. quem enim alium appellẽ? quem obtester? quem implorem? senatum ne? at is ipse auxilium petit à vobis, & confirmationem authoritatis suæ, vestræ potestati permissam esse sentit. an Equites Romanos? iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cũ omnibus senseritis. an populum Romanum? at is quidẽ omnem suam potestatem de bonis tradit vobis. Quamobrẽ nisi hoc loco, nisi apud vos, nisi per vos Iudices non authoritatem, quæ amissa est, sed salutẽ nostrã, quæ spe exigua, extremaq; pendet, tenuerimus: nihil est præterea, quò confugere possimus: nisi fortè quæres hoc iudicio tenetur, quid agatur, cui causæ fun-

dæ fundamenta iaciantur Iudices, non videtis. damnatus est is, qui Catilinam signa patriæ inferentẽ interemit. quid est causæ? cur non is, qui Catilinam ex vrbe repulit, pertimescat? rapitur ad pœnam, qui indicia cõmunis exitij cœpit: cur sibi confidat is, qui ea proferenda, & patefacienda curauit? socij consiliorum, ministri, comites q; vexantur. quid authores? quid duces? quid principes sibi expectent? Atq; vtinam inimici nostri, ac bonorum omnium mecum potius contendant: vtrum tamen omnes boni, duces nostri, an comites fuerint ad communem conseruandam salutem. *

Desit fortasse quidpiam.

Hunc igitur virum Læli, quibus tandem rebus oppugnas? fuit P. Seruilio imperatore in Cilicia tribunus militum, ea res siletur. fuit M. Pisoni Quæstor in Hispania: vox de Quæstura nulla missa est. bellum Cretense ex magna parte gessit: atq; vna cum summo imperatore sustinuit. multa est huius temporis accusatio: Prætura iurisdictio, res varia, & multiplex ad suspiciones, & simultates nõ attingitur: ea vero in summo & periculosissimo Reip. tempore etiam ab inimicis laudatur. at à testibus læditur: ante quã dico à quibus: qua spe, qua vi, qua re concitatis: qua leuitate, qua egestate, qua perfidia, qua audacia præditis, dicã de genere vniuerso, & de conditione omnium nostrum. Per deos immortales Iudices, vos quomodo is, qui

anno antè Romæ ius dixerat: anno post in Asia ius dixerit, à testibus quæretis ignotis? ipsi coniectura nihil iudicabitis? in tam varia iurisdictione, tam multa decreta, tot hominum gratiosorum læsæ voluntates. quæ est vnquam iacta non suspicio, quæ tamen solet esse falsa, sed iracundiæ vox, aut doloris? & is est reus auaritiæ: qui in vberrima re turpe compendium, in maledicentissima ciuitate, in suspiciosissimo negocio maledictum omne, non modo crimen effugit. Prætereo illa quæ praetereunda non sunt: nullum huius in priuatis rebus factum auarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari sordem posse proferri. Quibus igitur testibus ego hosce possum refutare, nisi vobis? Timolites ille vicanus, homo non modo nobis, sed ne intersuos quidem notus, vos docebit, qualis sit L. Flaccus? quem vos, modestissimum adolescentem, prouinciæ maximæ sanctissimum virum, nostri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperantissimum legatum, quæstorem q; cognouerunt: quem vos præsentes constantissimũ Senatorem, iustissimum Prætorem, ac amantissimum Reip. ciuem iudicastis. de quibus vos alijs testes esse debetis: de ijs ipsi alios testes audietis? at quos testes? primum dicã (id quod est cõmune) Græcos: nõ quo nationi huic ego vnus maximè fidem derogem. nam si quis vnquam de nostris hominibus à genere isto, studio, ac voluntate non abhorrens fuit: me & esse arbitror, & magis etiam tum, cum plus erat ocy, fuisse. sed sunt in illo numero multi boni, docti, prudentes: qui ad hoc iudicium deducti non sunt: multi impudentes, illiterati, leues, quos varijs de causis video concitatos. verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis

lis literas: do multorum artium disciplinam: non adimo sermonis lepõrem, ingeniorũ acumen, dicendi copiã: denig; etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionẽ, & fidem, nunquam ista natio coluit: totius huiusce rei quæ sit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorant. Vnde illud est: da mihi testimonium mutuum? num Gallorum? num Hispanorum putatur? totum istud Græcorum est: vt etiam qui Græcè nesciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici soleat, sciant. Itaque videte quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis qua religione dicant. nunquã nobis ad rogatum respondent: semper accusatori plusquã ad rogatum: nunquam laborant, quemadmodum probent quod dicunt: sed quemadmodum se explicent dicendo. Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod, vt ipse aiebat, libertus erat, eius turpi iudicio condemnatus. nihil dixit, quod lederet eum, cum cuperet: impediebat enim religio. tamen id quod dixit, quanto cũ pudore, quo tremore, & pallore dixit? quam promptus homo P. Septimius? quam iratus de iudicio, & de villico? tamen hæsitabat: tamen eius iracundiæ, religio nonnunquam repugnabat: inimicus M. Celius: quod cum in re manifesta putasset nefas esse Publicanum iudicare contra Publicanum: sublatus erat è numero recuperatorum: tamen tenuit se, neq; attulit in iudicium quicquam ad lædendum, nisi voluntatem. Nisi Græci fuissent, ac nisi nostri mores ac disciplina plus valerent, quàm dolor ac simultas: omnes se spoliatos, vexatos, fortunis euersos esse dixissent. Græcus testis cum ea voluntate processit, vt lædat: non iurisiurandi, sed lædendi verba meditatur. vincī, refelli, coargui putat esse turpissimum: ad id se parat: nihil aliud

curat. itaq; non optimus quisq;, nec grauissimus, sed impudentissimus, loquacissimusq; deligitur. vos autem in priuatis minimarum rerum iudicijs, testē diligenter expenditis: etiā si formam hominis, si nomen, si tribum nostis: mores tamen exquirendos putatis. qui autē dicit testimonium ex nostris hominibus, vt se ipse sustentat? vt omnia verba moderatur? vt timet, nequid cupidè, nequid iracundè, nequid plus, minusue quàm sit necesse, dicat. num illos idem putatis? quibus iusiurandum iocus est: testimonium, ludus: existimatio vestra, tenebræ: laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis inimpudenti mendacio. Sed non dilatabo orationem meam: etenim posset esse infinita: si mihi libeat totius gentis in testimonys dicendis explicare vanitatem. sed propius accedam: de his vestris testibus dicam. Vehementem accusatorem nacti sumus Iudices, & inimicum in omni genere odiosum, ac molestum: quem spero his rebus fore magno vsui, & amicis, & Reipublicæ. sed certè inflammatus incredibili cupiditate, hāc causam accusationēq; suscepit. qui comitatus in inquirendo? comitatum dico? immò verò quantus exercitus? quæ iactura? qui sumptus? quanta largitio? quæ quanquam vtilia sunt causæ, timidè tamen dico. quod vereor ne Lælius ex his rebus, quas sibi suscepit gloriæ causa: putet aliqd oratione mea sermonis in sese, aut inuidiæ esse quæsitum. itaque hanc partem totam relinquā: tantū à vobis petam Iudices, vt si quid ipsi audistis cōmuni fama, atq; sermone de vi, de manu, de armis, de copys: memineritis quarū rerū inuidia lege hac recenti, ac noua, certus est inquisitioni comitum numerus constitutus. sed vt hanc vim omittā: quanta illa sunt? quæ quoniam accusatorio iure, & more sunt facta:

facta: reprehendere non possumus: queri tamen cogimur, primū quod distributis partibus, sermo est tota Asia dissipatus, Cn. Pompeiū, quod L. Flacco est vehementer inimicus, cōtendisse à Lælio paterno amico ac perneccssario: vt hunc hoc iudicio arcesseret: omnemq; ei suam authoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negocium conficiendum detulisse. Id hoc verisimilius Græcis hominibus videbatur: quod paulo antè familiarem Lælium in eadem prouincia Flacco viderant. Pompey autem authoritas cum apud omnes tanta est: quanta esse debet: tum excellit in ista prouincia: quam nuper & prædonum, & regum bello liberauit. Adiunxit illa, vt eos qui domo exire nolebant: testimony denuntiatione terreret: qui domi stare non poterant, largo, & liberali viatico commoueret. sic adolescens ingenij plenus, locupletes metu, tenues præmio, stultos errore permouit. sic sunt expressa ista præclara, quæ recitantur, psephismata non sententijs, neq; authoritatibus declarata, nec iureiurando constricta, sed porrigenda manu, profundendoq; clamore multitudinis concitatæ. O morem præclarum, disciplinamq;, quam à maioribus accepimus, si quidem teneremus. sed nescio quo pacto iam de manibus elabitur. nullam enim illi nostri sapientissimi & sanctissimi viri vim concionis esse voluerunt. quæ scisceret plebs: aut quæ populus iuberet, summota concione, distributis partibus, tributim, & centuriatim de scriptis ordinibus, classibus, ætatibus, auditis authoribus, re multos dies promulgata, & cognita, tuberi vetariq; voluerunt. Græcorum autem totæ Resp. sedentis concionis temeritate administrantur. itaq; vt hanc Græciam, quæ iam diu suis consilys perculsa & afflicta est, omittam: illa vetus,

quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit: hoc uno malo concidit: libertate immoderata, ac licentia concionum. cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignariq; conſederant: tum bella inutilia ſuſcipiebant: tum ſeditioſos homines Reip. præficiebant: tum optimè meritos ciues è ciuitate eyciebant. quid ſi hæc Athenis tum, cum illæ non ſolum in Græcia, ſed propè cunctis gentibus enitebant, accidere ſunt ſolita: quam moderationem putatis in Phrygia, aut in Myſia concionum fuiſſe? noſtras conciones illarum nationum homines plærunq; perturbant. quid, cum ſoli ſunt ipſi, tandem fieri putatis? Cæſus eſt virgis Cynicus ille Athenagoras: qui in fame frumentum exportare erat auſus data concio Lælio eſt. proceſſit ille: & Græcus apud Græcos, non de culpa ſua dixit, ſed de pœna queſtus eſt. porrexerunt manus pſephiſma natum eſt. hoc teſtimonium eſt? nuper epulati, paulo antè omni largitione ſaturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinē illam non authoritate, ſed ſagina tenebat, ſe velle dixit: id ſutores, & zonarij conclamarunt. hoc teſtimonium eſt ciuitatis? Ego teſtes à Sicilia publicè duxi. verum erant ea teſtimonia non concitatæ concionis, ſed iurati ſenatus. quare iam non eſt mihi contentio cum teſte. vobis videndum eſt, ſint ne hæc teſtimonia putanda. Adoleſcens bonus, honeſto loco natus, diſertus, cum maximo ornatiſſimoq; comitatu venit in oppidum Græcorum: poſtulat concionem: locupletes homines, & graues, ne ſibi aduerſarentur, teſtimonij denuntiatione deterret: egentes, & leues ſpe legationis, et viatico publico, priuata etiā benignitate prolectat. opifices, & tabernarios, atq; illam omnem fecē ciuitatū, quid eſt negocij concitare? in eum præ-

præſertim, qui nuper ſummo cum imperio fuerit: ſummo autem in amore eſſe, propter nomen ipſum imperij non potuerit. mirandum verò eſt, homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura decumæ, portorium morti, libenter arripere facultatem lædendi quæcunq; detur? Mementote igitur cum audietis pſephismata: non audire vos teſtimonia, audire temeritatem vulgi: audire vocem leuiſſimi cuiuſq;: audire ſtrepitum imperitorum: audire concionem concitatam leuiſſimæ nationis. Itaq; perſcrutamini penitus naturam rationemq; criminum. Iam nihil præter ſpeciem, nihil præter terrorem ac minas reperietis.

Deſunt nonnulla.

In ærario nihil habent ciuitates: nihil in vectigalibus. duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut verſura, aut tributo. nec tabulæ creditoris proferuntur, nec tributi confectio vlla recitatur. Quam verò facile falſas rationes inferre, & in tabulas quodcunq; commodum eſt, referre ſoleant: ex Cn. Pompeij literis ad Hypſæum, & Hypſæi ad Pompeium miſſis quæſo cognoſcite. LITERÆ POMPEII ET HYPSAEI. *ſatis ne vobis coarguere his authoribus diſſolutam Græcorum conſuetudinem, licentiamq; impudentem videmur? niſi fortè qui Cn. Pompeium, qui præſentem, qui nullo impellente fallebant: eos vrgente Lælio in abſentem, & in L. Flaccum aut timidos fuiſſe, aut religioſos putamus. ſed fuerint incorruptæ*

corruptæ literæ domi : nunc verò quam habere authoritatem, aut quam fidem possunt? triduo lex ad Prætorem deferri iudicium signis obsignari iubet. trigesimo die vix deferuntur. ne corrumpi tabulæ facilè possint : iccirco lex obsignatas in publico poni voluit. at obsignantur corruptæ. quid refert igitur tanto post ad Iudices deferantur: an omnino non deferantur? Quid si testium studium cum accusatore sociatum est? tamen ne isti testes habebuntur? vbi est igitur illa expectatio : quæ versari in iudicijs solet? nam antè cum dixerat accusator acriter, & vehementer: cumq; defensor suppliciter, demisseq; respondérat : tertius ille erat expectatus locus testium, qui aut sine vllo studio dicebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis. hoc verò quid est? vnà sedent : ex accusatorum subsellijs surgunt : non dissimulant: non verentur. de subsellijs queror? vnà ex domo prodeunt: si verbo titubarint, quò reuertantur non habebunt. An quisquam esse testis potest, quem accusator sine cura interroget? nec metuat ne sibi aliquid quod ipse nolit, respondeat? vbi est igitur illa laus oratoris? quæ vel in accusatore antea, vel in patrono spectari solebat? bene testem interrogauit : callidè accessit : reprehendit : quò noluit, adduxit : conuicit: & elinguem reddidit. quid tu istum roges Læli? qui prius quam hoc, te rogo, dixeris : plura etiam effundet: quàm tu ei domi ante præscripseris. quid ego autem defensor rogem? nam aut oratio testium refelli solet, aut vita lædi. qua disputatione orationem refellam eius, qui dicit, dedimus? nihil amplius in hominem dicendum est. igitur cum oratio argumentationem non habet, quid dicam in ignotum? querendum est ergo, & deplorandum, id quod iamdudum facio : de omni

ni accusationis iniquitate. primũ de communi genere testium. dicit enim natio minimè in testimonijs dicendis religiosa. propius accedo. nego esse ista testimonia, quæ tu ipse psephismata appellas : sed & fremitum egentium, & motum quendam temerarium Græculæ concionis. intrabo etiam magis. qui gessit, non adest: qui numerasse dicitur, non est deductus : priuatæ literæ nullæ proferuntur: publicæ retentæ sunt in accusatorum potestate : summa est in testibus : hi viuunt cum inimicis : adsunt cum aduersarys: habitant cum accusatoribus. vtrum hic tandem disceptationem & cognitionem veritatis, an innocentiæ labem aliquam aut ruinam fore putatis? multa enim sunt eiusmodi Iudices, vt etiam si in homine ipsõ, de quo agitur, negligenda sint: tamen in imitatione atq; in exemplo pertimescenda videantur. si quem in infimo loco natum nullo splendore vitæ, nulla cõmendatione famæ defendere : tamẽ ciuis ciuem à ciuibus cõmunis humanitatis iure ac misericordia deprecarer: ne ignotis testibus, ne incitatis, ne accusatoris consessoribus, conuiuis, contubernalibus, ne hominibus leuitate Græcis, crudelitate barbaris, ciuem ac supplicem vestrum dederetis: ne periculosam imitationem exempli reliquis, in posterũ proderetis. sed cum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus consul factus est, primus in hac ciuitate consul fuit: cuius virtute regibus exterminatis, libertas in Rep. constituta est : quæ vsq; ad hoc tempus honoribus, imperio, rerum gestarum gloria continuata permansit. cumq; ab hac perenni contestataq; virtute maiorum non modo non degenerauit L. Flaccus : sed id, quod maximè florere in generis sui gloria viderat : laudem patriæ in libertatem vindicandæ Prætor adamauerit:

nerit: in hoc ego reo ne quod pernicioſum exemplum prodatur, pertimeſcam? in quo, etiam ſi quid erraſſet: omnes boni conniuendum eſſe arbitrarentur. quod quidem ego non modo non poſtulo: ſed contrà Iudices vos oro, & obteſtor: vt totam cauſam quam maximè intentis oculis, vt aiunt, acerrimè contemplemini. Nihil religione teſtatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expreſſum, contrāq; omnia corrupta libidine, iracundia, ſtudio, precio, periurio reperientur. Etenim iam vniuerſa iſtorum cognita cupiditate, accedam ad ſingulas querelas criminationesq; Græcorum. Claſſis nomine pecuniam ciuitatibus imperatam queruntur. quod nos factum Iudices confitemur. ſed ſi hoc crimen eſt: aut in eo eſt, quod non licuerit imperare: aut in eo, quod non opus fuerit nauibus: aut in eo: quod nulla hoc Prætore claſſis nauigarit. licuiſſe vt negligas, cognoſce quid me conſule ſenatus decreuerit: cum quidem nihil à ſuperioribus continuorum annorum decretis deceſſerit. SENATVS CONSVLTVM. Proximum eſt ergo vt opus fuerit claſſe, nec ne, quæramus. vtrum igitur hoc Græci ſtatuent, aut vllæ exteræ nationes? an veſtri Prætores? veſtri duces? veſtri imperatores? Equidem exiſtimo in eiuſmodi regione atq; prouincia, quæ mari cincta, portibus diſtincta, inſulis circundata eſſet: non ſolum præſidij, ſed etiam ornandi imperij cauſa nauigandum fuiſſe. Hæc enim ratio ac magnitudo animorum in maioribus noſtris fuit: vt cum in priuatis rebus, ſuisq; ſumptibus minimo cōtenti tenuiſſimo cultu viuerent: in imperio, atq; in publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremq; reuocarent. quæritur enim in re domeſtica continentia laus: in publica dignitatis. quid ſi etiam præſidij

cauſa claſſem habuit? quis erit tam iniquus, qui reprehendat? nulli erant prædones. quid? nullos fore, quis præſtare poterat? minus, inquit gloriam Pompeij. immò tu auges moleſtiam. ille enim claſſes prædonum, vrbes, portus, receptacula ſuſtulit: pacem maritimam ſumma virtute, ac incredibili celeritate confecit: illud verò neq; ſuſcepit, neq; ſuſcipere debuit: vt ſi qua vſpiam naucula prædonum apparuiſſet, accuſandus videretur. Itaque ipſe in Aſia, cum omnia iam bella, terra mariq; confeciſſet: claſſem tamen iſdem iſtis ciuitatibus imperauit. quod ſi tum ſtatuit opus eſſe: cum ipſius præſentis nomine tuta omnia & pacata eſſe poterant: quid cum ille deceſſiſſet: Flacco exiſtimatis ſtatuendum, & faciendum fuiſſe? quid nos hîc? nonne ipſo Pompeio authore, Syllano & Murena Conſſ. decreuimus: vt claſſis in Italia nauigaret? nonne eo ipſo tempore, cum L. Flaccus in Aſia remiges imperabat: nos hîc in mare ſuperum, & inferum ſeſtertium ter & quadragies rogabamus? quid poſtremo anno? nonne M. Curio, & P. Sextilio Quæſtoribus pecunia in claſſem eſt erogata? quid? hoc omni tempore equites in ora maritima non fuerunt? illa eſt enim gloria diuina Pompeij: primum prædones eos, qui tum, cum illi bellum maritimum gerendum datum eſt, toto mari diſperſi vagabantur: redactos eſſe omnes in poteſtatem. deinde Syriam eſſe noſtram: Ciliciam teneri: Cyprum per Ptolomæum Regem nihil audere: præterea Cretam Metelli virtute eſſe noſtram: nihil eſſe, vnde proficiſcantur: nihil, quo reuertantur. omnes ſinus, promontoria, littora, inſulas, vrbes maritimas, clauſtris imperij noſtri contineri. Quod ſi Flacco Prætore nemo in mari prædo fuiſſet: tamen huius diligentia reprehendenda

denda non esset. iccirco enim quod hic classem habuisset, existimarem non fuisse. quid si L. Oppy, L. Agry, C. Cesty equitum Ro. huius etiam clarissimi viri Cn. Domity, qui in Asia tum legatus fuit: testimonio doceo, eo ipso tempore, quo tu ipse negas classem habendam fuisse, complures à prædonibus esse captos? tamen Flacci consilium, in remigibus imperandis reprehendetur? quid si etiam occisus est à piratis Adramitenus homo nobilis, cuius est ferè nobis omnibus nomen auditum: Acinas pugil Olympionices? hoc est apud Græcos, quoniam de eorum grauitate dicimus, propè maius, & gloriosius, quàm Romæ triumphasse. at neminem cœpisti. quàm multi oræ maritimæ clarissimi viri præfuerunt: qui cum prædonem nullum cœpissent: mare tamen tutum præstituerunt? casus est enim in capiendo, locus, euentus, occasio: defendendi facilis est cautio, non solum latibulis occultorum locorum, sed etiam tempestatum moderatione, & conuersione. reliquum est: vt quæratur, vtrum nostra ista classis cursu, & remis, an sumptu tantum & literis nauigarit. num igitur negari potest? cuius rei cuncta testis est Asia, bipartito classem distributam fuisse? vt vna pars supra Ephesum, altera infra Ephesum nauigaret? hac classe M. Crassius vir amplissimus ab Hæmo in Asiam, his nauibus Flaccus ex Asia in Macedoniam nauigauit. In quo igitur Prætoris est diligentia requirenda? in numero nauiũ? & in descriptione æquabili sumptus? dimidium eius, quo Pompeius erat vsus, imperauit. num potuit parcius? descripsit autem pecuniam ad Pompeij rationem: quæ fuit accomodata L. Syllæ descriptioni. qui cum omnes Asiæ ciuitates proportione in prouincias descripsisset: illam rationem in imperando sumptu

do sumptu & Pompeius, & Flaccus secutus est. neq; est adhuc tamen ea summa completa. non refert verò. quid lucretur? cum enim genus imperatæ pecuniæ suscipit: id quod tu crimen esse vis, confitetur. quî igitur probari potest in ea pecunia non referenda, crimen sibi ipsum facere: in qua crimen esset nullum, si referret? at enim negas fratrem meum, qui L. Flacco successerit: pecuniam vllam in remiges imperasse. equidem Q. fratris mei laude delector: sed alijs magis grauioribus, atq; maioribus. aliud quiddã statuit: aliud vidit. existimauit quocunque tempore auditũ quid esset de prædonibus: quam vellet subitò se classem comparaturum. denique hoc primus frater meus in Asia fecit: vt hoc sumptu remigum ciuitates leuaret. crimen autem tũ videri solet: cum aliquis sumptus instituit eos: qui antea non erant instituti: non cũ successor aliquid immutat de institutis priorũ. Flaccus quid alij postea facturi essent, scire non poterat: quid fecissent, videbat. Sed quoniam de communi totius Asiæ crimine dictũ est: aggrediar iam ad singulas ciuitates: ex quibus sit sanè nobis prima ciuitas Æmonensis. Citat præco voce maxima Legatos Æmonenses. procedit vnus Asclepiades. prodeant, etiámne præconem mentiri coëgisti? est enim credo is vir iste: vt ciuitatis nomen sua authoritate sustineat, damnatus turpissimis iudicijs domi, notatus literis publicis. cuius de probris, adulteryis, ac stupris extant Æmonensium literæ: quas ego non solum propter longitudinem, sed etiam propter turpissimam obscœnitatem verborũ prætereundas puto. Dixit publicè datum drachmarum CC. & VI millia. dixit tantum: nihil ostendit: nihil protulit: sed adiunxit id, quod ceriè quoniam erat domesti-

cum, docere debuit: se priuatim drachmarum CCVI. dedisse. quantum sibi ablatum homo impudentissimus dicit: tantū nunquam est ausus vt haberet, optare. Ab Aulo Sextilio dicit se dedisse, & à suis fratribus. potuit dare Sextilius. nam fratres quidē consortes sunt mendicitatis. Audiamus igitur Sextilium. fratres deniq; ipsi prodeant: quā volent impudenter mentiantur: & quod nunquam habuerint, deesse se dicant: tamen aliquid fortasse coràm producti dicent: in quo reprehendantur. non deduxi, inquit, Sextilium. cedo tabulas. non deportaui. fratres saltē exhibe. non denunciaui. quod ergo vnus Asclepiades fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus, impudentia, atq; audacia fretus, sine tabulis, sine authore legerit: id nos quasi crimen aut testimonium pertimescamus? idem laudationē, quam nos ab Æmonensibus Flacco datā proferebamus, falsam esse dicebat. cuius quidem laudationis iactura exoptanda nobis fuit. nā vt signum publicū inspexit præclarus iste author suæ ciuitatis: solere suos ciues, cæterosq; Græcos ex tempore, quod opus sit, obsignare dixit. tu verò tibi habeto istam laudationē: nec enim Æmonensium testimonio Flacci vita, & dignitas nititur. das enim mihi, quod hæc causa maximè postulat: nullā grauitatem, nullam constantiam, nullū firmum in Græcis hominibus consilium, nullam deniq; esse testimonij fidē. nisi verò hactenus ista formula testimonij atq; orationis tuæ describi, ac distingui potest: vt Flacco absenti aliquid ciuitates tribuisse dicā tur: Lælio præsenti, per se agenti, vi legis, iure accusatio nis, opibus præterea suis terrenti, ac minanti, nihil tempo rus causa scripsisse, aut obsignasse videantur. Equidem in minimis rebus sæpe res magnas vidi Iud. deprehendi,

hendi, ac teneri, vt in hoc Asclepiade. hæc, quæ est à nobis prolata, laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica: quæ ferè est omnibus nota nobis: qua vtuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in priuatis literis: quas quotidie videmus mitti à publicanis sæpe vnicuique nostrum. neque enim testis ipse signo inspecto, falsum nos proferre dixit: sed leuitatem totius Asiæ protulit: de qua nos & libenter & facilè concedimus. nostra igitur laudatio, quam ille temporis causa nobis datam dicit: datam quidē confitetur: consignata creta est. in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datū, ceram esse videmus. hîc ego Iudices, si vos Æmonensium decretis, si cæterorum Phrygum literis promoueri putarem: vociferarer: & quantum maximè possem, contenderem: testarer publicanos: excitarē negociatores: vestram etiam conscientiam implorarem: cera deprehensa, considerem totius testimonij fictam audaciam manifestò comprehē sam, atque oppressam teneri. nunc verò non insultabo vehementius? nec volitabo in hoc insolentius: neque in istum nugatorem tanquam in aliquem testem inuehar: neq; in toto Æmonensium testimonio, siue hîc confictum est, vt apparet: siue missum domo est, vt dicitur: commouebor. etenim quibus ego istam laudationem remittam: quoniam sunt, vt Asclepiades dicit, leues: horum testimonium non pertimescam. Venio nunc ad Dorylensium testimonium, qui producti tabulas se publicas ad speluncas perdidisse dixerunt. O' pastores nescio quos cupidos literarum: si quidem nihil istis præter literas abstulerunt. sed aliud esse causæ suspicamur: ne fortè isti parum versuti esse videantur. pœna est vt opi-

nor Dorylensium grauior, quàm apud alios, falsarum, & corruptarum literarũ, si veras protulissent, criminis nihil erat: si falsas, erat pœna. bellissimũ putarunt, dicere amissas. quiescant igitur, & me hoc in lucro ponere, atque aliud agere patiantur. Non sinunt. supplet enim ille nescio quis: & priuatim dicit se dedisse. hoc verò ferri nullo modo potest. qui de tabulis publicis recitat, his quæ in accusatoris potestate fuerunt: non debet habere authoritatẽ. sed tamen iudicium fieri videtur: cum tabulæ illæ ipsæ cuiusquemodi sunt, proferuntur. cũ verò is, quem nemo vestrum vidit vnquam, nemo qui mortalis esset, audiuit, tantum dicit dedi: dubitabitis Iudices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum ciuem vindicetis? Atque huic eidem nuper tres Equites Ro. honesti & graues, cum in causa liberali eũ qui asserebatur, cognatum suũ esse diceret: non crediderunt. qui hoc euenit? vt qui locuples testis doloris, & sanguinis sui non fuerit: idem sit grauis author iniuriæ publicæ? Atque hic Dorylensis nuper cum efferretur magna frequentia, concessuq; vestro: mortis illius inuidiam in L. Flaccum Lælius conferebat. facis iniustè Læli: si putas periculo nostro viuere tuos contubernales: præsertim quod tua negligentia factum arbitremur. homini enim Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset: fiscinam ficorum obiecisti. cuius mors te ex aliqua parte releuauit: edacem enim hospitem amisisti. Flacco verò quid profuit? qui valuit tam diu dum huc prodiret: mortuus est aculeo iam dimisso, ac dicto testimonio. At istud columen actionis tuæ Mithridates, posteaquam biduum retentus testis à nobis, effudit, quæ voluit, omnia: reprehensus, convictus, fractusq; discessit: ambulat cum

lorica.

lorica. metuit homo doctus, & sapiens, ne L. Flaccus nunc se scelere alliget: cum iam testem illum effugere non possit: vt qui ante dictum testimoniũ sibi temperarit: cũ tamen aliquid assequi possit: is nunc id agat: vt ad falsum auariciæ testimoniũ, verum etiam maleficy crimen adiungat. Sed de hoc teste, totoq; Mithridatico, disseruit & subtiliter, & copiosè Q. Hortensius: nos vt instituimus, ad reliqua pergamus. Caput est omniũ Græcorum concitandorũ, qui cum accusatoribus sedet, Heraclides ille Tennites, homo ineptus, & loquax: sed vt sibi videtur, ita doctus, vt etiam magistrum aliorum se esse dicat: & qui ita sit ambitiosus: vt omnes vos, nosq; quotidie persalutet: Tenni vsq; ad illam ætatem in Senatum venire non potuit: & qui se artẽ dicendi traditurum etiam cæteris profiteatur: ipse omnibus turpissimis iudicijs conuictus est. pari felicitate vna legatus venit Nicomedes: qui neque in Senatum vlla conditione peruenire potuit: & furti, & pro socio, damnatus est. nam princeps legationis Lysanias adeptus est ordinem senatorium: sed cum Rempub. nimium amplecteretur: peculatus damnatus, & bona, & senatorium nomen amisit. hi tres, etiam ærarij nostri tabulas falsas esse nõ voluerunt: nam seruos nouem se professi sunt habere: cum omnino sine comite venissent. decreto scribendo primum video affuisse Lysaniam: cuius fratris bona, quod is populo non soluebat, Prætore Flacco publicè venierunt. præterea Philippus est Lysaniæ gener, & Hermobius: cuius frater Poles, item pecuniæ publicæ est condemnatus. dicunt se Flacco, & ijs qui simul essent, drachmarum XV. millia dedisse. cum ciuitate mihi res est acerrima, & conficientissima literarum: in qua num-

mus moueri nullus potest sine quinq; Prætoribus, tribu Quæstoribus, quatuor mensarijs: qui apud illos à populo creantur. ex hoc tanto numero deductus est nemo: & cum illã pecuniam nominatim Flacco datam referant: maiorem etiam aliquã, cum huic ijdem darent, in eadem sacram reficiendam se perscripsisse dicunt: quod minimè conuenit. nam aut omnia occultè referenda fuerunt, aut apertè omnia. cum perscribunt nominatim Flacco: nihil timent, nihil verentur. cum operi publico referunt: ijdem homines subitò eundem quem contemserant, pertimescunt. Si Prætor dedit, vt est scriptum: à Quæstore numerauit: Quæstor à mensa publica: mensa aut ex vectigali aut ex tributo. Nunquam erit istud simile criminis: nisi mihi totã rationem omni & personarum genere, & literarum explicaris. Vel quod est in eodem decreto scriptum: homines clarissimos ciuitatis, amplissimis vsos honoribus hoc Prætore circũuentos. cur hi neq; in iudicio adsunt? neq; in decreto nominantur? non enim credo significari isto loco illũ, qui se erigit, Heraclidem. vtrum enim in clarissimis est ciuibus is? quem iudicatũ hic duxit Hermippus: qui hanc ipsam legationem, quã habet, nõ accepit à suis ciuibus: sed vsq; Tymolo petiuit: cui nullus honos in sua ciuitate habitus est vnquam. res autem ea quæ tenuissimis cõmittebatur, huic vni in vita commissa sola est custos T. Ausidio Prætore in frumento publico est positus: pro quo cum à P. Varino Prætore pecuniam accepisset, celauit suos ciues, vltroq; ijs sumptum intulit. quod posteaquam Tenni literis à P. Varino missis cognitum atq; patefactum est: cumq; eadem de re Cn. Lentulus, qui Censor fuit: Tennitarum patronus literas misisset: Heraclidem istum Tenni nemo postea vidit.

dit. Atq; vt eius impudentiam perspicere possitis: causam ipsam, quæ leuissimi hominis animũ in Flaccum incitauit, quæso cognoscite. Fundum Cymæum Romæ mercatus est de pupillo Meculonio, cum verbis se locupletẽ faceret: haberet nihil præter illam impudentiam, quam videtis: pecuniam sumpsit mutuam à Sex. Scola Iudice hoc nostro primario viro: qui & rem agnoscit, neque hominem ignorat: qui tamen credidit P. Fuluy Veraty lectissimi hominis fidei. is cum solueret, sumpsit à C. & M. Fusijs, equitibus Ro. primarijs viris. hic herculè cornici oculum, vt dicitur. Nam hunc Hermippum hominem eruditum ciuem suum, cui debebat esse notissimus, percussit. eius enim fide sumpsit à Fusijs. Securus Hermippus Tennũ proficiscitur: cũ iste sese pecuniã, quam huius fide sumpserat: à discipulis suis, diceret Fusijs persoluturum. habebat enim Rethor iste adolescentes quosdã locupletes: quos dimidio redderet stultiores, quàm acceperat: vbi nihil possent discere, nisi ignorantiam literarũ. neminem quidem adeò infatuare potuit: vt ei nummum vllum crederet. itaq; cum Roma clàm esset profectus, multosq; minutis mutuationibus fraudauisset, in Asiam venit: Hermippoq; percontanti de nomine Fusiano, respondet se omnẽ pecuniam Fusijs persoluisse. Interim neq; ita longo interuallo libertus à Fusijs cũ literis ad Hermippum venit. pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclide petit. ipse tamen Fusijs satisfacit absentibus, & fidem suam liberat. hunc æstuantem, & tergiuersantem iudicio ille persequitur. à recuperatoribus causa cognoscitur. Nolite existimare Iudices non vnam & eandem omnibus in locis esse fraudatorum & inficiatorum impudentiam. fe-

cit eadem omnia quæ nostri debitores solent. negauit sese omnino versuram vllam fecisse Romæ: Fusiorum se affirmauit nunquam omninò nomen audisse. Hermippum verò ipsum pudentissimum atq; optimum virum, veterem amicum atq; hospitem meum, splendidissimum atq; ornatissimum ciuitatis suæ, probris omnibus maledictisq; vexat. Sed cum se homo volubilis quadam præcipiti celeritate dicendi in illa ratione iactaret: repentè testimonijs Fusiorum, nominibusq; recitatis homo audacissimus pertimuit: loquacissimus obmutuit. Itaque recuperatores contra istum rem minimè dubiam prima actione iudicauerunt. cum iudicatū non faceret: addictus Hermippo & ab hoc ductus est. Habetis & honestatem hominis, & authoritatem testimony & causam omnem simultatis. Atque is ab Hermippo missus cum ei pauca mancipia vendidisset, Romam se contulit. deinde in Asiam redijt: cum iam frater meus Flacco successisset. ad quē adyt, causamq; ita detulit: recuperatores vi Flacci coactos & metu falsum inuitos iudicauisse. frater meus pro sua æquitate prudentiaq; decreuit: vt si iudicatum negaret, in duplum iret. si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores. recusauit: & quasi nihil esset actū, nihil iudicatum, ab Hermippo ibidem mancipia, quæ ipse ei vendiderat, petere cœpit. M. Gratidius legatus, ad quē est aditum: actionem se daturum negauit: re iudicata stari ostendit placere. iterum iste, cui nullus esset vsquā consistendi locus, Romā se retulit. persequitur Hermippus: qui nunquam istius impudentiæ cessit. petit Heraclides à C. Plotio Senatore viro primario, qui legatus in Asia fuerat, mancipia quædam: quæ se, cum iudicatum esset, per vim vendidisse dicebat. Q.

Naso

Naso vir ornatissimus, qui Prætor fuerat, Iudex sumitur. qui cum sententiam secundum Plotium se dicturum ostenderet, & ab eo Iudice abiret: quod iudicium lege non erat: causam totam reliquit. Satisne vobis Iud. videor ad singulos testes accedere? neque vt primò constitueram, tantummodo cum vniuersō genere confligere? Venio ad Lysaniam eiusdem ciuitatis, peculiarem tuum Deciane testem. quem tum tu ephebum Tenni cognosses: quoniam te nudus delectarat: semper nudum esse voluisti. adduxisti Tenno Apollonidem. pecuniam adolescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauisti: hanc fiduciam commissam tibi tenes hodie, ac possides. eum tu testem spe recuperandi fundi paterni venire ad testimonium dicendum coëgisti. qui quoniam testimonium dixit, quid nam sit dicturus, expecto. noui genus hominum: noui consuetudinem: noui libidinem. Itaq; & si teneo quid sit dicere paratus: nihil tamen contrà disputabo, prius quàm dixerit: totum enim conuertet, atq; alia finget. Quamobrem & ille seruet quod parauit: & ego me ad id quod attulerit, integrum conseruabo. Venio nunc ad eam ciuitatem, in quam ego multa & magna officia contuli: & quam meus frater in primis colit, atque diligit. quæ si ciuitas per viros bonos grauesq; homines querelas ad vos detulisset: paulo commouerer magis. nunc verò quid putem? Trallianos Meandrio causam commisisse homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu? vbi erant illi Pythodorus, & Lepison? cæteri homines apud nos noti, inter suos nobiles? vbi illa magnifica, & gloriosa ostentatio ciuitatis? nonné esset puditum, si hanc causam agerent seuerè: non modo legatum, sed Trallianum o-

mnino dici Mæandriũ? huic illi legato, huic publico testi patronum suum iam inde à patre, atq; maioribus L. Flaccum mactandum ciuitatis testimonio tradidissent? Non est ita iudices: non est profectò. vidi ego in quodam iudicio nuper Philodorũ testem Trallianum: vidi Parrhasium: vidi Archidemũ. cum quidem idem hic mihi Mæandrius quasi ministrator aderat, subijciens, quid in suos ciues ciuitatem q; si vellem, dicerem. nihil enim illo homine leuius: nihil egẽtius: nihil inquinatius. Quare si hunc habent authorem Tralliani doloris sui: si hunc custodem literarum: si hunc testem iniuriæ: si hunc authorem querelarum: remittant spiritus: comprimant animos suos: sedent arrogantiã: fateantur in Mæandrij persona esse expressam faciem ciuitatis. sin istum semper illi ipsi domi proterendum esse & conculcandum putauerunt: desinant putare authoritatem esse in eo testimonio, cuius author inuentus est nemo. Sed exponam quid in re sit: vt quamobrem ista ciuitas neq; seuerè Flaccum oppugnarit, neq; benignè defenderit, scire possitis. Erat ei Castriciano nomine irata: de quo toto respondit Hortensius. Inuita soluerat Castricio pecuniam iam diu debitam. hinc totum odium: hinc omnis offensio. quò cum venissent Lælius ad iratos: & illud Castricianum vulnus dicendo refricuissent: siluerunt principes: neq; in illa concione adfuerunt: neq; ipsius decreti ac testimonij authores esse voluerunt. vsq; eò orba fuit ab optimatibus illa concio: vt princeps principum esset Mæandrius: cuius lingua quasi flabello seditionis illa tum est egentium concio ventilata. Itaq; ciuitatis pudentis, vt ego semper existimaui, & grauis, vt ipsi existimari volunt: iustum dolorem querelasq; cognoscite. Quæ pecunia fuerit

apud

apud se Flacci patris nomine à ciuitatibus: hanc à se ablatam queruntur. alio loco quæram, quid licuerit Flacco: nunc tantum à Trallianis requiro: quam pecuniam à se ablatam queruntur: suam ne dicant, sibi à ciuitatibus collatam in vsus suos. cupio audire. non inquit, dicimus. quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine, ad eius dies festos atq; ludos. quid tum? hanc te inquit capere non licuit. iam id videro. sed primum illud tenebo. queritur grauis, locuples, ornata ciuitas: quod non retinet alienum. spoliatam se dicit: quod id non habet: quod eius non fuit. quid hoc impudentius dici aut fingi potest? delectum est oppidum: quo in oppido vno pecunia tota Asia ad honores L. Flacci poneretur. hæc pecunia tota ab honoribus translata in quæstum & fœnerationem, recuperata est multis post annis. quæ ciuitati facta est iniuria? at molestè fert ciuitas, credo. amissum est enim præter spem, quod erat spe deuoratum lucrum. at queritur. impudenter facit. non enim omnia quæ dolemus: eadem iure queri possumus. at accusat verbis grauissimis. non ciuitas, sed imperiti homines à Mæandrio concitati. Quo loco etiam atq; etiam facite vt recordemini, quæ sit temeritas multitudinis: quæ leuitas propria Græcorum: quid in concione seditiosa valeat oratio. hîc in hac grauissima & moderatissima ciuitate, cum est forum plenum iudiciorum: plenum magistratuum: plenum optimorum virorum & ciuium: cum speculatur atq; obsidet rostra vindex temeritatis & moderatrix officij, curia: tamen quantos fluctus excitari concionum videtis? quid vos fieri censetis Trallibus? an id quod Pergami? nisi fortè hæ ciuitates existimari volunt, facilius vna se epistola

Mythri-

Mythridatis moueri impelliq; potuisse: vt amicitiam populi Ro. fidem suam iura omnia officy, humanitatisq; violarent: quàm vt filium testimonio læderent: cuius patrem armis pellendum à suis mœnibus censuissent. Quare nolite mihi ista nomina ciuitatum nobilium opponere. quos enim hostes hæc familia contempsit: nunquam eosdem testes pertimescet. vobis autem est consitendum si consilijs principum vestræ ciuitates regun-tur: non multitudinis temeritate, sed optimatũ consilio bellũ ab istis ciuitatibus cum populo Ro. esse susceptum. sin ille tum motus est temeritate imperitorum excitatus: patiamini me delicta vulgi à publica causa separare. At enim istam pecuniam huic capere non licuit. vtrum vultis patri Flacci licuisse nec ne? si licuit, sicuti certè licuit: ad eius honores collatum, ex quibus ipse nihil capiebat, patris pecuniam recte abstulit filius. si non licuit: tamen illo mortuo non modo filius, sed quiuis hæres rectissimè potuit auferre. Ac tum quidem Tralliani cum ipsi graui fœnore istam pecuniam multos annos occupauissent: à Flacco tamen omnia quæ voluerunt, impetrauerunt. neq; tam fuerunt impudentes: vt id quod Lælius dixit, dicere auderent: hanc eis pecuniam abstulisse Mythridatem. quis enim erat, qui non sciret in ornandis studiosiorem Mythridatem, quam in spoliandis Trallianis fuisse? quæ quidem à me si vt dicenda sunt, dicerentur: grauius agerem Iudices, quam adhuc egi: quantam Asiaticis testibus fidem habere vos conueniret. reuocarẽ animos vestros ad Mythridatici belli memoriam: ad illam vniuersorum ciuium Ro. per tot vrbes vno puncto temporis miseram crudelemq; cædem: Prætores nostros deditos, Legatos in vincula coniectos,

nominis

nominis propè Romani memoriam cum vestigio imperij non modo ex ædibus Græcorum, verumetiam ex literis esse deletam. Mythriditatem demum, illum patrem, illum conseruatorẽ Asiæ, illum Euchyum, Bromiũ, Dionysium, Bacchum, Liberum nominabant. vnũ atq; idem erat tempus, cum L. Flacco Consuli portas tota Asia claudebat: Cappadocem autem illum non modo recipiebat suis vrbibus: verum etiam vltrò vocabat. liceat hæc nobis, si obliuisci non possumus, at tacere. liceat mihi potius de leuitate græcorum queri: quàm de crudelitate. authoritatem isti habeant apud eos, quos esse omnino noluerunt. nam quoscunq; potuerunt togatos, interemerunt: nomen ciuium Ro. quantum in ipsis fuit, sustulerunt. In hac igitur vrbe se iactant, quam oderunt: apud eos, quos inuiti vident: in ea Rep. ad quam opprimendam non animus eis, sed vires deficiunt, & defuerunt. auspiciant hunc florem legatorum laudatorumq; Flacci ex vera atq; integra Græcia: tũ se ipsi expendant: tum cũ his se comparent: tum si audebunt, dignitati horum anteponant suam. Adsunt Athenienses: vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur. de quorum vrbis positione, propter pulchritudinem etiam inter deos certamen fuisse proditum est. quæ vetustate ea est: vt ipsa ex se se suos ciues genuisse dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria, dicatur. authoritate autem tanta est: vt iam fractum propè ac debilitatum Græciæ nomen huius vrbis laude nitatur. adsunt Lacedæmonij, cuius ciuitatis spectata ac nobilitata virtus, non solũ natura corroborata, verũ etiam disciplina putatur. qui soli toto orbe terrarũ septingentos iam annos amplius vnis moribus &

nunquam

nunquam mutatis legibus viuunt. adsunt ex Achaia cuncta multi Legati, Bœotia, Thessalia: quibus locis nuper legatus Flaccus imperatore Metello præfuit. Neq; verò te Massilia prætereo: quæ L. Flaccum militem Quæstoremq; cognosti. cuius ego ciuitatis disciplinam atq; grauitatem non solũ Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendã iure dicam. quæ tam procul à Græcorum omniũ regionibus, disciplinis, linguaq; diuisa, cum in vltimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur: sic optimatum consilio gubernatur, vt omnes eius instituta laudare facilius possint, quã æmulari. hisce vtitur laudatoribus Flaccus: his innocentiæ testibus: vt Græcorum cupiditati, Græcorum auxilio resistamus. Quanquam quis ignorat: qui modo vnquã mediocriter res istas scire curauit: quin tria Græcorum genera sint verè: quorum vni sunt Athenienses: quæ gens Ionum habebatur. Æoles alteri: Dores tertij nominabantur. Atq; hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio & bellica laude floruit, paruum quendam locum vt scitis Europæ tenet, semperq; tenuit. Asiæ maritimam orã bello superatam cinxit vrbibus: nõ vt munitam colonys illam augeret gentem, sed vt obsessam teneret. Quamobrem quæso à vobis Asiatici testes: vt cum verè recordari voletis, quantum authoritatis in iudicium afferatis: vosmetipsi describatis Asiã: nec quid alienigenæ de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, memineritis. Namq; vt opinor Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. vtrum igitur nostrum est an vestrum hoc prouerbium? Phrygem plagis fieri solere meliorem? quid de tota Caria? nonne

hoc

hoc vestra voce vulgatum est? si quid cum periculo experiri velis: in Caria id potissimum esse faciundum? quid porrò in Græco sermone tam tritum atque celebratum est: quàm si quis despicatui ducitur: vt Mysorum vltimus esse dicatur? nam quid ego dicã de Lydia? quis vnquam Græcus Comœdiam scripsit: in qua seruus primarum partium non Lydus esset? Quamobrem quæ vobis sit iniuria: si statuimus vestro nobis iudicio standum esse de vobis? Equidem mihi iam satis superq; dixisse videor de Asiatico genere testium. sed tamen vestrum est iudices omnia quæ dici possunt in hominum leuitatem, inconstantiam, cupiditatem, etiamsi à me minus dicuntur, vestris animis & cogitatione comprehendere. Sequitur auri illa inuidia Iudaici. hoc nimirum est illud, quod non longè à gradibus Aurelys hæc causa dicitur: ob hoc crimen hic locus abs te Læli, atq; illa turba quæsita est. scis quanta sit manus: quanta concordia: quantum valeat in concionibus: sum missa voce agam: tantum vt Iudices audiant. neq; enim desunt: qui istos in me, atq; in optimum quenque incitent: quos ego quid facilius faciant, non adiuuabo. Cum aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus vestris prouincys Hierosolymam exportari soleret: Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est Iudices: qui hoc non verè laudare possit? exportari aurum non oportere, cum sæpe antea senatus, tum me consule grauissimè iudicauit. huic autem barbaræ superstitioni resistere, seueritatis: multitudinem Iudæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro Rep. contemnere: grauitatis summæ fuit. At Cn. Pompeius captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit.

git. inprimis hoc vt multa alia sapienter. in tam suspicio sa ac maledica ciuitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. non enim credo religionem & Iudæorum & hostium impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse. Vbi ergo crimen est? quoniam quidem furtum nusquam reprehendis: edictum probas: iudicatum fateris: quæsitum & prolatum palàm non negas: actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameæ manifestè comprehensum, antè pedes Prætoris in foro expensum est auri pondo centum paulò minus per Sextum Cestium Equitem Ro. castissimum hominẽ atq; integerrimum. Laodiceæ viginti pondo paulo amplius per hunc ipsum L. Peducæum Iudicem nostrum. Adrymeti per Cn. Domitium legatũ. Pergami non multũ auri ratio constat. aurum in ærario est: furtum non reprehenditur: inuidia quæritur: à iudicibus oratio auertitur: vox in coronam turbamq; effunditur. Sua cuiq; ciuitati religio Læli est: nostra nobis. stantibus Hierosolymis, pacatisq; Iudæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore huius imperij, grauitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat. nunc verò hoc magis, quod illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis. quam cara diis immortalibus esset, docuit: quod est victa: quod elocata: quod seruata. quamobrem quoniã quod crimen esse voluisti: id totum vides in laudem esse conuersum: veniamus iam ad ciuium Ro. querelas. ex quibus sit sanè prima Deciani. Quid tibi tandem Deciane iniuriæ factum est? negociaris in libera ciuitate. primum patere me esse curiosum: quousq; negociabere? præsertim cum sis isto loco natus. annos iam triginta in foro versaris: sed tamen Pergameno. longo interuallo, si

interuallo, si quando tibi peregrinari commodum est, Romam venis: affers faciem nouam: nomen vetus: purpuram tyriam. in qua tibi inuideo: quod vnis vestimentis tam diu lautus es. verũ esto negociari libet. cur non Pergæ? Smyrnæ? Trallibus? vbi & multi ciues Rom. sunt: & ius à nostro magistratu dicitur? ocium te delectat: lites, turba, pop. Ro. odio est: græcorũ libertate gaudes. cur ergo vnus tu Appollondienses amantissimos populi Ro. fidelissimos socios, miseriores habes quàm aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuerit vnquam? cur his per te frui libertate sua? cur deniq; esse liberis nõ licet? homines sunt tota Asia frugalissimi, sanctissimi, à Græcorum luxuria, & leuitate remotissimi, patresfamilias suo contenti, aratores, rusticani: agros habent & natura perbonos, & diligentia culturaq; meliores. in hisce agris tu prædia habere voluisti. omninò mallem, & magis erat tuũ: si iam te crassi agri delectabant, hîc alicubi in Crustumino, aut in Capenati parauisses. verũ esto: Catonis est dictum, pedibus cõpensari pecuniã: longè omninò à Tyberi ad Caicum: quo in loco etiã Agamemnon cũ exercitu errasset: nisi ducem Telephum inuenisset. sed concedo id quoq; placuit oppidũ: regio delectauit. emisses. Amyntas est genere, honore, existimatione, pecunia, princeps illius ciuitatis. cuius socrũ, mulierem imbecilli consilij satis locupletẽ pellexit Decianus ad sese: & cum illa, quid ageretur, nesciret: in possessione prædiorum eius familiã suam collocauit: vxorem abduxit ab Amynta prægnantem: quæ peperit apud Decianum filiã: hodieq; apud Decianum est, & vxor Amyntæ & filia. nunquid harũ rerum à me fingitur Deciane? sciunt hæc omnes nobiles: sciunt boni viri: sciunt deniq; nostri homines: sciunt me-

diocres negociatores. exurge Amynta: repete à Deciano, non pecuniam, non prædia: socrum deniq; sibi habeat: restituat vxorẽ: reddat misero patri filiã. nam membra quæ debilitauit lapidibus, fustibus, ferro: manus, quas contudit: digitos, quos confregit: nerues, quos cõcidit: restituere non potest: filiã, filiam inquam ærumnoso patri Deciane redde. Hæc Flacco te non probasse miraris? cui quæso tandem probasti? emptiones falsas, prædiorum proscriptiones cum mulierculis aperta circumscriptione feciſti. tutor his rebus Græcorum legibus ascribendus fuit. Polemocratem scripsisti mercenarium & administrum consiliorum tuorum. adductus est in iudicium Polemocrates de dolo malo & de fraude à Dione, huius ipsius tutelæ nomine. qui concursus ex oppidis finitimis vndiq;? qui dolor animorum? quæ querela? condẽnatus est Polemocrates sententijs omnibus. irritæ venditiones: irritæ proscriptiones. num restituis? defers ad Pergamenos: vt illi reciperent in suas literas publicas preclaras proscriptiones, & emptiones tuas. repudiant, reijciunt. at qui homines? Pergameni laudatores tui. ita enim mihi gloriari visus es laudatione Pergamenorum: quasi honorem maiorum tuorum assecutus esses: & hoc te superiorem putabas esse, quàm Lælium: quod te ciuitas Pergamena laudaret. num honestior est ciuitas Pergamena quàm Smyrnæ? at ne ipsi quidem dicunt? vellem tantũ habere me ocij: vt possem recitare Psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castritium mortuum. Primum vt oppidum introferretur, quod alijs non conceditur: deinde vt ferrent Ephebi. postremò vt imponeretur aurea corona mortuo. Hæc P. Scipioni clarissimo viro, cum esset Pergami mortuus, facta non

non sunt. At Castritium quibus verbis dij immortales, decus patriæ, ornamentum populi Ro. florem iuuentutis appellant? Quare Deciane, si cupidus es gloriæ, alia ornamenta censeo quæras. Pergameni te deriserunt: quid? tu ludi te non intelligebas? Quum tibi hæc verba recitabant, clarissimũ virum præstantissima sapientia, singulari ingenio, mihi crede, ludebant. Quum verò coronam auream literis imponebant: reuera non plus aurum tibi, quàm monedulæ committebant. Ne tum quidem hominũ venustatem & facetias perspicere potuisti? Isti igitur Pergameni perscriptiones, quas tu asserebas, repudiauerunt. P. Orbius homo & prudens, & innocens contra te omnia decreuit. In P. Globulum meum necessarium fuisti gratiosior. Vtinam neque ipsum neque me pœniteret. Flaccum in Curia decreuissent. Veridicas adiungis causas inimicitiarum, quod patri L. Flacci Ædili Curuli, pater tuus Tribunus pl. diem dixerit. At istud nec ipsi quidem patri Flacci valdè molestum esse debuit, præsertim quum ille cui dies dicta est, Prætor postea factus sit & Consul: ille, qui diem dixit, non potuerit priuatus in ciuitate consistere. Sed si iustas inimicitias putabas, cur cum Tribunus Mil. Flaccus esset, in illius legione miles fuisti? cum per leges militares effugere liceret iniquitatem Tribuni? Cur autem per te inimicum paternum in consilium vocauit? quæ quidem quàm sanctè solita sint obseruari, scitis omnes. Nunc accusamur ab ijs, qui in consilio nobis fuerunt. Decreuit Flaccus, num aliud atque oportuit in liberos? num aliter censuit Senatus? in absentem decreuit. cum ibidem esses, cum prodire nolles: non est hoc in absentem reum Senatusconsultum & decretum

Flacci. Quid si non decreuisset, sed dixisset: quis posset verè reprehendere? num etiam fratris mei literas plenissimas humanitatis & æquitatis, reprehensurus? quas eadem mulieri à me datas apud Pataranos requisiuit. Recita literas Q. Ciceronis.

*

Quid? hæc Apollonidenses occasione facta, ad Flaccum detulerunt: apud Orbium acta non sunt, ad Globium delata non sunt, ad Senatum nostrum, me Consule, non ne legati Apollonidenses omnia postnlata de iniurys vnius Deciani detulerũt? Ad hæc, prædia etiam in censu dedicasti. Mitto quod aliena, mitto quod possessa per vim, mitto quod conuicta ab Apollonidensibus, mitto quod à Pergamenis repudiata, mitto etiam quod à nostris Magistratibus in integrum restituta, mitto quod nullo in iure, neq; re, neq; in possessione tua. Illud quæro, sint'ne ista prædia censui censendo? habeant ius ciuil? sint nec ne, sint mancipi? Subsignari apud ærarium, apud

apud Censorem possint? In qua tribu denig; ista prædia censuisti? Commisisti, si tempus aliquod grauius accidisset, vt ex ysdem prædys & Apollonidæ & Romæ imperatum esset tributum. Verum est, glorioſus fuisti, voluisti magnum agri modum censere, & eius agri, qui diuidi plebi Rpmanæ non potest. Census es præterea numeratã pecuniæ CXXX. M. eam opinor tibi numeratã non esse abs te. Sed hæc omitto, census es mancipia Amyntæ. neq; huic vllam in eo feci sti iniuriam, possidet enim ea mancipia Amyntas. ac primò quidem pertimuit cum te audisset, seruos suos esse censum. Retulit ad iurisconsultos. Constabat inter omnes, si aliena censendo Decianus sua facere posset, eum maxima habiturum esse dominia

Et mutilata sententia est, & deesse nonnulla videntur.

*

Habetis causam inimicitiarum, quæ causa inflammatus Decianus, ad Lælium detulerit hanc opimã accusationem. Nam ita questus est Lælius, cũ de perfidia Deciani diceret: Qui mihi author fuit, q causam ad me detulit, quem ego sum secutus, is à Flacco corruptus est, is me deseruit, ac prodidit. Siccine tu author tandẽ eum, cui tu in cõsilio fauisses, apud quem omnes gradus dignitatis tuæ retinuisses, prudentissimum hominem, nobilissima familia natum, optimè de Republica meritum, in discrimen omnium fortunarum vocauisti? scilicet defendam Decianum, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit. Nõ est, mihi crede, corruptus. quid enim fuit, quod ab eo redimeretur, vt duceret iudicium, cui sex horas omninò lex dedit, quantum tandem ex his horis detraheret, sibi morem gerere voluisset? Nimirum illud est quod ipse suspicatur, inuidisti ingenio subscriptoris tui, quod ornabat facilè locum, quem prehenderat, & acutè testis interrogabat, cur circumueniebat. fortasse feciſtis & tu, & populi sermo, ne exciperes. Idcircò Decianum vsque ad coronam applicuisti: sed vt hoc verisimile est, haud verisimile, Decianũ à Flacco esse corruptũ, ita scitote Iud. esse cætera: vel quod ait Luceius: L. Flaccũ sibi dare cupisse: vt à fide se abduceret: sestertiũ vicies. vt eum tu accusas auaricia? quẽ dicis sestertium vicies voluisse

luisse perdere? nam quid emebat: cum te emebat? vt ad se transires? quam partem causæ tibi daremus? an vt enunciares cõsilia Lælij? qui testes ab eo prodirent? quid? nos non videbamus habitare vnà? quis hoc nescit? tabulas in Lælij potestate fuisse non dubium est. an ne vehementer, ne copiosè accusares? nunc facis suspicionem. ita enim dixisti: vt nescio quid abs te impetratum esse videatur. At enim Andron Sextilio grauis iniuria facta est, & non ferenda: quod cum esset eius vxor Valeria intestata mortua: sic egit eam rẽ Flaccus, quasi ad ipsum hæreditas pertineret. In quo quid reprehendas scire cupio quod falsum intenderit? quî doces? ingenua inquit fuit, Operitum iuris hominem. quid? ab ingenuis mulieribus hæreditates lege non veniunt? in manum inquit conuenerat nunc audio: sed quæro vtrum vsu an coëmptione? vsu non potuit. nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum authoritate diminui. coëmptione? omnibus ergò authoribus: in quibus certè Flaccum fuisse non dices. relinquitur illud. quod vociferari non desistit: non debuisse, cum Prætor esset, suum negocium agere: aut mentionem facere hæreditatis. Maximas audio tibi L. Luculle, qui de L. Flacco sententiam laturus es: pro tua eximia liberalitate maximisq; beneficijs in tuos, venisse hæreditates, cum Asiam prouinciam consulari imperio obtineres. si quis eas suas esse dixisset, concessisses? Tu T. Vettisi qua tibi in Africa venerit hæreditas, vsu amittes? an tuum nulla auaricia salua dignitate retinebis? At istius hæreditatis iam Globulo Prætore Flacci nomine petita possessio est: non igitur impressio, non occasio, non vis, non tempus, non imperium, non secures ad iniuriam faciendam, Flac-

ci animum impulerunt. Itaq; eodem etiam M. Lurco vir optimus meus familiaris, conuertit aculeum testimony sui. negauit à priuato pecuniã in prouincia Prætorem petere oportere. cur tandem Marce Lurco non oportet? eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, nunquam ostendes, nisi docueris non licere. an legationes sumere liberas exigendi causa, sicut & tu ipse nuper, & multi viri boni sæpe fecerunt, rectum est? quod ego non reprehendo: socios video queri. Prætorem si hæreditatem in prouincia non reliquerit: non solum reprehendendum, verum etiam condemnandum putas? doti inquit Valeria pecuniam omnem suam dixerat. nihil istorum explicari potest: nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. si fuit quæcunq; sine hoc authore est dicta dos, nulla est. Sed tamen Lurconem, quanquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo religioni suæ: tamen iratum Flacco esse vidistis. neque enim occultauit causam iracundiæ suæ, neque reticendam putauit. questus est libertum suum Flacco Prætore esse damnatum. O conditiones miseras administrandarum prouinciarum: in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: vbi seueritas periculosa est: liberalitas ingrata: sermo insidiosus: assentatio perniciosa: frons omnium familiaris: multorum animus iratus: iracundiæ occultæ: blandiciæ apertæ: venientes Prætores expectant: præsentibus inseruiunt: abeuntes deserunt. Sed omittamus querelas: ne nostrum consilium in omittendis prouincijs laudare videamur. Literas misit de villico P. Septimij hominis ornati: qui villicus cædem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuistis. in

Lurconis

Lurconis libertum iudicium ex edicto dedit. hostis est Lurco. quid igitur? hominum gratiosorum splendidorumq; libertis fuit Asia tradenda? an simultates nescio quas cum libertis vestris Flaccus exercuit? an vobis in vestris vestrorumq; causis seueritas odio est? eandem laudatis cum de nobis iudicatis? At iste Androspoliatus bonis vt dicitis, ad dicendum testimoniũ non venit. quid si veniat? decisionis arbiter C. Cælius fuit: quo splendore vir, qua fide, qua religione? obsignator C. Sextilius Lurconis sororis filius, homo & prudens, & constans, & grauis. si vis erat, si fraus, si metus, si circumscriptio: quis pactionem fieri? quis adesse istos coegit? quid si ista omnis pecunia huic adolescentulo L. Flacco reddita est? si petita, si redacta, si per hunc Antiochum paternum huius adolescentis libertum, seni illi Flacco probatissimum? videmur ne non solum auaritiæ crimen effugere: sed etiam liberalitatis laudem assequi singularẽ? communẽ enim hæreditatem, quæ æqualiter ad vtrunq; lege venisset: concessit adolescenti propinquo suo: nihil ipse attigit de Valerianis bonis. quod statuerat facere, adductus huius pudore, & non amplissimis patrimonijs copijs: id non solũ fecit: sed etiam prolixè, cumulateq; fecit. Ex quo intelligi debet: eum contra leges pecunias non cœpisse: qui tam fuerit in hæreditate concendenda liberalis. At Falcidianum crimen ingens. talenta quinquaginta se Flacco dicit dedisse. audiamus hominem. non adest. quomodo igitur dicit? epistolam mater eius profert, & alteram soror. scriptum ad se dicunt esse ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. ergo is, qui si aram tenens iuraret, crederet nemo: per epistolam, quod volet, iniuratus probabit? at qui vir? quàm non amicus suis ciuibus

qui patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere potuit: Græcorum conuiuijs maluit dissipare. quid attinuit relinquere hanc vrbem? libertate tam præclara carere? adire periculum nauigandi? quasi bona comesse Romæ non liceret. nunc denique matercula suæ festiuus filius, aniculæ minimè suspicioſæ, purgat se per epistolam: vt eam pecuniam, quàm confecerat, non consumpsisse, sed Flacco dedisse videatur. At fructus isti Trallianorũ Globulo Pr. venierant. Falcidius emerat HS nõgentis millibus. si dat tantam pecuniã Flacco: nempe iccircò dat: vtrata sit emptio. emit igitur aliquid: quod certè multò pluris esset. dat de lucro: nihil detrahit de otuo. minus igitur lucri facit. cur Albanum venire iubet? cur matri præterea blanditur? cur epistolis, & sororis & matris imbecillitatem aucupatur? postremò cur non audimus ipsum? retinetur credo in prouincia. mater negat. venisset inquit, si esset denunciatum. tu certè coëgisses: si vllum firmamentum in illo teste posuisses. sed hominem ab negocio abducere noluisti. magnũ erat ei certamen propositum: magna cum Græcis contentio: qui tamen vt opinor iacent victi: nam iste vnus totam Asiam magnitudine poculorum, bibendoq; superauit. Sed tamen quis tibi Læli de epistolis istis indicauit? mulieres negant se scire. quis? is ipse? igitur ille tibi se ad matrem & sororem scripsisse narrauit: an etiam scripsit rogatu tuo? at verò M. Ebutiũ constantissimum & prudentissimum hominem Falcidy affinem nihil interrogas? nihil eius generum pari fide præduũ C. Manlium? qui profectò de tanta pecunia si esset data, nihil audisse non posset. his tu igitur epistolis Deciane recitatis, his mulierculis productis, illo absente authore laudato,

dato tantum, te crimen probaturum putasti? præsertim cum ipse non deducendo Falcidiũ, iudicium feceris, plus falsam epistolam habituram ponderis, quàm ipsius præsentis fictam vocem & simulatum dolorem. Sed quid ego de epistolis Falcidy, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani sensu tam diu disputo? postremò de salute omnium nostrum, de fortunis ciuitatis, de summa Reipub. taceo? quam vos vniuersam in hoc iudicio vestris humeris, vestris inquam humeris Iudices sustinetis. Videtis in quo motu temporum, quanta in conuersione rerum, ac perturbatione versemur. Cum alia multa certi homines, tum hoc vel maximè moliuntur: vt vestra quoque mentes, vestra iudicia, vestræ sententiæ optimo cuiq; infestissimæ, atq; inimicissimæ reperiantur. grauia iudicia pro Reip. dignitate. multa de coniuratorum scelere fecistis. non putant satis conuersam esse Remp. nisi in eandem impiorum pœnam optimè meritos ciues detruserint. Oppressus est C. Antonius. esto. habuit quandam ille infamiam suam: neque tamen ille ipse, pro meo iure dico: vobis iudicibus damnatus esset: cuius damnatione sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum, ac domesticorum hostium conuentu epulisq; celebratum est. iusta Catilinæ facta sunt. nunc à Flacco Lentuli pœnæ per vos expetuntur. quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugumq; vestrarum trucidatos, incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem: quàm si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos omnes odium saeturauerit? litemus igitur Lentulo: parentemus Cethego: reuocemus eiectos: nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita placet, sufferamus. nos

iam ab indicibus nominamur: in nos crimina fingun-
tur: nobis pericula comparantur. quæ si per alios age-
rent: si denique per populi nomen ciuium imperitorum
multitudinem concitassent: æquiore animo ferre posse-
mus. illud verò ferri non potest: quod per senatores, &
per equites Ro. qui hæc omnia pro salute omnium com-
muni consilio una mente atq; virtute gesserunt: harum
rerum authores, duces, principes spoliari omnibus for-
tunis, ac de ciuitate expelli posse arbitrantur. Etenim popu
li Ro. perspiciunt iam mentem & voluntatem. omnibus
rebus quibus potest populus Ro. significat, quid sentiat:
nulla varietas est inter homines opinionis: nulla volun-
tatis: nulla sermonis. Quare si quis illuc me vocat, ve-
nio. Populum Ro. disceptatorem non modo non recuso,
sed etiam deposco. vis absit: ferrum ac lapides remoueantur: operæ faciessant: seruitia sileant: nemo erit tam iniu-
stus, qui me audierit, si modò liber, & ciuis: quin po-
tius de præmijs meis quàm de pœna cogitandum putet.
O' dij immortales quid hoc miserius? nos qui P. Len-
tulo ferrum & flammam de manibus extorsimus: im-
peritæ multitudinis iudicio confidimus: lectissimorum
ciuium & amplissimorũ sententias pertimescimus. M.
Aquilium patres nostri multis auaritiæ criminbus, te-
stimonijsq; conuictum, qui cum fugitiuis fortiter bel-
lum gesserat, iudicio liberauerunt. Consul ego nuper de-
fendi C. Pisonem, qui quia consul fortis constansq; fue-
rat: incolumis est Reip. conseruatus. defendi item consul
L. Murenam consulem designatum. nemo illorum iu-
dicum clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de
ambitu putauit: cum bellum iam gerente Catilina o-
mnes me authore duos consules Calend. Ianuarys scirent
esse

esse oportere. innocens & bonus vir, & omnibus rebus or
natus, bis hoc anno me defendente absolutus est Q.
Thermus. quanta Reip. causa, lætitia populi Ro. quan-
ta gratulatio consecuta est? Semper graues, & sapientes
Iudices in rebus iudicandis, quid vtilitas ciuitatis, quid
communis salus, quid Reip. tempora poscerent, cogitaue-
runt. cum tabella vobis dabitur Iudices: non de Flacco
dabitur solum: dabitur de ducibus, authoribusq; conser-
uãdæ ciuitatis: dabitur de omnibus bonis ciuibus: dabi-
tur de vobismetipsis: dabitur de liberis vestris: de vita,
de patria, de salute cõmuni. nõ iudicatis in hac causa de
exteris nationibus: non de socijs: de vobis, ac vestra Rep.
iudicatis. Quod si prouinciarũ vos ratio magis mouet,
quàm vestra: ego verò non modo non recuso: sed etiã po-
stulo, vt prouinciarum authoritate moueamini. Etenim
opponemus Asiæ prouinciæ: primum magnam partem
eiusdem prouinciæ: quæ pro huius periculis legatos lau-
datoresq; misit. deinde prouinciam Galliam, prouinciã
Ciliciã, prouinciam Hispaniã, prouinciã Cretam. Græ-
cis autem, Lydis, & Phrygibus, & Mysis, obsistent Massi
lienses, Rhodij, Lacedæmonij, Athenienses, cuncta Acha
ia, Thessalia, Bœotia, Septimio & Celio testibus, P. Ser-
uilius, & M. Metellus, huius pudoris integritatisq; te-
stes repugnabunt. Asiaticæ iurisdictioni vrbana iuris-
dictio respondebit. annui temporis criminationem omnis
ætas L. Flacci & perpetua vita defendet. & si prodesse
L. Flacco Iud. debet: quod se Tribunum mil. quod Quæ-
storem, quod legatum imperatoribus clarissimis, exerci-
tibus ornatissimis, prouincys grauissimis dignum suis
maioribus præstitit: prosit quod hic vobis videntibus,
in periculis communibus omnium vestrum, sua pericu-
la

la cum meis coniunxit: prosint honestissimorum municipiorum, coloniarumq; laudationes: prosit etiam Senatus populiq; Ro. præclara & vera laudatio. O' nox illa quæ penè æternas huic vrbi tenebras attulisti: cum Galli ad bellum, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrum & flammam vocabantur: cum ego te Flacce, cœlum noctemq; contestans, flens flentem obtestabar: cum tuæ fidei optimæ & spectatissimæ salutem vrbis, & ciuium commendabam. Tu, tu Flacce Prætor communis exitij nuncios cœpisti: tu inclusam in literis Reip. pestem deprehendisti: tu periculorum iudicia, tu salutis auxilia, ad me & ad senatum attulisti. quæ tibi tum gratiæ sunt à me actæ? quæ ab senatu? quæ à bonis omnibus? quis tibi, quis Cn. Pontinio fortissimo viro, quenquam bonum putaret vnquam non salutem, verum honorem vllum denegaturum? O' nonæ illæ Decembres, quæ me consule fuistis: quem ego diem vere natalem huius vrbis, aut certè salutarem appellare possum. O' nox illa: quam iste est dies consecutus, fausta huic vrbi, miserum me, metuo ne funesta nobis. qui tum animus L. Flacci, nihil dicam enim de me, qui amor in patriam? quæ virtus? quæ grauitas extitit? sed quid ea commemoro: quæ tum, cum agebantur, vno consensu omnium, vna voce populi Romani, vno orbis terræ testimonio, in cœlum laudibus efferebantur? nunc vereor ne non modo non prosint, verum etiam aliquid obsint. etenim multo acriorem improborum interdum memoriam esse sentio, quàm bonorum. Ego te, si quid grauius acciderit: ego te inquam Flacce perdidero. mea dextra illa, mea fides, mea promissa, cum te, si Remp. conseruaremus: omnium bonorum præsidio, quoad viueres, non modo munitum,

sed

sed etiam ornatũ fore pollicebar. putaui: speraui: etiam si honos noster vobis vilior fuisset: salutem certè charam futuram. At L. Flaccum quidem Iudices si (quod ij immortales omen auertant) grauis iniuria afflixerit: nunquam tamen prospexisse vestræ saluti: consuluisse vobis, liberis, coniugibus, fortunis vestris, pœnitebit: semper ita sentiet: talem se animum & generis dignitati, & pietati suæ, & patriæ debuisse. vos pœniteat tali ciui non pepercisse, per deos immortales Iud. prouidete. quotus enim quisq; est? qui hanc in Rep. sectam sequatur? qui vobis, qui vestri similibus placere cupiat? qui optimi atq; amplissimi cuiusq; hominis atq; ordinis authoritatem magni putet? illam viam sibi vident expeditiorẽ ad honores, & ad omnia quæ concupierunt. Sed cætera sint eorum: sibi habeant potentiam: sibi honores: sibi cæterorum commodorum summas facultates. liceat ys, qui hæc salua esse voluerunt, ipsis esse saluis. nolite Iud. existimare eos, quibus integrum est: qui nondum ad honores accesserunt: non expectare huius exitum iudicij. si L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in Remp. studium calamitati fuerit: quem posthac tam amentẽ fore putatis: qui non illam viam vitæ, quã antè præcipitem, & lubricam esse ducebat: huic planæ & stabili præponendum esse arbitretur? quod si talium ciuium vos Iud. tædet, ostendite. mutabunt sententiam, qui potuerint: cõstituent quid agãt: quibus integrũ est. nos qui iam progressi sumus, hunc exitum nostræ temeritatis feremus. sin hoc animo quamplurimos esse vultis: declarabitis hoc iudicio, quid sentiatis. huic, huic misero puero, vestro, ac liberorum vestrorum supplici Iudices, hoc iudicio viuendi præcepta dabitis. cui si patrem conseruatis, qua-

lis

lis ipse dicebat esse ciuis, præscribetis, si eripitis: ostendetis bonæ rationi, & constanti, & graui nullum à vobis fructum esse propositum. qui vos quoniam est id ætatis, vt sensum iam percipere possit ex mœrore patrio, auxilium nondum patri ferre possit: orat ne suum luctum patris lachrymis, patris mœrorem suo fletu augeatis. qui etiam me intuetur: me vultu appellat: meam quodammodo flens fidem implorat: ac repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriæ spoponderim, dignitatem: miseremini familiæ Iudices: miseremini fortissimi patris: miseremini filij: nomen clarissimum, & fortissimum, vel generis, vel vetustatis, vel hominis causa, Reip. reseruate.

PRO

ORATIO XXV.

MAximè vellem Iudices, vt P. Sylla & antea dignitatis suæ splendorem obtinere, & post calamitatem acceptam modestiæ fructum aliquem potuisset percipere. sed quoniam ita tulit casus infestus: vt amplissimi in honore, tum communi ambitionis inuidia, tum singulari Autronij odio euerteretur: & in his pristinæ fortunæ reliquijs miseris, & afflictis, tamen haberet quosdam, quorum animos, ne supplicio quidem suo saciare posset: quanquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio: tamen in cæteris malis facilè patiar oblatum mihi tempus: in quo boni viri lenitatem meam, misericordiamq; notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam agnoscerent: improbi ac perditi ciues edomiti atq; victi, præcipitante Rep. vehementem me fuisse atq; fortem, conseruata mitem, ac misericordem faterentur. Et quoniam L. Torquatus meus familiaris, ac necessarius Iudices existimauit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemq; violasset: aliquid se de authoritate meæ defensionis posse detrahere: cum huius periculi propulsatione coniungam defensionem officij mei. quo quidem genere non vterer orationis Iudices hoc tempore, si mea solum interesset. multis enim mihi locis & data facultas est, & sæpe dabitur, de mea laude dicendi. sed vt ille Iudices quantũ de mea authoritate diripuisset, tantum se de huius præsidys diminuturũ speranit: sic hoc ego sentio: si mei facti rationem vobis, constantiamq; huius officij ac defensionis probauero:

bauero: causam quoq; me P. Syllæ probaturum. Ac primum abs te illud L. Torquate quæro: cur me à cæteris clarissimis viris, ac principibus ciuitatis in hoc officio, atq; in defensionis iure secernas? quid enim est? quamobrem abs te Q. Hortensi factum clarissimi viri, atq; ornatissimi ciuis nō reprehendatur, reprehendatur meum? nam si initum est consilium à P. Sylla inflammandæ ciuitatis, huius extinguendi imperij, delendæ vrbis: mihi maiorem hæc res dolorem, quàm Q. Hortensio, mihi maius odium afferre debet? meum deniq; grauius esse iudicium: qui adiuuandus in his causis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deserendus esse videatur? ita inquit. tu enim inuestigasti, tu patefecisti coniurationē. quod cum dicit: non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse: vt id omnes viderent, quod antea fuisset occultū. quare ista coniuratio si patefacta per me est: tam patet Hortensio, quàm mihi. quem cum videas honore hoc, authoritate, virtute, consilio præditum nō dubitasse, quin innocentem P. Syllam defenderet: quæro cur, qui aditus ad causam Hortensio patuerit: mihi interclusus esse debuerit? quæro illud etiam: si me qui defendo, reprehendendum putas esse: quid tandem existimes de his summis viris, & clarissimis ciuibus? quorum studio & dignitate celebrari hoc iudicium & ornari, causam defendi huius innocentis vides? non enim vna est ratio defensionis ea, quæ posita est in oratione. omnes, qui adsunt, qui laborant, qui saluum volunt, pro sua parte atq; authoritate defendunt. an verò in quibus subsellijs hæc ornamenta ac lumina Reipublicæ viderem: in his me apparere nollem? quorum ego opera illum in locum, atq; in hanc celsissimam sedem dignitatis atq; honoris

multis

multis meis ac magnis laboribus & periculis ascendissem? Atq; vt intelligas Torquate quem accuses. si te id offendit: quod ego qui hoc genere quæstionis defenderim neminem: non desim P. Syllæ, recordare de cæteris: quos adesse huic vides. intelliges & de hoc, & de cæteris iudicium meum, & horū par atq; vnum fuisse. quis nostrum adfuit Varguntео? nemo. ne hic quidem Q. Hortensius: præsertim qui illum solus antea de ambitu defendisset. non enim iam vllo officio cum illo coniunctum arbitrabatur: cum ille tanto scelere commisso, omnium officiorum societatem diremisset. quis nostrum Seruium Syllam? quis P. Lentulum? quis M. Leccam? quis Cornelium defendendū putauit: quis his horū adfuit? nemo. quid ita? quia cæteris in causis etiam nocentes, viri boni, si necessarij sunt, non defendendos esse non putant. in hoc crimine non solum leuitatis est culpa, verum etiam quædam contagio sceleris: si defendas eum: quem obstrictum esse patriæ suspicere. quid Autronio? nonne sodales, non Collegæ sui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat: non hi omnes, qui sunt in Republica, principes defuerunt? immò etiam testimonio plærique læserunt: statuerunt tantum illud esse maleficium: quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrariq; deberet. Quamobrem quid est quod mirere: sic cum ijsdem me in hac causa vides adesse: cum quibus in cæteris intelligis abfuisse? nisi verò me vnum vis ferum præter cæteros, me asperum, me inhumanum existimari: me singulari immanitate, & crudelitate præditum. hanc mihi tu si propter res meas gestas imponis, in omni vita mea personam Torquate, vehementer erras. me natura misericordem, patria seuerum, crudelem nec

patria,

patria, nec natura esse voluit. denique istam ipsam personam vehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & Respublica imposuit: iam voluntas & natura ipsa detraxit. illa enim ad breue tempus seueritatem postulauit? hæc in omni vita misericordiam lenitatemq; desiderat. Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me vnum abstrahas. simplex officium, atq; vna est omnium bonorum causa. nihil erit quod admirere posthac: si in ea parte, in qua hos animaduerteris, me videbis. nulla est enim in Repub. causa mea propria. tempus agendi fuit magis mihi proprium, quàm ceteris: doloris verò, & timoris, & periculi fuit illa causa communis. neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem: si esse alij comites noluissent. quare necesse est, quod mihi Consuli præcipuum fuit præter alios: id iam priuato cum ceteris esse commune. neq; ego hoc partiendæ inuidiæ, sed communicandæ laudis causa loquor. oneris mei partem nemini imperito: gloriæ bonis omnibus. In Autronium testimonium dixisti, inquit: Syllam defendis. Hoc totum eiusmodi est Iudices: vt si ego sim inconstans ac leuis: nec testimonio fidem tribui conuenerit, nec defensioni authoritatem. sin est in me ratio Reipublicæ, religio priuati officij, studium retinendæ voluntatis bonorum: nihil minus accusator debet dicere: quàm à me defendi Syllam: testimonio læsum esse Autronium. videor enim non solum studium ad defendendas causas, verum opinionis aliquid, & authoritatis afferre. qua & moderatè ego vtar Iudices: & omnino non vterer: si ille me non coëgisset. Duæ coniurationes absti Torquate constituuntur: vna quæ Lepido & L. Tullio Conss. patre tuo Conss. designato facta esse dicitur: altera

quæ me

quæ me consule. harum in vtraque Syllam dicis fuisse: patris tui fortissimi viri, atq; optimi consulis, scis me consilijs non interfuisse: scis me, cum mihi summus tecum vsus esset: tamen illorum expertem temporum, & sermonum fuisse. credo quod nondum penitus in Rep. versabar: quod nondum ad propositum mihi finem honoris peruenera: quod mea me ambitio, & forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. quis ergò interat vestris consilijs? omnes hi, quos vides huic adesse, & inprimis Q. Hortensius. qui cũ propter honorem, ac dignitatem, atq; animum eximium in Rempublicam, tum propter summã familiaritatem, summumq; amorẽ in patrem tuum, tum cõmunibus, tum præcipuis patris tui periculis commouebatur. Ergo istius coniurationis crimẽ defensum ab eo est: qui interfuit: qui cognouit: qui particeps, & consilij vestri fuit, & timoris, cuius in hoc crimine propulsando cum esset copiosissima, atque ornatissima oratio: tum non minus inerat authoritatis in ea, quàm facultatis. Illius igitur coniurationis quæ facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur: ego testis esse non potui. non modo enim nihil comperi: sed vix ad aures meas istius suspicionis fama peruenit. qui vobiscum in consilio fuerunt: qui vobiscum illa cognorunt: quibus ipsis periculum tũ conflari putabatur: qui Antronio non adfuerunt: qui in illum testimonia grauia dixerunt: hunc defendunt: huic adsunt: in huius periculo declarant, se non crimine coniurationis, ne adessent cæteris, sed hominum maleficio deterritos esse. Mei consulatus autem tempus & crimen maximè coniurationis à me defendetur. Atq; inter nos partitio non est fortuito Iudices, nec temerè facta: sed cum videremus eorum

criminum nos patronos adhiberi, quorum teſtes eſſe poſſemus: vterque noſtrum id ſibi ſuſcipiendum putauit: de quo aliquid ſcire ipſe, atq; exiſtimare potuiſſet. Et quoniam de criminibus ſuperioris coniurationis Hortenſiũ diligenter audiſtis: de hac coniuratione quæ me conſule facta eſt, hoc primum attendite. Multã cum eſſem conſul de ſummis Reip. periculis audiui: multa quæſiui: multa cognoui: nullus vnquam de Sylla nuncius ad me, nullum indicium, nullæ literæ peruenerunt, nulla ſuſpicio. Multum hæc vox fortaſſe deberet valere eius hominis: qui conſul inſidias Reip. conſilio inueſtigaſſet: veritate aperuiſſet: magnitudine animi vindicaſſet: cum ipſe nihil audiſſe de P. Sylla, nihil ſuſpicatum eſſe diceret. ſed ego nondum vtor hac voce ad hunc defendendum: ad purgandum me potius vtor: vt mirari Torquatus deſinat: me, qui Autronio abfuerim, Syllam defendere. quæ enim Autronij fuit cauſa? quæ Syllæ eſt? ille ambitus iudicium tollere, ac diſturbare primum conflato voluit gladiatorum, ac fugitiuorum tumultu: deinde id, quod vidimus omnes, lapidatione, atq; concurſu. Sylla, ſi ſibi ſuus pudor ac dignitas non prodeſſet, nullum auxilium requiſiuit. ille damnatus ita ſe gerebat non ſolum conſilijs, & ſermonibus, verum etiam aſpectu, atque vultu: vt inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriæ videretur. hic ſeita fractum illa calamitate, atque afflictũ putauit: vt nihil ſibi ex priſtina dignitate ſupereſſe arbitraretur: niſi quod modeſtia retinuiſſet. hac verò in coniuratione, quid tam coniunctum quàm ille cum Catilina? cum Lentulo? quæ tanta ſocietas vllis inter ſe rerum optimarũ? quanta ei cum illis ſceleris, libidinis, audaciæ? quod

flagi-

flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod ſine eodem illo Catilina facinus admiſit? cum interim Sylla cum eiſdem ipſis non modo noctem ſolitudinemq; non quæreret: ſed ne mediocri quidem ſermone, & congreſſu coniungeretur. illum Allobroges maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum literæ, ac nuncij, coarguerunt. Syllam interea nemo inſimulauit: nemo nominauit: poſtremò eiecto, ſiue emiſſo iam ex vrbe Catilina, ille arma miſit, cornua, tubas, falces, ſigna, legiones. ille reluctus intus, expectatus foris, Lentuli pœna compreſſus conuertit ſe aliquando ad timorẽ. nunquam ad ſanitatem. hic contra ita quieuit: vt eo tempore omni Neapoli fuerit: vbi neq; homines fuiſſe putantur huius affines ſuſpicionis: & locus eſt ipſe non tam ad inflammãdos calamitoſorum animos, quam ad conſolandos accommodatus propter hanc igitur tantã diſſimilitudinem hominum, atq; cauſarum, diſſimilem me in vtroq; præbui. veniebat enim ad me, & ſæpe veniebat Autronius multis cum lachrymis ſupplex: vt ſe defenderem, & ſe meum condiſcipulum in puericia, familiarem in adoleſcentia, collegam in Quæſtura commemorabat fuiſſe: multa mea in ſe, nonnulla etiam ſua in me proferebat officia. quibus ego rebus Iudices, ita flectebar animo, atq; frangebar: vt etiam ex memoria, quas mihi ipſe fecerat inſidias, deponerem: vt iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu vxoris meæ ac liberorum meorum trucidaret, obliuiſcerer. quæſi de vno me cogitaſſet, qua mollicia ſum animi, ac lenitate: nunquã mehercule illius lachrymis ac precibus reſtitiſſem. ſed cũ mihi patriæ, cũ veſtrorum periculo

lorum, cum huius vrbis, cum illorum delubrorum, atq; templorum, cum puerorũ infantium, cum matronarũ, ac virginum veniebat in mentem: & cum illæ infestæ, ac funestæ faces, vniuersumq; totius vrbis incendium, cum tela, cum cædes, cum ciuium cruor, cum cinis patriæ versari ante oculos, atque animum memoria refricare cœperat, tum deniq; ei resistebam: neque solum illi hosti, ac parricidæ, sed his etiam propinquis illius Marcellis, patri & filio: quorum alter apud me parentis grauitatem, alter filij suauitatem obtinebat: neque me arbitrabar sine summo scelere posse quod maleficium in alijs vendicassem: idem in illorum socio, cum scirem, defendere. Atque idem ego neq; P. Syllam supplicem ferre, neque eosdem Marcellos, neque huius M. Messalæ hominis necessarij preces sustinere potui: neq; enim est causa aduersata naturæ: nec homo, nec res misericordiæ meæ repugnauit. nusquam nomen, nusquam vestigium fuerat: nullum crimen, nullũ indicium. suscepi causam Torquate: suscepi, & feci libenter: vt me, quem boni constantem semper, vt spero, existimassent: eundem ne improbi quidem crudelẽ dicerent. Hic ait se ille Iudices regnum meum ferre non posse. quod tandem Torquate regnum? consulatus credo mei: in quo ego imperaui nihil: sed contra patribus conscriptis, & bonis omnibus parui. quo in magistratu non institutum est à me Iud. regnum, sed non permissum. quem tum in tanto imperio, tanta potestate non dicis fuisse regem? nunc priuatum regnare dicis? quo tandem nomine? quod, in quos testimonia dixisti, inquit, damnati sunt: quem defendis, sperat se absolutum iri. Hic tibi ego de testimonijs meis hoc rẽspondeo. si falsum dixerim: te in eos dixisse. sin verum non

esse

esse hoc regnare: cum verum iuratos dicas probare. de huius spe tantum dico, nullas à me opes P. Syllam, nullam potentiam, nihil deniq; præter fidem defensionis expectare. nisi tu, inquit, causam recipisses, nunquam mihi restitisset: sed indicta causa profugisset. si iam hoc tibi concedam: Q. Hortensium tanta grauitate hominem, si hos tales viros non suo stare iudicio, sed meo: si hoc tibi dem, quod credi non potest, nisi ego huic adessem, hos adfuturos non fuisse: vter tandem rex est? is ne, cui innocentes homines non resistunt? an is, qui calamitosos non deserit? At hîc etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti: cum Tarquinium & Numam & me tertium peregrinum regem esse dixisti. mitto iam de rege quærere. illud quæro, peregrinũ cur me esse dixeris? iam sit ita sum: non tam est admirandum regem esse me: quia vt tu vis etiam peregrini reges Romæ fuerunt: quàm cõsulem Romæ fuisse peregrinum. hoc dico inquit, te esse ex municipio. fateor, & addo etiam ex eo municipio, vnde iterũ iam salus huic vrbi imperioq; missa est. sed scire ex te peruelim: quamobrem qui ex municipijs veniant, peregrini tibi esse videantur? nemo enim istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos: nemo T. Coruncano: nemo Curioni: nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit vnquam. Equidẽ vehementer lætor, eum esse me: in quẽ tu, cum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris: quæ non ad maximam partem ciuiũ conueniret. sed tamen te à me pro magnis causis nostræ necessitudinis, monendum esse etiam atq; etiam puto. non possunt omnes esse patricy: si verum quæris, ne curant quidem. nec se æquales tui propter istam causam abs te anteiri putant. at si tibi nos

peregrini videmur: quorum iam & nomen & honos inueterauit & huic vrbi, & hominum famæ ac sermonibus: quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse erit: qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum cauetu quenquam peregrinum appelles. ne peregrinorum suffragijs obruare. qui si attulerint neruos, & industriam: mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem: & te ex somno sæpè excitabunt: nec patientur se abs te nisi virtute vincentur, honore superari. At si Iudices cæteris patricijs me & vos peregrinos videri oporteret: à Torquato tamen hoc vicium sileretur. est enim à materno genere municipalis honestissimi ac nobilissimi generis, sed tamen Asculani. aut igitur doceat Picentes solos non esse peregrinos: aut gaudeat suo generi me meum non anteponere. quare neque me peregrinum posthac dixeris, ne grauius refutere: neque regem, ne derideare. nisi forte regium tibi videtur, ita viuere: vt non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem vlli seruias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere: in senatu sentire libere: populi vtilitati magis consulere, quam voluntati: nemini cedere: multis obsistere. si hoc putas esse regium: me regem confiteor esse. Sin te potentia mea, si dominatio, si denig; aliquod dictũ arrogans, aut superbum mouet: quin tu id potius profers, quàm verbi inuidiam contumeliamq; maledicti? Ego tantis à me beneficijs in Repub. positis, si nullũ aliud mihi præmium à senatu populoq; Ro. nisi honestum ocium postularem: quis non concederet? sibi haberent honores: sibi imperia: sibi prouincias: sibi triumphos: sibi alia præclara

laudis

laudis insignia: mihi liceret eius vrbis, quam conseruassem, conspectu, tranquillo animo, & quieto frui? quid si hoc non postulo? si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operæ, si vigiliæ deseruiunt amicis: præstò sunt omnibus: si neque amici in foro requirunt studium meum: neq; Respub. in curia: si me non modo non rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque ætatis excusatio vendicat à labore: si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus: si mihi ne ad ea quidem, quæ pro salute omnium gessi, recordanda, & cogitanda quicquã relinquitur temporis, tamen hoc regnum appellabitur? cuius vicarius qui velit esse, inueniri nemo potest: longè abest regni suspicio. si quæris qui sint Romæ regnum occupare conari: vt ne replices annalium memoriam: ex domesticis imaginibus inuenies. res enim gestæ credo meæ, me nimis extulerunt? ac mihi nescio quos spiritus attulerunt? quibus de rebus tam claris, tam immortalibus Iudices, hoc possum dicere: me qui è summis eripuerim periculis vrbem hanc, & vitam omnium ciuium: satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundabit. Etenim in qua ciuitate res tantas gesserim, memini, & in qua vrbe intelligo. plenum forum est eorum hominum, quos ego à vestris ceruicibus depuli Iudices: à meis non remoui. nisi verò paucos fuisse arbitramini: qui conari, aut sperare possent, se tantum imperium posse delere. horum ego faces eripere de manibus & gladios extorquere potui, sicut feci. voluntates verò conscelleratas, ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. quare non sum nescius, quanto periculo viuam in tanta multitudine improborum: cum mihi vni cum o-

mnibus improbis æternum videam bellũ esse susceptum. Quod si illis meis præsidijs foriè inuides : & si ea tibi regia videntur: quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea coniungunt : consolare te: quod omnium mentes improborũ mihi vni maximè sunt infensæ, & aduersæ, qui me non solum iccircò oderunt: quod eorum conatus impios & furorem conscelleratum repressi: sed eò etiã magis: quod nihil iam se simile me viuo conari posse arbitrantur. At verò quid ego miror, si quid ab improbis de me improbè dicitur? cum L. Torquatus, primum ipse his fundamentis adolescentiæ iactis , in spe proposita amplissimæ dignitatis, deinde L. Torquati fortissimi Consulis , constantissimi Senatoris , semper optimi ciuis filius , interdum efferatur immoderatione verborum ? qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset; tantummodo vt vos, qui ea probatis, exaudire posse tis : de supplicio P. Lentuli de carcere, magna, & queribunda voce dicebat , in quo primum illud erat absurdum: quod, cum ea quæ leuiter dixerat, vobis probare volebat: eos autem qui circum iudicium stabant, audire nolebat: non intelligebat ea, quæ clarè diceret : ita illos auditores, quibus se venditabat: vt vos quoq; audiretis, qui id non probabatis. deinde alterũ iam oratoris vitium: non videre quid quæque causa postulet. nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum cõiurationis accusat: quàm videri coniuratorum pœnam, mortem q; lugere. quod cũ is tribunus pl. facit : qui vnus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus: nec mirum est. difficilè est enim tacere cum doleas. te, si quid eiusmodi facis: non modo talem adolescentem, sed in ea causa,

causa, in qua te vindicem coniurationis velis esse, vehementer miror. sed reprehendo tamẽ illud maximè: quod isto ingenio & prudentia præditus, causam Reipub. non tenes : qui arbitrere plebi Romanæ res eas non probari: quas me consule omnes boni pro salute communi gesserunt. ecquem tu horum , qui adsunt : quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas : aut tam sceleratum statuis fuisse, vt hæc omnia perire voluerit ? aut tam miserum: vt & se perire cuperet , & nihil haberet quod saluum esse vellet ? An verò clarissimum virũ generis vestri ac nominis nemo reprehendit? qui filium suum vita priuauit : vt in cæteris firmaret imperium ? tu Remp. reprehendis: quæ domesticos hostes, ne ab his ipsa necaretur, necauit? Itaq; attende iam Torquate quàm ego non defugiam authoritatem cõsulatus mei. maxima voce vt omnes exaudire possint , dico , semperq; dicam. adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorũ ego frequentia magnopere lator. erigite mentes auresq; vestras, & me de inuidiosis rebus, vt ille putat, dicentem attendite. Ego consul , cum exercitus perditorum ciuium clandestino scelere conflatus crudelissimum & luctuosissimum exitiũ patriæ comparasset : cum ad occasum interitumq; Reip. Catilina in castris, in his autem templis, atq; tectis dux Lentulus esset constitutus : meis consilijs , meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu quinq; hominibus comprehensis atq; confossis , incensione vrbem, internitione ciues, vastitate Italiam, interitu Remp. liberaui. ego vitam omnium ciuium, statum orbis terræ, vrbem hanc deniq; sedem omnium nostrum , arcem regum ac nationũ exterarum, lumen gentium , domicilium imperij, quinq; hominum

amentium ac perditorum pœna redemi. An me existimasti hîc iniuratum in iudicio non esse dicturum? quæ iuratus in maxima concione dixissem? atq; etiam illud addam: ne qui fortè incipiat improbus subitò te amare Torquate: & aliquid sperare de te: atque vt idem omnes exaudiant, clarissima voce dicant. Harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute communi suscepi & gessi: L. ille Torquatus cum esset meus contubernalis in consulatu: cum signifer esset iuuentutis, atque in Prætura fuisset: author, adiutor particeps extitit: cum princeps cum author, cum signifer esset iuuentutis: parens: eius homo amantissimus patriæ, maximi animi, summi consilij singularis constantiæ cũ esset æger, tamen omnibus rebus illis interfuit: nunquam est à me digressus: studio, consilio, authoritate, vnus adiuuit plurimum: cum infirmitatem corporis animi virtute superaret. vides ne vt eripiam te ex improborum subita gratia? & reconciliem bonis omnibus? qui te & diligunt, & retinent retinebuntq; semper: nec si à me fortè desciueris: iccirco te à se, & à Republica, à tua dignitate deficere patientur. Sed iam redeo ad causam: atq; hoc vos Iudices testor. mihi de memetipso tam multa dicenti necessitas quædam imposita est ab illo. nam si Torquatus Syllam solum accusasset: ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem: nisi eum qui accusatus esset, defenderem. sed cum ille tota sua illa oratione in me esset inuectus: & cum initio, vt dixi, defensionem meam authoritate spoliare voluisset: etiamsi dolor meus respondere non cogeret: tamen ipsa causa hanc me orationem flagitasset. Allobrogibus nominatum Syllam esse dicis. quis negat Sylla indicium? sed vide quemadmodum nominatus

minatus sit. L. Cassium dixerunt commemorasse cum ceteris Autronium secum facere. quæro num Syllam dixerit Cassius. nunquam sese aiunt quæsisse de Cassio, quid Sylla sentiret. videte diligentiam Gallorum, qui vitam hominum, naturamq; non nossent: ac tantum audissent eos, pari calamitate qui fuerant, esse in eadem voluntate: quid tum: Cassius si respondisset idem sentire, & secum facere Syllam: tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. quid ita? quia qui barbaros homines ad bellum impelleret: non debebat minuere illorum suspicionem: & purgare eos, de quibus illi aliquid suspicarentur. non respondit tamen vnà facere Syllam. etenim esset absurdum, cum cæteros sua sponte nominasset: mentionem Syllæ facere nullam, nisi admonitum & interrogatum. nisi fortè verisimile est, P. Syllæ nomen in memoria Cassio non fuisse. si nobilitas hominis, si afflicta fortuna, si reliquiæ pristinæ, dignitatis non tam illustres fuissent: tamen Autronij commemoratio memoriam Syllæ retulisset. etiam vt arbitror, cum authoritates principum coniurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Cassius: & cum sciret exteras nationes maximè nobilitate moueri: non prius Autronium quàm Syllam nominasset. Iam verò illud probari minimè potest: Gallos Autronio nominato putasse propter calamitatis similitudinem sibi aliquid de Sylla esse quærendum: Cassio, si hic esset in eodem scelere: ne cum appellasset quidem Autronium, huius in mentem venire potuisse. sed tamen quid respondit de Sylla Cassius? se nescire certum. non purgat inquit, dixi antea, ne si argueret quidem tum denique, cum esset interrogatus, id mihi criminosum videretur. sed ego in iudi-

cijs,

cijs, & quæstionibus non hoc quærendum arbitror: num purgetur aliquis, sed num arguatur. etenim cum negat se scire Cassius: vtrum subleuat Syllam, an satis probat se nescire? subleuat apud Gallos. quid ita? ne indicent? quid? si periculum esse putasset, ne illi vnquam indicarent: de seipso confessus esset? nescuit. credo Iudices celatum esse Cassium de Sylla vno: nam de cæteris certè sciebat: & ea domi eius pleraq; conflata esse constabat. qui negare voluit esse in eodem numero Syllam: quo plus spei Gallis daret. dicere autem falsum non ausus est. nescire dixit. atqui hoc perspicuum est. cum is qui de omnibus scierit, de Sylla se scire negarit: eandem vim esse negationis huius: quàm si extra coniurationem hunc esse, se scire dixisset. nam cuius scientiam de omnibus constat fuisse: eius ignoratio de aliquo purgatio debet videri. Sed iam non quæro purget ne Cassius Syllam. illud mihi tantum satis est: contra Syllam nihil esse in indicio. Exclusus hac criminatione Torquatus rursus in me irruit: me accusat: aut me aliter, ac dictum est, in tabulas publicas retulisse. O' dij immortales, (vobis enim tribuam quæ vestra sunt: nec verò possum meo tantum ingenio dare: vt tot res, tantas, tam varias, tam repentinas in illa turbulentissima tempestate Reip. mea sponte despexerim.) vos profectò animum meum tum conseruandæ patriæ cupiditate incendistis: vos me ab omnibus cæteris cogitationibus ad vnam salutem Reip. cõtulistis: vos denique in tantis tenebris erroris, & inscientiæ clarissimum lumẽ prætulistis menti meæ. vidi ego hæc Iudices: nisi recenti memoria Senatus, authoritatẽ huius indicij monumentis publicis testatus essem: fore vt aliquando non Torquatus, neq; Torquati quispiam similis (nam id me

me multũ fefellit) sed vt aliquis patrimonio naufragus, inimicus ocij, bonorum hostis, aliter indicata hæc esse diceret: quo facilius vento aliquo in optimumqueq; excitato, posset in malis Reip. portum suorum malorũ aliquem inuenire. Itaq; introductis in senatũ indicibus, constitui senatores qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. at quos viros? non solũ summa virtute & fide, cuius generis in Senatu facultas maxima: sed etiam quos sciebam memoria, scientia, consuetudine, & celeritate scribendi facillimè quæ dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat Prætor: M. Messalam, qui tum Prætura petebat: P. Nigidium, Appium Claudium. Credo esse neminem, qui his omnibus, aut vere referendis, aut etiam scribendis putet ingenium defuisse. quid deinde? quid feci? cum scirem ita indicium in tabulas publicas relatum: vt ille tabulæ priuata tamen custodia more maiorum continerentur: non occultaui, non continui domi: sed describi ab omnibus statim, librarijs, diuidi passim, & peruulgari, atq; edi populo Ro. imperaui: diuisi toti Italiæ: diuisi in omnes prouincias: eius indicij, è quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui. itaq; dico locum in orbe terrarum esse nullum, quo in loco Reipub. nomen sit: quin eodem perscriptum hoc indicium peruenerit. in quo ego tam subito, & exiguo, & turbido tempore multa diuinitus, ita vt dixi, non mea sponte prouidi. primũ ne qui posset tantum aut de Reipub. aut de alicuius periculo meminisse, quantum vellet. deinde ne cui liceret vnquã reprehendere illud indicium, aut temere creditum criminari. postremò ne quid iam à me, ne quid ex meis commentarijs quæreretur: ne aut obliuio mea, aut memoria

videretur

videretur nimia: ne deniq; aut negligentia turpis aut diligentia crudelis putaretur. Sed tamen abs te Torquate quæro, cum indicatus tuus inimicus esset, & esset eius rei frequens senatus, & recens memoria testis: tibi meo familiari et contubernali prius etiam edituri fuerint indicium scribæ mei, si voluisses, quàm in codicem retulissent? cum videres aliter fieri, cur tacuisti? passus es? non mecum aut cum familiari meo questus es? aut quoniam tã facilè inueheris in amicos, iracundius aut vehementius expostulasti? tu cum tua vox nunquam sit audita: cum indicio lecto, descripto, diuulgato, quieueris, tacueris: repentè tantam rem enunciare audeas? & in eum locum te deducas? vt antequam me commutati indicij coargueris: te summæ negligentiæ tuo indicio conuictum esse fateare? mihi cuiusquam salus tanti fuisset, vt meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quenquam deniq; ego iuuarem, à quo & crudeles insidias in Remp. factas, & in me potissimum consulem putarem? quod si iam essem oblitus seueritatis & constantiæ meæ, tam ne amens eram, vt cum literæ posteritatis causa repertæ sint quæ subsidio obliuioni esse possent: ego recentem putarem memoriam cuncti senatus, commentario meo posse superari? Fero ego te Torquate iam dudum, fero: & nonnunquam animum incitatũ ad vlciscendam orationem tuam, reuoco ipse, & reflecto. permitto aliquid iracundiæ tuæ: do adolescentiæ: cedo amicitiæ: tribuo parenti. sed nisi tibi aliquem modum vitæ constitueris: coges oblitum me nostræ amicitiæ habere rationem meæ dignitatis. nemo vnquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non præuerterim. sed mihi hoc credas velim. non his libentissimè

tissimè soleo respondere: quos mihi videor facillimè posse superare. tu quoniam minimè ignoras consuetudinem dicendi meam: noli hac noua lenitate abuti mea: noli aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt: excussos arbitrari: noli id putare omnino à me esse omissum: si quid est tibi remissum, atque concessum. cum illæ valent apud me excusationes iniuriæ tuæ: iratus animus tuus, ætas, amicitia nostra: tum nondum statuo te virum satis habere: vt ego tecum luctuari, & congredi debeam. quod si esses vsu atq; ætate robustior: essem idem qui soleo, cum sum lacessitus. nunc tecum sic agam: tulisse vt potius iniuriam: quàm retulisse gratiam videar. neq; verò quid mihi irascare intelligere possum. si quod eum defendo quem tu accusas. cur tibi quoq; ipse non succenseo? qui accuses eum: quem ego defendo? inimicum inquis accusõ meum. & amicum ego defendo meum. non debes tamen quenquam in coniurationis quæstione defendere. immò nemo magis eũ, de quo nihil est suspicatus: quàm is, qui de alijs multa cogitauit. cur dixisti testimonium in alios? quia coactus. cur damnati sunt? quia creditum est. regnum est dicere in quem velis, ac defendere quem velis. immò seruitus est non dicere in quem velis: ac defendere quem velis. ac si considerare cœperis. vtrum magis mihi hoc necesse fuerit facere, an tibi: intelliges honestius te inimicitiarũ modum statuere potuisse, quã me humanitatis. an verò cum honos agebatur amplissimus familiæ vestræ, hoc est consulatus parentis tui: sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit pater tuus: cũ Syllam & defenderent, & laudarẽt? intelligebat hanc nobis à maioribus esse traditam disciplinam: vt nullius amicitia ad propulsanda pericula impediremur. & erat

huic

huic iudicio longè dissimilis illa contentio. tum afflicto P. Sylla consulatus vobis pariebatur, sicuti partus est: honoris erat certamen: ereptum repetere vos clamitabitis: vt victi in campo, in foro vinceretis. tum qui contra vos pro huius salute pugnabant, amicissimi vestri, quibus nõ irascebamini, consulatum vobis eripiebant: honori vestro repugnabant: & tamen id inuiolata vestra amicitia, integro officio, veteri exemplo atq; instituto optimi cuiusq; faciebant. ego verò quibus ornamentis aduersor tuis? aut cui dignitati vestræ repugno? quid est, quod iam ab hoc expetas? honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt. tu ornatus ærumnis, venis ad eum lacerandum, quem interemisti: ego iacentem & spoliatum defendo, & protego. atq; hîc tu & reprehendis me: quia defendam, & irasceris: ego autem non modo tibi non irascor, sed ne reprehendo quidem factum tuum. te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, & satis idoneum officy iudicem posuisse. At accusat C. Cornely filius: idemq; valere debet, ac si pater indicaret. O patrem Cornelium sapientem: qui, quod præmij solet esse in iudicio, reliquerit, quod turpitudinis in confessione, id per accusationem filij susceperit. sed quid est tandem, quod indicat per istum puerum Cornelius? si est causa mihi ignota, cum Hortensio communicata, respondet Hortensius. Sin vt ais illum comitatum Autronij et Catilinæ, cum in campo consularibus comitijs quæ à me habita sunt, cædem facere voluerunt. Autronium tum in campo vidimus, & quid dixi vidisse nos? ego vidi. vos enim tum Iudices nihil laborabatis, neq; suspicabamini. ego tectus præsidio firmo amicorum, Catilinæ tum, & Autronij copias, & conatum repressi. num quis

est igitur

est igitur? qui tum dicat in campum aspirasse Syllam? atqui si tum se cum Catilina societate sceleris coniunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari causa non paria signa reperiuntur criminis? sed quoniam Cornelius ipse, etiã nunc de indicando dubitat, vt dicitis: informat ad hoc adumbratũ indicium filium. quid tandem de illa nocte dicit? cùm inter falcarios ad M. Leccam nocte ea, quæ consecuta est posterum diem nonarum nouemb. me consule Catilinæ denunciatione conuenit? quæ nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit, atque acerbissima. tum Catilinæ dies exeundi, tum cæteris manendi conditio, tum descriptio totam per vrbem cædis, atq; incendiorum constituta est: tunc tuus pater Corneli, id quod tandẽ aliquando confitetur, illam sibi officiosam prouinciã depoposcit: vt prima luce consulem salutatum veniret: intromissus meo more, & iure amicitiæ me in meo lecto trucidaret. hoc tempore, cum arderet acerrimè coniuratio: cum Catilina egrederetur ad exercitum: Lentulus in vrbe relinqueretur: Cassius incendijs, Cethegus cædi proponeretur. Autronio vt occuparet Hetruriam præscriberetur: cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur: vbi fuit Sylla Corneli? num Romæ? immò longè abfuit. num in his regionibus, quò se Catilina referebat? multo etiam longius. num in agro Camerti? Piceno? Gallico? quas oras maximè quasi morbus quidã illius furoris peruaserat? nihil verò minus. fuit enim, vt iam antè dixi, Neapoli: fuit in ea parte Italiæ: quæ maximè ea suspicione caruit. Quid ergò indicat, aut quid affert, aut ipse Cornelius: aut vos: qui ab eo hæc mandata defertis? gladiatores emptos esse Fausti simulatione ad cædem,

ac tumultum. ita prorsus: interpositi sunt gladiatoru, quos testamento patris videmus deberi. arrepta est familia: quæ si esset prætermissa, posset alia familia Fausti munus præbere. vtinam quidem hæc ipsa non modo inia quorum inuidiæ, sed & æquorum expectationi satisfacere posset. properatum vehementer, cum longè tempus muneris abesset. quasi verò tempus dandi muneris non valdè appropinquaret. nec opinante Fausto, cum is neque sciret, neque vellet, familia est comparata. at literæ sunt Fausti: per quas ille precibus à P. Sylla petit, vt emat gladiatores: & vt hos ipsos emat. neque solum ad Syllam missæ, sed ad L. Cæsarem, Q. Pompeium, C. Memmium: quorum de sententia tota res gesta est. At præfuit familiæ Cornelius. iam si in comparanda familia suspicio est nulla: quod profert, nihil ad rem pertinet. sed tamen munere seruili obtulit se ad ferramenta prospicienda: præfuit verò nunquam: eaq; res per bellum Fausti libertum omni tempore administrata est. At enim Cincius est ab hoc in vlteriorem Hispaniã missus: vt eam prouinciam perturbaret. Primũ Cincius Iudices L. Iulio, C. Figulo consulibus profectus est aliquanto ante furorem Catilinæ, & ante suspicionem huius coniurationis. deinde est profectus non tum primum, sed cum in iisdem locis aliquanto antè eadẽ de causa aliquot annos fuisset. ac profectus est non modo ob causam, sed etiam necessariã causam, magna ratione cum Mauritaniæ rege contracta. tum autem illo profecto, Sylla procurante eius rem, & gerente plurimis, & pulcherrimis P. Cincy prædys venditis, æs alienum eiusdem dissolutum est: vt quæ causa cæteros ad facinus impulit, cupiditas retinendæ possessionis: ea Cincio non fuerit prædys diminutis.

nutis. Iam verò illud quàm incredibile? quàm absurdum? qui Romæ cædem facere, qui hanc vrbem inflammare vellet: eum familiarissimum suum dimittere ab se, & mandare in vltimas terras. vtrum quo facilius Romæ ea, quæ conabatur efficeret: si in Hispania turbatum esset? at hæc ipsa per se sine vlla coniunctione agebantur. an in tantis rebus, tam nouis consilys, tam periculosis, tam turbulentis, hominem amantissimũ sui, familiarissimum, coniunctissimũ, officijs vsu, consuetudine, dimittendum esse arbitraretur? verisimile non est: vt quem in secundis rebus, quem in ocio secum semper habuisset: hunc in aduersis, & in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret. Ipse autem Cincius (non enim mihi deserenda est causa amici veteris atq; hospitis) is homo est, aut ea familia, ac disciplina, vt hoc credi possit, eum bellum Reip. facere voluisse? vt cuius pater, cum cæteri deficerent finitimi, ac vicini, singulari extiterit in Remp. nostrã officio, & fide: is sibi nefariũ bellum contra patriam suscipiendum putaret? cuius æs alienum videmus Iudices non libidine, sed negocij gerendi studio esse contractum: qui ita Romæ debuit: vt in prouincys, & in regnis maxima ei pecuniæ deberentur: quas cum peteret, non commisit, vt sui procuratores quicquam oneris absente se sustinerent: venire omnes suas possessiones, & patrimonio se ornatissimo spoliari maluit: quàm vllam moram cuiquam fieri creditorum suorum. à quo quidem genere Iudices ego nunquam timui, cum in illa Reip. tempestate versarer: illud erat genus hominum horribile, & pertimescendum: qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant: vt ab his membra diuelli citius, ac distrahi posse diceres,

Cincius nunquã sibi cognationem cum prædijs esse existimauit suis. itaq; se non modo ex suspicione tanti sceleris, verum etiam ex omni hominum sermone, nõ armis, sed patrimonio suo vendicauit. Iam verò, quod subijcit, Pompeianos esse à Sylla impulsos : vt ad istam coniurationem, ac ad hoc nefarium facinus accederent : id cuiusmodi sit intelligere non possum. an tibi Pompeiani coniurasse videntur? quis hoc vnquam dixit? aut qua fuit istius rei vel minima suspicio? disiunxit, inquit, eos à colonis: vt hoc dissidio, ac dissensione facta oppidũ in sua potestate posset, & Pompeianos habere. Primum, omnis Pompeianorum, colonorumq; dissensio delata ad patronos est: cum iam inueterasset, ac multos annos esset exagitata. deinde ita à patronis res cognita est : vt nulla in re à cæterorum sententijs Sylla dissenserit postremò coloni ipsi sic intelligunt: non Pompeianos à Sylla magis, quàm sese esse defensos: atque hoc iudices ex hac frequentia colonorum honestissimorum hominum intelligere potestis: qui adsunt, laborant: hunc patronum, defensorem, custodem illius coloniæ, si in omni fortuna, atque omni honore incolumen habere non potuerunt : in hoc tamen casu, quo afflictus iacet, per vos tutari, conseruareq; cupiunt. adsunt pari studio Pompeiani : qui ab illis etiam in crimen vocantur: qui ita de ambitione, & de suffragijs suis cum colonis dissenserunt: vt idem de communi salute sentirent. Ac ne hæc quidem P. Syllæ mihi videtur silentio prætereunda esse virtus : quod cũ ab hoc vlla colonia deducta sit: & cum commoda colonorum à fortunis Pompeianorum pop. Ro. fortuna diuiserit : ita carus vtriusque est, atque iucundus: vt non alteros demouisse, sed vtrosque constituisse videatur. At enim & gladia-

gladiatores, & omnis ista vis, rogationis Ceciliæ causa comparabantur, atq; hoc loco in L. Cecilium prudentissimum, atq; ornatissimum virum vehementer inuectus est: cuius ego de virtute, & constantia Iudices tantũ dico : talem hunc in ista rogatione, quam promulgauit, non de tollenda, sed de leuanda calamitate fratris sui, fuisse, vt consultum esse voluerit fratri: tamen cum Rep. pugnare noluerit : promulgarit impulsus amore fraterno : desiterit fratris authoritate deductus. Atq; in ea re per L. Cecilium Sylla accusatur: in qua re est vterque laudandus. Primum Cecilius, qui id promulgarit: in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, vt restituerent, Sylla rectè reprehendit. status enim Reipub. maximè iudicatis rebus continetur. neq; ego tantũ fraterno amori dandũ arbitror : vt quisquã de salute suorũ consulat. communem relinquat: nihil de iudicio ferebat: sed pœnam ambitus eam ferebat : quæ fuerat nuper superioribus legibus cõstituta. itaq; hac rogatione, nõ iudicum sententiam, sed legis vicium corrigebat. nemo iudicium reprehendit, cũ de pœna queritur, sed legem. damnatio enim est iudicũ, quæ manebat: pœna legis, quæ leuabatur. noli igitur animos eorum ordinum, qui præsunt iudicijs summa cũ grauitate, & dignitate, alienare à causa. nemo labefactare iudicium est conatus : nihil est eiusmodi promulgatum : semper Cecilius in calamitate fratris sui iudicum potestatem perpetuandam, legis acerbitatem mitigandam putauit. sed quid ego de hoc plura disputem ? dicerem fortasse, & facilè & libenter dicerem : si paulò etiam longius, quàm finis quotidiani officij postulat : pietas & fraternus amor L. Cecilium protulisset : implorarem sensus vestros, vniuf-

cuiusque indulgentiam in suos testarer: peterem errato veniam L. Cecilij ex intimis vestris cogitationibus, atq; ex humanitate communi. lex dies fuit proposita paucos: ferri cœpta, nunquam posita est in senatu: populum Romanum latuit: cum in Capitolium nos senatum conuocassemus: nihil est actum prius: & id mandato Sylla Q. Metellus Prætor se loqui dixit: Syllam illam rogationem de se nolle ferri. Ex illo tempore L. Cecilius multa de Rep. egit: Agrariæ legi, quæ tota à me reprehensa, & abiecta est: intercessorem fore perpessus est: improbis largitionibus restitit: Senatus authoritatem nunquã impediuit: ita se gessit in tribunatu: vt onere deposito domestici officij, nihil postea nisi de Reip. commodis cogitarit. atq; in ipsa rogatione ne per vim quid ageretur: quis tamen vestrum Syllam aut Cecilium verebatur? nonne omnis terror ille, omnis seditionis timor, atque opinio, ex Autronij improbitate pendebat? eius voces, eius minæ ferebantur: eius aspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum, metum nobis, seditionesq; afferebant. Itaque P. Sylla hoc importunissimo tum honoris, tum etiam calamitatis socio, atq; comite, et secundas fortunas amittere coactus est, & in aduersis sine vllo remedio, atque alleuamento permanere. Hic tu epistolam meam sæpè recitas: quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis, & de summa Reipub. misi: & ex ea crimen aliquod in P. Syllam quæris: & si furorem incredibilẽ biennio antè conceptum, eripuisse in meo cõsulatu scripsi: me hoc demõstrasse dicis: Syllã in illa fuisse superiore coniuratione. scilicet is sum, qui existimem Cn. Pisonem, & Catilinam, & Vargunteium, & Autronium nihil sceleratè, nihil audacter ipsos per se sine P. Sylla

Sylla facere potuisse? de quo etiam si quis dubitasset antea, nũ id quod tu arguis, cogitasset: interfecto patre tuo consule descendere Calendis Ian. cum lictoribus: sustulisti hanc suspicionem, cum dixisti, hunc, vt Catilinam consulẽ efficeret, contra patrem tuum operas & manum cõparasse. quod si tibi ego confiteor: tu mihi concedas necesse est, hunc cũ Catilinæ suffragaretur: nihil de suo consulatu, quem iudicio amiserat, per vim recuperando cogitauisse. neq; enim istorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen Iudices P. Syllæ persona suscipit. iam enim faciam criminibus omnibus fere dissolutis, contrà atque in cæteris causis fieri solet: vt nunc denique de vita hominis ac de moribus dicã. Etenim de principio studuit animus occurrere magnitudini criminis: satisfacere expectationi hominũ: de me aliquid, & de ipso qui accusatus est, dicere. nunc iam reuocandi estis eò, quò vos ipsa causa etiam tacente me cogit, animis. omnibus in rebus Iudices, quæ grauiores maioresq; sunt: quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius qui arguitur, est ponderandum. neq; enim potest quisquam nostrum subitò fingi: neq; cuiusquã repente vita mutari: aut natura conuerti. circunspicite pauliper mẽtibus vestris, vt alia omittamus: hosce ipsos homines: qui huic affines sceleri fuerunt. Catilina cõtra Remp. coniurauit: cuius aures vnquam hoc respuerunt, conatũ esse hominem à pueritia, non solũ intemperantia & scelere, sed etiam consuetudine & studio in omni flagitio, stupro, cæde versatum? quis eũ contra patriã pugnantẽ perisse miratur? quẽ semper omnes ad ciuile latrocinium natũ putauerũt? quis Lẽtuli societates cum indicibus? quis insaniam libidinum? quis peruersam, atque impiam

religionem recordatur? qui illum aut nefariè, aut stultè cogitasse miretur? quis de C. Cethego, atque eius in Hispaniam profectione, ac de vulnere Q. Metelli Pij cogitat? cui non ad illius pœnam carcer adesicatus esse videatur? omitto cæteros, ne sit infinitam. tantum à vobis peto: vt taciti de omnibus, quos coniurasse cognitum est, cogitetis. intelligetis vnumquemq; illorũ prius à sua vita, quã nostra suspicione esse damnatum. ipsum illum Autronii (quoniam eius nomen finitimum maximè est huius periculo & crimini) non sua hæc anteacta vita conuincit? semper audax, petulans, libidinosus. quem in stuprorum defensionibus non sõlum verbis vti improbissimis solitũ esse scimus: verum etiam pugnis & calcibus: quem exturbare homines è possessionibus: cædem facere vicinorum, spoliare fana sociorum: vi conatum & armis disturbare iudicia: in omnibus rebus omnes contemnere: in malis pugnare contra bonos: non Reipub. cedere: non fortunæ ipsi succumbere: huius si causa non manifestissimis rebus teneretur: tamen eum mores ipsius ac vita cõuincerent. Agedum conferte nunc cum illius vita vitam P. Syllæ, vobis populoq; Ro. notissimam Iudices: & eam ante oculos vestros proponite: ecquod huius factum, aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquã paulò minus consideratum videretur factum, quæro? verbũ ecquod vnquam ex ore huius excidit, vnde quisquam posset offendi? At verò in illa graui L. Syllæ victoria turbulentaq;, quis P. Syllæ mitior? quam multorum hic vitam est L. Sylla deprecatus, quam multi sunt summi homines & ornatissimi, & nostri, & equestris ordinis, quorum pro salute se hic Syllæ obligauit. quos ego nominarem, neque enim ipsi nolunt, & huic animo gratissimo

rissimo adsunt: sed quia maius est beneficium: quàm posse debet ciuis ciui dare: ideo à vobis peto, vt quod potuit, tempori tribuatis: quod fecit, ipsi. quid reliquam cõstantiam vitæ commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in priuatis rebus, splendorem in publicis? quæ ita à fortuna deformata sunt, vt tamen à natura inchoata compareant. quæ domus? quæ celebratio quotidiana? quæ familiaris dignitas? quæ studia amicorum? quæ ex quoque ordine multitudo? hæc diu multum, & multo labore quæsita, vna eripuit hora. accepit P. Sylla Iudices vehemens vulnus & mortiferum: veruntamen eiusmodi, quod videtur eius vita, & natura accipere potuisse. honestatis & dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem. quam si nemo alius habuit in consulatu petendo: cupidior iudicatus est hic fuisse, quam cæteri. sin etiam in alijs nonnullis fuit iste consulatus amor: fortuna in hoc fuit fortasse grauior quàm in cæteris. postea verò quis P. Sillam, nisi mœrentem, demissum afflictumq; vidit? quis vnquam est suspicatus hunc magis odio, quam pudore, hominum aspectum, lucemq; vitare? qui cum multa haberet inuitamenta vrbis & fori propter summa studia amicorum: quæ tamen ei sola in malis restiterunt: abfuit ab oculis vestris: & cum lege retineretur, ipse se exilio penè multauit. in hoc vos pudore iudicij, & in hac vita, tanto sceleri locum fuisse creditis? aspicite ipsum: cotuemini os: conferte crimen cum vita vsq; ad hoc tempus explicata: tum crimen recognoscite. mitto Remp. quæ fuit semper Syllæ charissima: hos ne amicos tales viros, tam cupidos sui, per quos res eius secundæ, quondam erant ornatæ: nunc subleuantur aduersæ, crudelissimè perire voluit?

vt cum Lentulo, & Catilina, & Cethego fœdissimam vitam, ac miserrimam, turpissima morte proposita degeret? non inquam cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio. noua quædam illa immanitas exorta est: incredibilis fuit ac singularis furor: ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vicijs, repentè ista tanta importunitas inauditi sceleris exarsit. nolite Iudices arbitrari hominum illum impetum, & conatum fuisse. neq; enim vlla gens tam barbara, aut tam immanis vnquam fuit: in qua non modo tot, sed vnus tam crudelis hostis patriæ sit inuentus. beluæ quædam illæ ex portentis immanes, ac feræ forma hominum indutæ extiterunt. perspicite etiam atque etiam Iudices: nihil enim est, quod in hac causa dici possit vehementius. penitus introspicite Catilinæ, Autronij, Cethegi, Lentuli, cæterorum q; mentes. quas vos in his libidines, quæ flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quam incredibiles furores, quas notas scelerum, quæ iudicia parricidiorum, quantos aceruos facinorum reperietis? ex magnis, & diuturnis, & iam desperatis Reip. morbis ista repentè vis erupit: vt ea confecta & eiecta conualescere aliquando & sanari ciuitas possit. neq; enim est quisquam: qui arbitretur illis inclusis in Rep. pestibus, diutius hoc imperium stare potuisse. itaq; eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas Reipub. pœnas, furiæ quædam incitauerunt. In hunc igitur gregem vos nunc P. Syllam Iudices, ex his qui cum hoc viuunt, atq; vixerunt, honestissimorum hominum gregibus reycietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem atq; in parricidarum cœtum, ac numerũ transferetis?

feretis? vbi erit igitur illud fortissimum præsidium pudoris? quo in loco nobis vita anteacta proderit? quod ad tempus existimationis partæ fructus reseruabitur? si in extremo discrimine ac dimicatione fortunæ deseruerit: si non aderit: si nihil adiuuabit. Quæstiones nobis seruorum ac tormenta accusator minitatur. in quibus quanquam nil periculi suspicamur: tamen illa tormenta gubernat dolor: moderatur natura cuiusq; tum animi tum corporis: regit quæstor: flectit libido: corrumpit spes: infirmat metus: vt in tot rerum angustijs nihil veritati loci relinquatur. vita P. Syllæ torqueatur: ex ea quæratur, num quæ occultetur libido? num quod lateat facinus? num quæ crudelitas? num quæ audacia? nihil erroris erit in causa, nec obscuritatis Iudices: si à vobis vitæ perpetuæ vox ea, quæ grauissima debet esse, audietur. nullum in hac causa testem timemus: nihil quenquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur. sed tamen si nihil vos P. Syllæ fortuna mouet Iudices: vestra moueat. vestra enim qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maximè interest: non ex libidine, aut simulate, aut leuitate testium causas honestorum hominum ponderari: sed in magnis disquisitionibus repentinisq; periculis, vitam vniuscuiusq; esse testem. quam vos Iud. nolite armis suis spoliatum atq; nudatam obijcere inuidiæ: dedere suspicione. munite communem arcem bonorum: obstruite perfugia improborum: valeat ad pœnam & ad salutem plurimum: quam solam videtis ipsam ex vi sua, naturaq; facillimè perspici: subitò flecti, fingiq; non posse. quid verò hæc authoritas, semper enim de ea dicendum est, quanquam à me timidè modiceq; dicetur, quid inquam hæc authoritas

ritas nostra? qui à cæteris coniurationis causis abstinuimus: P. Syllam defendimus: nihil hunc tandem iuuabit? graue si appetimus aliquid, si cum cæteri de nobis silent, non etiam nosmetipsi tacemus. graue. sed si lædimur, si accusamur, si in inuidiã vocamur, profectò concedite Iudices: vt nobis libertatem retinere liceat, si minus liceat dignitatem. Accusati sunt vno nomine consulares: vt iam videatur honoris amplissimi nomen plus inuidiæ, quàm dignitatis afferrre. affuerunt inquit Catilinæ, illumq; laudarunt. nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio. defendebant amicum: aderant supplici: vitæ eius turpitudinem in summis eius periculis non insequebantur. quin etiam parens tuus Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit aduocatus, improbo homini, at supplici, fortasse audaci, at aliquando amico. cui cum adfuit post delatã ad eum primam illam coniurationem, indicauit se audisse aliquid, non credidisse. at idem non adfuit alio in iudicio, cum adessent cæteri. si postea cognorat ipse aliquid, quod in consulatu ignorasset: ignoscendum est iis, qui postea nihil audierunt. sin illares de pecuniis repetundis prima valuit: non inueterata, quam recens debuit esse grauior. sed si tuus parens etiã in illa suspicione periculi sui, tamen humanitate adductus aduocationem hominis improbissimi sella curuli, atq; ornamentis & suis, & consulatus honestauit: quid est quamobrem consulares, qui Catilinæ adfuerunt, reprehendantur? At iidem iis, qui ante hunc causam de coniuratione dixerunt, non adfuerunt. tanto scelere astrictis hominibus statuerunt, nihil à se adiumẽti, nihil opis, nihil auxily ferri oportere. Atq; vt de eorũ constantia atq; animo in Remp. dicam: quorum tacita

grauitas

grauitas & fides de vnoquoq; loquitur: neq; cuiusquam ornamenta orationis desiderat: potest quisquam dicere vnquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse: quàm iis temporibus, & periculis: quibus penè oppressa est Respublica? quis non de communi salute apertissimè? quis non fortissimè? quis non constantissimè sensit? neque ego præcipuè de consularibus disputo. nam hæc & hominum ornatissimorum, qui Prætores fuerunt, & vniuersi senatus communis est laus: vt constet post hominum memoriam, nunquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in Remp. plus grauitatis fuisse. Sd quia sunt descripti consulares: de his tantum mihi dicendum putaui: quod satis esset, attestante memoria omnium: neminem esse ex illo honoris gradu: qui non omni studio, virtute, authoritate, incubuerit ad Rempublicã conseruandam. Sed quid? ego qui Catilinam non laudaui: qui reo Catilinæ consul non adfui: qui testimonium de coniuratione dixi in alios: adeo ne vobis alienus à sanitate? adeo oblitus constantiæ meæ? adeo immemor rerum à me gestarum esse videor? vt cum consul bellum gesserim cum coniuratis: nunc eorum ducem conseruare cupiam: & in animum inducam, cuius nuper ferrum retuderim, flammamq; restinxerim: eiusdem nunc causam vitamq; defendere? Si medius fidius Iudices non me ipsa Respub. meis laboribus, & periculis conseruata, ad grauitatem animi & constantiam sua dignitate reuocaret: tamen hoc natura est insitum: vt quem timueris: qui cum de vita, fortunisq; contenderis, cuius ex insidijs euaseris, hunc semper oderis. Sed cum agatur honos meus amplissimus: gloria rerum gestarum singularis: cum quoties quisquam est in hoc scelere coniunctus:

uictus : totiens renouetur memoria per me inuenta salutis : ego sim tam demens , ego comittam , vt ea quæ pro salute omnium gessi, casu magis & felicitate , quam virtute & consilio gesta esse videantur? Quid ergo? hoc tibi sumis, dicet fortasse quispiam, vt quia tu defenderis, innocens iudicetur? ego verò Iudices non modo mihi nil assumo : in quo quispiam repugnet: sed etiam, si quid ab omnibus conceditur, id reddo, ac remitto. non in ea Rep. versor : non his temporibus caput meum obtuli pro patria , periculis omnibus : non aut ita sunt extincti quos vici , aut ita grati quos seruaui: vt eo mihi plus appetere coner : quàm quantū omnes inimici inuidiq; patiantur. Graue esse eum videretur , qui inuestigarit coniurationem, qui patefecerit, qui oppresserit , cui senatus singularibus verbis gratias egerit, cui vni togato supplicationem decreuerit , dicere in iudicio : non defenderem , si coniurasset. non dico id , quod graue est : dico illud , quod in his causis coniurationis non authoritati assumam , sed pudori meo. ego ille coniurationis inuestigator, atque vltor , certè non defenderē Syllam, si coniurasse arbitrarer. ego Iudices de tantis omnium periculis cum quærerem omnia , multa audirem , non crederem omnia, cauerem omnia: dico hoc, quod initio dixi: nullius indicio, nullius suspicione, nullis literis de re Publij Syllæ , rem vllam ad me esse delatā. Quamobrem vos dy patry ac penates, qui huic vrbi, atq; huic imperio præsidetis, qui hoc imperiū, qui hāc libertatē, populumq; Romanum , qui hæc tecta, atq; templa me consule, vestro numine , auxilioq; seruastis : testor , integro me animo ac libero P. Syllæ causam defendere : nullū à me sciente facinus occultari: nullum scelus susceptum contra salutem omniū defendi, ac tegi.

tegi. nihil de hoc consul comperi: nihil suspicatus sum: nihil audiui. itaq; idem ego ille, qui vehemens in alios: qui inexorabilis in cæteros esse visus sum : persolui patriæ quod debui. reliqua iam à me meæ perpetuæ consuetudini naturæq; debentur. tā sum misericors Iudices : quā vos : tam mitis , quàm qui lenissimus. in quo vehemens fui vobiscum , nihil feci , nisi coactus . Reip: præcipitanti subueni: patriam demersam extuli: misericordia ciuium adducti tunc fuimus tam vehementes, quam necesse fuit. salus esset omnium amissa vna nocte : nisi esset seueritas illa susceptа. sed vt ad sceleratorum pœnam amore Reip. sum adductus: sic ad salutem innocentium voluntate deducor. nihil video esse in hoc P. Sylla Iudices, odio dignum: misericordia digna multa. neq; enim nunc propulsandæ calamitatis suæ causa , supplex ad vos Iudices confugit: sed ne qua generi , ac nomini suo nota nefariæ turpitudinis inuratur. nam ipse quidem si erit vestro iudicio liberatus , quæ habet ornamenta? quæ solatia reliquæ vitæ? quibus lætari & perfrui possit? domus erit credo exornata: aperientur maiorum imagines: ipse ornatum ac vestitum recuperabit. omnia Iud. hæc amissa sunt: omnia generis, nominis, honoris insignia , atque ornamenta vnius iudicij calamitate occiderunt. sed ne extinctor patriæ , ne proditor , ne hostis appelletur: ne hanc labem, tanti generis in familia relinquat: id laborat, id metuit, cui honoris integros fructus non sit traditurus: ne æternam memoriam dedecoris relinquat. Hic vos orat Iudices paruus : vt se aliquando, si non integra fortuna , at afflicta patri suo gratulari sinatis. huic misero notiora sunt iudiciorum itinera, & fori, quàm disciplinarum. non iā de vita P. Syllæ Iud. sed de sepultura cō-

tenditur.

tenditur. vita erepta est superiore iudicio: nunc ne corpus eiiciatur, laboramus. quid enim est huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut qd est, quamobrē hac cuiquam vita videatur? nuper is homo fuit in ciuitate P. Sylla: vt nemo ei se neq; honore, neq; gratia, nec fortunis anteferret. nunc spoliatus omni dignitate, quæ erepta sunt, non repetit: quod fortuna in malis reliqui fecit, vt cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his necessarijs lugere suam calamitatem liceat: id sibi ne eripiatis Iudices, vos obtestatur. te ipsum iam Torquate expletum huius miseryis pateat. etsi nihil aliud Syllæ, nisi consulatum abstulisse tis: tamen eo vos contentos esse oportebat. honoris enim contentio vos ad causam, non inimicitiæ deduxerunt. sed cum huic omnia cum honore detracta sint: cum in hac fortuna misera ac luctuosissima destitutus sit: quid est quod expetas amplius? lucis ne hanc vsuram eripere vis plenam lachrymarum atque mœroris? in qua cum maximo cruciatu atq; dolore retinetur? libenter reddiderit adempta ignominia fœdissimi criminis. an verò inimicum vt expellas? cuius ex miseryis, si esses crudelissimus, videndo fructum capere maiorem, quàm audiendo? O' miserum & infelicem illum diem: quo consul omnibus centuryis P. Sylla renunciatus est: O' falsam spem: O' volucrem fortunam: O' cæcam cupiditatem: O' præposteram gratulationem. quam cito illa omnia ex lætitia & voluptate ad luctum, & lachrymas reciderunt? vt qui paulo antè consul designatus fuisset: retineret repentè nullum vestigium pristinæ dignitatis. quid enim erat mali? quod huic, spoliato honore, fama, fortunis, deesse videretur? aut cui nouæ calamitati locus vllus relictus esset? vrget eadem fortuna quæ cœpit:

repetit

repetit nouum mœrorem: non patitur hominem calamitosum vno modo afflictum, vno in luctu perire. Sed iam impedior egomet Iudices dolore animi: ne de huius miseria plura dicam. vestræ iam sunt partes Iudices: in vestra mansuetudine, atq; humanitate causam totam repono, vos & reiectione interposita nihil suspicantibus, nobis repentini in nos Iudices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis: à fortuna nobis ad præsidium innocentiæ constituti. vt ego quid de me populus Ro. existimaret: quia seuerus in improbos fueram, laborauì: & quæ prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi: sic vos seueritatem iudiciorum, quæ per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate. hoc cum impetrare à vobis ipsa causa debet: tum est vestri animi atq; virtutis declarare: non esse eos vos, ad quos potissimum interposita reiectione deuenire conuenerit. in quo ego Iudices vos, quantum meus amor in vos postulat, tantum hortor: vt communi studio, quoniam in Rep. coniuncti sumus, mansuetudine & misericordia vestra falsa, à nobis crudelitatis famam repellamus.

PRO A. LICINIO ARCHIA POETA. ORATIO XXVI.

SI quid est in me ingenij Iudices: quod sentio quàm sit exiguũ: aut si qua exercitatio dicendi: in qua me non inficior mediocriter esse versatum: aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarũ artium studijs, & disciplina profecta: à qua ego nullũ confiteor ætatis meæ tẽpus abhorruisse: earum rerum omniũ vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè suo iure debet. nam quoad longissimè potest mens mea respicere, spaciũ præteriti temporis, & pueritiæ memoriã recordari vltimã: inde vsq; repetens, hunc video mihi principẽ, & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. quod si hæc vox huius hortatu, præceptuq; conformata nonnullis aliquando saluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios seruare possemus: huic profectò ipsi, quantũ est situm in nobis: & opem, & salutem ferre debemus. Ac ne quis à nobis hoc ita dici forte miretur: quod alia quædam in hoc facultas sit ingenij: neque hæc dicendi ratio, aut disciplina: nec nos quidem huic cuncti studio penitus vnquam dediti fuimus. etenim omnes artes, quæ ad humanitatẽ pertinent: habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur: me in quæstione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud Prætorem populi Romani

Romani, lectissimũ virum, & apud seueriſſimos Iudices tanto conuentu hominum, ac frequentia, hoc vti genere dicendi: quod non modò à consuetudine iudiciorum, verum etiã à fòrensi sermone abhorreat: quæsò à vobis, vt in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatã huic reo, vobis quemadmodũ spero non molestam: vt me pro summo poëta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique Prætore exercente iudicium, patiamini de studijs humanitatis, ac literarum paulò loqui liberius: & in eiusmodi personã, quæ propter ocium ac studium minimè in iudicijs periculisq; tractata est: vti propè nouo quodam, & inusitato genere dicendi, quod si mihi à vobis tribui, concediq; sentiam: perficiam profectò: vt hunc A. Licinium non modò non segregandum, cum sit ciuis, à numero ciuium, verum etiam, sinon esset, putetis adsciscendum fuisse. Nam vt primum ex pueris excessit Archias: atque ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet: se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiæ (nam ibi natus est, loco nobili, & celebri quondam vrbe, & copiosa, atq; eruditissimis hominibus, liberalissimisq; studijs affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit. post in cæteris Asiæ partibus cunctaq; Græciæ, sic eius aduentus celebrabatur: vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipsius aduentus, admiratioq; superaret. erat Italia tunc plena græcarum artium, ac disciplinarum: studiaq; hæc, & in Latio vehementius tum colebantur: quàm nunc ipsi in oppidis: & hic Romæ propter tranquillitatem Reip. non negligebantur. itaq; hunc & Tarentini, &

Rhegini, & Neapolitani ciuitate cæterisq; præmijs donarunt: & omnes, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare: cognitione atq; hospitio dignum existimarunt. hac tanta celebritate famæ, cum esset iam absentibus notus: Romā venit Mario Consule, & Catulo. nactus est primum Consules eos: quorum alter res ad scribendū maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium, atq; aures adhibere posset statim Luculli, cum prætextatus etiam tum Archias esset: eum domū suam receperunt. Sed enim hoc non solum ingenij ac literarum, verum etiam naturæ atq; virtutis fuit: vt domus quæ huius adolescentiæ prima fuerit: eadē esset familiarissima senectuti. erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, & eius Pio filio: audiebatur à M. Aemilio: viuebat cum Q. Catulo & patre, & filio: à L. Crasso colebatur: Lucullos verò, & Drusum, & Octauios, & Catonem, & totam Hortensiorum domū deuinctam consuetudine cum teneret: afficiebatur summo honore: quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere aut audire studebant: verū etiam, si qui fortè simulabant. Interim satis longo interuallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus: & cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. quæ cum esset ciuitas æquissimo iure, ac fœdere: ascribi se in eam ciuitatem voluit. idq; cum ipse per se dignus putaretur: tum authoritate & gratia Luculli ab Heraclienſibus impetrauit. Data est ciuitas Syllani lege & Carbonis, si qui fœderatis ciuitatibus ascripti fuissent: si tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent: & si sexaginta diebus apud Prætorem essent professi. Cum hic domicilium Romæ multos iam annos haberet: profes-

sus est apud Prætorem Q. Metellum familiarissimum suum. Si nihil aliud, nisi de ciuitate, ac lege dicimus: nihil dico amplius, causa dicta est. quid enim horum infirmari Gracche potest? Heracleæne esse eum adscriptum negabis? adest vir summa authoritate, & religione, & fide, L. Lucullus: qui se non opinari, sed scire: non audiuisse, sed vidisse: non interfuisse, sed egisse dicit. adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, huius iudicij causa, cum mandatis, & cum publico testimonio venerunt: qui eum adscriptum Heraclienſem dicunt. Hic tu tabulas desideras Heraclienſium publicas: quas Italico bello incenso tabulario interisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea quæ habemus nihil dicere, quærere quæ habere non possumus: & de hominum memoria tacere, literarū memoriam flagitare: & cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipij iusiurandum, fidemq; ea, quæ deprauari nullo modo possunt, repudiare: tabulas quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. At domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante ciuitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarū suarum Romæ collocauit. At non est professus. imò verò his tabulis professus: quæ solæ ex illa professione collegioq; Prætorum obtinent publicarum tabularum authoritatem. nam cum Appij tabulæ negligentius asseruatæ dicerentur: Gabinij, quamdiu incolumis fuit, leuitas, post damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem resignasset: Metellus homo sanctissimus modestissimusq; omnium, tanta diligentia fuit: vt ad L. Lentulum Prætorem, & ad iudices venerit: & vnius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A.

Licinij videtis. Quæ cum ita sint, quid est quod de eius ciuitate dubitetis? præsertim cum alijs quoque in ciuitatibus fuerit adscriptus. etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, gratuitò ciuitatem in Græcia homines impertiebantur: Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant: id huic summa ingenij prædito gloria noluisse? quid? cum ceteri non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legẽ Papiam, aliquomodo in eorum municipiorũ tabulas irrepserunt: hic ne vtitur quidem illis, in quibus est scriptus: quod semper se Heraclienſem esse voluit, reijcietur? Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum proximis censoribus, hunc cũ clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse: superioribus, cum eodẽ Quæstore fuisse in Asia: primis Iulio, & Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non ius ciuitatis confirmat: ac tantummodo indicat, eum qui sit census, ita se iam tum gessisse pro ciue: his temporibus, quæ tu criminaris, ne ipsius quidẽ iudicio in ciuium Romanorum iure esse versatum: & testamentum sæpe fecit nostris legibus, & adiit hæreditates ciuiũ Romanorum: & in beneficijs ad ærarium delatus est à L. Lucullo Prætore, & Consule. Quære argumenta, si qua potes: nunquã enim hic neq; suo, neque amicorum iudicio reuincetur. Quæres à nobis Gracche, cur tantopere hoc nomine delectemur? quia suppeditat nobis: vbi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures conuitio defessæ conquiescant. An tu existimas: aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum? nisi animos nostros doctrina excolamus?

colamus? aut ferre animos tantam posse contentionem? nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego verò fateor me his studijs esse deditum: cæteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt: vt nihil possint ex his neq; ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemq; proferre. me autem quid pudeat? qui tot annos ita viuo iudices, vt ab illis nullo me vnquã tempore, aut cõmodum, aut otium meũ abstraxerit: aut voluptas auocarit: aut denique somnus retardarit. quare quis tandem me reprehendat? aut quis mihi iure succenseat? si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi, & corporis conceditur temporis: quantum alij tribuunt tempestiuis conuiuijs: quantum denique aleæ: quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero. Atque hoc ideò mihi concedendum est magis: quod ex his studijs, hæc quoq; crescit oratio & facultas. quæ quantacunque in me est: nunquam amicorum periculis defuit. quæ si, cui leuior videtur: illa quidem certè, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. nam nisi multorum præceptis multisq; literis mihi ab adolescentia suasissem: nihil esse in vita magnoperè expetendum, nisi laudem, atque honestatem: in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilij parui esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. sed pleni omnes sunt libri: plenæ sapientum voces: plena exemplorum vetustas: quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accenderet. quàm multas nobis imagines, non so-

lum ad intuendum, verum etiam ad imitandũ, fortissimorũ virorum expressas, scriptores & Græci, & Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animũ & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabã. Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt: ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare: sed tamen est certum quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu propè diuino, per se ipsos & moderatos & graues extitisse fateor. etiam illud adiungo: sæpius ad laudem atque virtutem, natura sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinã. atq; idem contendo: cũ ad naturã eximiam, atq; illustrem accesserit ratio quædam, confirmatioq; doctrinæ: tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere. ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, diuinũ hominem Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furium modestissimos homines, & continentissimos: ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum Catonem illum senem: qui profectò si nihil ad percipiendam colendamq; virtutem literis adiuuarentur: nunquam se ad earum studium contulissent. quod si non hic tantus fructus ostenderetur: & si ex his studijs delectatio sola peteretur: tamen vt opinor hanc animi remissionem humanissimam, ac liberalissimam iudicaretis. nam cæteræ res neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. hæc studia adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: aduersis perfugium, ac solatium præbent: de-

lectant

lectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum: peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi hæc neque attingere, neq; sensu nostro gustare possemus: tamen ea mirari deberemus, etiam cum in alijs videremus. quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit? vt Roscij morte nuper non commoueretur? qui cum esset senex mortuus: tamen propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemq; ingeniorum negligemus? quotiens ego hunc Archiam vidi Iudices (vtar enim vestra benignitate: quoniã me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quotiens ego hunc vidi: cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorũ versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur dicere ex tempore? quotiens reuocatum eandem rem dicere commutatis verbis, atq; sententijs? quæ verò accuratè cogitateq; scripsisset: ea sic vidi probari, vt ad veterum scriptorum laudem peruenirent. hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare: poëtam natura ipsa valere: et mentis viribus excitari: & quasi diuino quodam spiritu afflari. quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas: quod quasi deorum aliquo dono, atq; munere cõmendati nobis esse videantur. Sit igitur Iudices sanctum apud vos humanissimos homines hoc poëtæ nomen: quod nulla vnquam barbaria violauit: saxa & solitudines voce respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atq; consistunt. nos in-

ſtituti rebus optimis non poëtarum voce moueamur? Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum: Chij ſuum vendicant: Salaminij repetunt: Smyrnei verò ſuum eſſe confirmant. itaq; etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt. permulti alij præterea pugnant inter ſe, atq; contendunt. Ergo illi alienum, quia Poëta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc viuum, qui & voluntate & legibus noſter eſt, repudiabimus? præſertim cum omne olim ſtudium, atq; omne ingenium contulerit Archias ad populi Ro. gloriam, laudemq; celebrandam. nam & Cimbricas res adoleſcens attigit: & ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia videbatur, iucundus fuit. neq; enim quisquam eſt tam auerſus à muſis: qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facilè præconium patiatur. Themiſtoclem illum ſummum Athenis virum dixiſſe aiunt: cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocẽ libentiſſimè audiret, eius, à quo ſua virtus optimè prædicaretur. Itaq; ille Marius item eximiè L. Plotium dilexit: cuius ingenio putabat ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Mythridaticum verò bellum magnum, atq; difficile, & in multa varietate terra mariq; verſatum, totum ab hoc expreſſum eſt. qui libri non modo L. Lucullum fortiſſimum, & clariſſimum virum, verum etiam populi Ro. nomen illuſtrant. Populus enim Ro. aperuit Lucullo imperante Pontum, & regijs quondam opibus, & ipſa natura regionis vallatum: populi Ro. exercitus eodem duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Ro. laus eſt, vrbem amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam eſſe, atque ſeruatam,

noſtra

noſtra ſemper feretur & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis: noſtra ſunt trophæa: noſtra monumenta: noſtri triumphi. quare quorum ingenijs hæc feruntur, ab his populi Ro. fama celebratur. charus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius. itaq; etiam in ſepulchro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus: & marmoratis laudibus certè non ſolum ipſi, qui laudantur: ſed etiam populi Ro. nomen ornatur. In cœlum huius proauus Cato tollitur. magnus honos populi Ro. rebus adiungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fuluij, non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rudium hominẽ maiores noſtri in ciuitate receperunt. nos hunc Heraclienſem, multis ciuitatibus expetitum, in hac autem legibus conſtitutum, de noſtra ciuitate eyciemus? Nam ſi quis minorem gloriæ fructum putat ex græcis verſibus percipi, quàm ex latinis: vehementer errat: propterea quod græca leguntur in omnibus ferè gentibus: latina ſuis finibus, exiguis ſanè continentur. Quare ſi res hæ, quas geſſimus: orbis terræ regionibus definiuntur: cupere debemus: quo minus manuum noſtrarum tela peruenerint: eodem gloriam famamq; penetrare. Quod cum ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt: tum his certè, qui de vita gloria cauſa dimicant: hoc maximum & periculorum incitamentum eſt, & laborum. quàm multos ſcriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? atq; is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum aſtitiſſet: O fortunate inquit adoleſcens: qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. & verè. nam niſi Ilias

exti-

extitisset illa : idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid noster hic magnus? qui cum virtute fortunam adæquauit? nonné Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum ciuitate donauit? & nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis magno illud clamore approbauerunt? Itaq; credo, si ciuis Romanus Archias legibus non esset: vt ab aliquo Imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit? Sylla cum Hispanos & Gallos donaret: credo hunc potentem repudiasset? quem nos concione vidimus, cum ei libellum malus Poëta de populo subiecisset: quod Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis: statim ex his rebus, quas tunc vendebat: iubere ei præmiũ tribui sub ea conditione, nequid postea scriberet. qui sedulitatem mali Poëtæ duxerit aliquo tamen præmio dignam: huius ingenium, & virtutem in scribendo, & copiam non expetisset? quid à Q. Metello Pio familiarissimo suo, qui ciuitate multos donauit: neq; per se, neq; per Lucullos impetrauisset? qui præsertim vsq; eo de suis rebus scribi cuperet: vt etiam Cordubæ natis Poëtis pingue quiddam sonantibus atq; peregrinum, tamen aures suas dederet. Neq; enim est hoc dissimulandum: quod obscurari non potest: sed præ nobis ferendum. trahimur omnes laudis studio: & optimus quisq;, maximè gloria ducitur. ipsi illi philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt: nomen suum inscribunt. & in eo ipso, in quo prædicationẽ nobilitatemq; despiciunt: prædicari de se, ac nominari volunt. Decius quidem Brutus, summus ille vir, & Imperator

Accij amicissimi sui carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit suorum. Iam verò ille qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Musis consecrare. Quare in qua vrbe Imperatores propè armati Poëtarum nomen, & musarum delubra coluerunt: in ea non debent togati Iudices à musarum honore, & à Poëtarum salute abhorrere. Atq; vt id libentius faciatis: iam me vobis Iudices indicabo: & de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nã quas res non in Consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius vrbis, atq; Imperij, & pro vita ciuium, proque vniuersa Rep. gessimus: attigit hic versibus, atq; inchoauit. quibus auditis, quod mihi magna res, & iucunda visa est: hunc ad perficiendum hortatus sum. nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumq; desiderat: præter hanc laudis & gloriæ. qua quidem detracta Iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? certè si nihil animus præsentiret in posterum, &, si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est: eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neq; tot curis, vigiliisq; angeretur, nec totiens de vita ipsa dimicaret. nunc insidet quædam in optimo quoq; virtus: quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis concitat, atq; admonet: non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri: sed cum omni posteritate adæquandam. An verò tam parui animi videamur esse omnes: qui in Republica, atq; in his vitæ periculis laboribusq; versamur?

famur? vt cum vſq; ad extremum ſpacium nullum tran quillum, atq; otioſum ſpiritum duxerimus: nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? An, cum ſtatuas & imagines non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerunt: conſiliorum relinquere ac virtutum noſtrarum effigiem non ne multo malle debemus, ſummis ingenys expreſſam, & politam? ego verò omnia, quæ gerebam: iam tum in gerendo ſpargere me, ac diſſeminare arbitrabar, in orbis terræ memoriam ſempiternam. hæc verò, ſiue à meo ſenſu poſt mortẽ abſutura ſunt: ſiue, vt ſapientiſſimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt: nunc quidem certè cogitatione quadam, ſpeq; delector. Quare conſeruate Iudices hominem, pudore eo, quem amicorum ſtudijs videtis comprobari: tum dignitate, tum etiam venuſtate: ingenio autẽ tanto quanto id conuenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingenys expetitum eſſe videatis: cauſa verò eiuſmodi: quæ beneficio legis, authoritate municipij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli cõprobetur. Quæ cum ita ſint, petimus à vobis Iudices: ſi qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negocijs commendatio debet eſſe: vt eum, qui vos, qui veſtros Imperatores, qui populi Ro. res geſtas ſemper ornauit: qui etiam his recentibus noſtris, veſtrisq; domeſticisq; periculis æternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur: isq; eſt eo numero: qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti, atq; dicti: ſic in veſtram accipiatis fidem: vt humanitate veſtra leuatus potius, quam acerbitate violatus eſſe videatur. Quæ de cauſa pro mea conſuetudine breuiter, ſimpliciterq;

pliciterq; dixi Iudices, ea confido probata eſſe omnibus: quæ non fori neq; iudiciali conſuetudine & de hominis ingenio, & communiter de ipſius ſtudio locutus ſum: ea Iudices à vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta: ab eo, qui iudicium exercet, certè ſcio.

AD

AD EQVITES ROM. ANTE QVAM IRET IN EXILIVM.

ORATIO XXVII.

Declamatio Rhetoris alicuius.

S I quando inimicorum impetum propulsare, ac propellere cupistis: defendite nunc vniuersi vnum: qui ne omnes occideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis: mei capitis periculo non dubitaui pronidere. nam quem virtutis gloria cum summa laude ad cœlum extulit: eundem inimicorum inuidia indignissimè oppressum deprimit ad suppliciũ. Si liberũm conceptam dulcedinem animo inclusam continetis: nolite eo velle carere, qui charissimam vestrã procreationem sibi esse duxit. est enim liberale officium, serere beneficium: vt metere possis fructum. fidei conducit, in loco debitum retribuere. illic enim animi voluntas propensa comprobatur: hic memoria collaudatur. itaq; si omnibus graue seruitutis iugum esse debet in libertate educatis: sit is vestris animis acceptissimus: qui à vestro corpore iugum acerbissimum repulit seruitutis. Et si maiores vestri, eos imperatores, qui militum virtute, hostium fregerunt furorem, iucundissimo fructu libertatis reconciliato, non solum statuis dignos putarunt: sed etiam æterna triumphi laude decorarunt: tum vos eum consulem, qui non militum præsenti fortitudine, sed sua eximia animi virtute, hostilem ciuium mentẽ, Senatus authoritate vindicauit, existimate vobis retinendum in ciuitate esse. Si quæ beneficia singulis ciuibus, priuatimq; dantur: ea solent ijs esse fructuosa, à quibus sunt profecta: iure, & merito possum ego vos ad defensionem meæ salutis adhortari:

adhortari, quos conseruaui vniuersos. nam neq; maius est defendere vnum, quàm populũ: neque verius à singulis, quàm ab omnibus repetere officij præmiũ, & fructũ: propterea quod in vnius periculo sæpe contentio parua est: vt leuis sit labor defensori sustinendus: in Reip. insidijs, quo firmius est quod oppugnatur: eo paratiores sunt inimici: vt ijs sine magna solicitudine, industria, virtute non queat resisti. Et singulorum opes sæpe sunt tenues, & infirmæ ad gratiã referendam: vt opitulari benè merentibus non queant, si maximè cupiant. vniuersorum auxiliũ plurimũ prodest: quo firmioribus opibus est nixum. iure igitur quoniam & maior impensa in patriam officij facta est: quàm in priuata sit defensione: & plus à vobis præsidij, quàm à cæteris opis ad salutem potest afferri: vos obtestor, quos mihi & debere & posse intelligo opitulari. non conuenit enim, cum ego ad promerendum officiũ tam fuerim expeditus: vos ad referendam gratiã esse tardiores: ne cuius amplitudinẽ ac gloriam laude atq; honoribus amplificare debeatis: eius incolumitatẽ & salutem deferendam existimetis. Etenim errat, si quis arbitratur M. Tullium iccircò in capitis periculũ vocari, quod deliquerit aliquid: quod patriam læserit: quod improbè vixerit. non citatur reus audaciæ: virtutis reus citatur. non accusatur: quod Remp. oppugnarit: sed quod homo nouus pernicioſum nobilium restinxerit furorem. non obest mihi turpis & nocens, sed honestissimè, laudatissimeq; acta vita. non odio bonorum, sed inuidia premor malorum. intelligunt homines tot & tam præclaris testimonijs, monumentisq; virtutis comparatis, M. Tullio dum sit incolumis, fore voluptati. iccircò vitam eripere cupiunt: vti cum spiritu, sen-

ſum quoq; adimant iucunditatis. nonne igitur indignũ eſt, eos præmys meis inuidere: qui virtute certare noluerunt? eos in contentionem honoris venire: qui officijs ſe ſuperari æquiſſimo animo tulerunt? ſi dulcis eſt gloria: conſequere virtutem. noli abycere labores: petere honorẽ. honorẽ dico? immò verò famã, fortunas, familiam, liberos, caput, corpus, ipſum denique ſanguinem, & animã, cedo inuitus de Republica: credo oppreſſus de fortuna: de dignitate: diſcedo à Repub. victus audacia malorum. liceat manere ſi non illum M. Tullium, cuſtodem vrbis, defenſorem omnium, patrem patriæ: at certè reliquias Tully liceat in conſpectu ciuium, in hac vrbe, quam ex parricidarũ faucibus eripuit, remanere: tecta omnium, fana deorũ, vniuerſam videre periculo liberata ciuitatem. liceat ex hac flamma euolare: præſertim qui illud impiũ incendium perditorum hominũ lachrymis potius meis, quàm ſanguine veſtro reſtingui malui. neq; enim peto vt mihi detis vitã: ſed datam, repeto vt reddatis. ſi meminiſtis quod dedi: vos non debetis obliuiſci: ſed retribuere quod debetis. Vos vos obteſtor Dij immortales: qui meæ menti lumina prætuliſtis: cum conſenſum extinxi coniurationis: arcemq; vrbis ab incendio, ac flamma liberaui: liberosq; veſtros à gremio, & cõplexu matrũ ad cædem & cruorẽ non ſum paſſus extrahi. Num igitur poteſt fieri à clientibus vt recipiar? cũ à quibus debeã retineri, reycere inſtituant? Socij quò fugiant? cũ aditus cuſtodi patriæ præcluſus ſit? quomodo ſpes ſalutis reliquis reſidebit? cum ciuibus præcluſa ſit exſpectatio incolumitatis? pax & concordia extraneis gignetur? cum iam domeſticis non inſideat:

ſed

ſed publicè prouidenti eripiatur? nam quid ego improborum facta renouem oratione: vt redintegratione illius coniurationis animos vulnerem veſtros? auxilium ab alienis efflagitabitis, cũ cives veſtros deſeratis? Sociorum innocem ſubſidium, cum à ciuibus intercluſum ſit præſidium? quam colere gentem nunc inſtituam? vtrum vt cuſtos accipiar? an vt proditor excludar? ſi vt conſeruator, veſtra erit ignominia. ſi vt oppugnator, præciſa erunt omnia. Itaq; quod putaui fore gaudium: id extitit exitium. Si Quirites eundẽ in cæterorum periculis haberemus animũ: quem in noſtris difficultatibus: & pro innocentiſſimo quoque propugnare, & nocentiſſimum quenq; oppugnare nobis vtiliſſimum eſſe arbitraremur. & ſi cum optimi cuiuſq; rebus aduerſis noſtram ſalutem cum deterrimorum hominum ſecundis, noſtra pericula putaremus coniuncta: frequentes profectò talibus conatibus obuiam ire niteremur: neq; partim innocentia freti, partim nobilitate nixi, partim potentia ac multitudine amicorum fulti, cũ perfacile exiſtimaremus aduerſariorum vim ac factionem à nobis repelli poſſe: ſubitò ipſi ſimili periculo circumuenti, in noſtro euentu aliorum reminiſcentes caſus, iure id nobis accidere nequicquam quereremur. quis enim eſt Quirites? qui nunc cum inimicorum noſtrorum vim atque violentiam proſpiciat, quiq; noſtrum ipſum periculoſiſſimum caſum recognoſcat, qui non ſibi ac ſuis diffidat fortunis? quo enim ſe ſatis tutum arbitrabitur præſidio, virtutis, & gloriæ? at ea nos ipſa hoc tempore oppugnant. multitudine amicorum? aperuerunt non fortes eſſe ſe amicos: ſi in eorũ poteſtate noſtra ſita ſalus non eſt. paucitate inimicorum? at id non in ipſius, ſed in alio-

rum voluntate positum est. nam non satis est, nec cui iniuriã facias, prouidere: si tamen sunt voluntarij inimici: qui tuis præmijs te oppugnent. Atq; adeò cum hæc omnia omnibus sint grauia atque acerba: tum verò nobis misera atq; intoleranda: quorũ & officia in Remp. recentissima, & incõmoda ob Rempub. frequentissima in familia versantur. Nunc si eadem conditio disceptationis proponetur: æqui auditores adhibebuntur: aures nõ obtusæ criminatione, sed vacuæ præbebuntur: qui sunt assecuti summum gradum honoris, non dispoliabuntur honore: qui sperant, facilius & procliuius ad laudem nobilitatis peruenient. Quamobrem nolo me duce, supplicij vos ad fraudem deduci: vt ego ad pristinum statum recidam casus. Nunc igitur si lingua est concertandum: innocentiæ virtute fretus supero: si facta compensanda sunt: conferamus æquitatem: si violentiæ impetu opprimimur: decedã pro omnibus vnus tribunitio furori: quoniam laborẽ pro cunctis ferre consueui. Si igitur aliquo tempore his hominibus consuluistis: quorũ animus est religionis pietate defunctus: debetis mihi quoque prospicere: qui numini deorũ consecratum, sartum tectum ab omni periculo conseruaui: & vos vt tutã tranquillamq; fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Nam me quem paulò antè fortuna erexerat ad gloriam: virtus extulit ad laudem: populus tribuit honorẽ: eundem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem. & quoniam animaduertistis illam conspirationem conflatam ita esse restinctam: vt nulla scintilla compareat incendij: vos quoque Tribunitiam sedate temeritatem. qui nunc se mihi inimicum ostendit: se prius esse vestrum professus est inimicum. ne rei crudelitas experta in me,

in vos

in vos conualescat: & calamitas remorata longius serpat, atque progrediatur præcauete. nunc vel solus delectus ad calamitatem, vel primus vocatus ad tale periculum, omnium animos iure debeo commouere. omnia sunt immutata. manus ad demonstrãdam religantur iniuriam: lingua inciditur ad deplorãdam calamitatem: animus præcluditur ad exponendam rei indignitatem: humilitatem generis obyciunt nobis: qui nouã rationem suscitant: veteres maiorum obterunt laudes. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos scelerate loquar factis? quorum cognita improbitas, me tacente coarguitur turpitudine vitæ: vt de ys non sit necesse inimicos prædicare: de quorum scelere ne amici quidẽ, aut ipsi possunt negare. Vos ego appello: quorum de me maxima est potestas: apud vos loquor de mea calamitate: quos habui semper innocentiæ & virtutis meæ testes. Igitur ex ciuitate bene meritus de Repub. ciuis exturbatur? innocens expellitur? consularis homo, non minimis facultatibus vsus, quondã amicorũ multorũ præsidio munitus, nunc partim ab inuidis, partim ab inimicis circumuentus eget indignè? huic si opem non tuleritis in periculo capitis: vos credo retinebitis vestrã libertatem, qui neque tanta valetis authoritate: neq; tantorum officiorũ impensam egistis in patriã. mihi credite, hoc in vno incommodum confirmatum, multorũ infirmabit incolumitatem: & si initio non erit refutatũ, impunè ad omnium perniciem conualescet. proinde aut in meo periculo salutem integrã præstate cõmunem: aut in vestris hoc idem incommodũ expectate fortunis. Nemo tã perdita authoritate, tam facinorosa inuentus est vita: qui cum de scelere fateretur: non tamen sententijs prius

iudicum conuinceretur, quàm ſupplicio addiceretur: ego repentè vi tribunitia correptus, non modo loquendi liberè in iudicio, ſed ne conſiſtendi quidẽ in ciuitate habeo poteſtatem. eycior non ſolum ſine teſte, ſine iudice, ſine crimine, ſed ſine etiam ſcelere, ſine accuſatore. hoſtibus in bello qui diſſident voluntate: dimicant armis: vitam quotidiè oppugnant: in ipſa acie, cum præliantur, licet loqui, licet diſputare. mihi in pace ciui, qui perditorum hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos loqui non licebit? ſerui qui ad ſupplicium cæſi verberibus trahuntur: apud eos ſæpe diſputant, quos necare voluerunt. ego conſularis apud vos non loquar, quos conſeruauiſ? tacebo, ſi neceſſe eſt: tacebo inquam animo æquo: quoniã virtus mea me tacente agit cauſam meam. Itaq; vt egõ in concione mea nihil ponã de rebus meis geſtis: tamen in animis & memoria veſtra largiter relinquã. iſti modò videant, quæ ratione hanc inultã meam fugam ferre poſſint. etenim ſi àme, vt iſti exiſtimant, Lentuli mortui ſordes, ſi Catilinæ notiſſimus furor, ſi amentia Cethegi, ſi luxuries ac ſtupra Caſsij pœnas repetunt: profectò iſtis hora nulla, eiecto M. Tullio, vacua periculo aut periculi expectatione relinquetur. itaque illi indies non meis inſidijs, quæ nullæ à me parantur: ſed ſuorũ ſcelerum conſcientia cruciati, mihi abſenti & populo Ro. pœnas dabunt. Quas ob res ego inimicorum amentiæ, cupiditatiq; paucorũ, omnium ſalutis cauſa decedam. neq; eo deducã, aut progredi patiar: vt opera mea manus inter vos conſeratis, cædesq; ciuium inter ſe fiat: multoq; potius ipſe patriæ liberisq; meis carebo: quàm propter vnum me vos de fortunis veſtris Reiq; pub. dimi-

cetis.

cetis. ſic enim ab initio fui animatus: vt non magis me mea cauſa putarem eſſe natũ, quàm Reip. procreatũ. ſed illud queror: quod non iam ad vnius perniciem, ſed ad vniuerſorũ inſtruitur calamitatem: conqueri, cõmiſerari, dicere, expurgare, ſuſpicionẽ dimouere, crimen diluere, non licere: ore oppreſſo ceruices eſſe præbendas. quæ tamen omnia iam non ſunt tam calamitoſa, quod mihi ſunt ſubeunda: quam pernicioſa, quod in Rempub. ſunt introducta. Quamobrem ſtatutum eſt atq; decretum, in his temporibus ciuitatis omnia perpeti: quæ volet furor libidinoſus. vim volunt afferre, præſtò ſum. eycere uolunt, exeo indicta cauſa. nolunt audire, cauſam non dico. aliud quippiam conantur, agant. nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod Remp. tutabitur. nõ enim illis victus cedo ſed incolumibus vobis me condono. neque enim mors miſeranda eſt, quæ ob Remp. capitur: neque exilium turpe, quod virtute ſuſcipitur: cum præſertim nonnullam hæ pœnæ habeant in ſe conſolationem. nam vitam ſi eripiunt: non adiment gloriam immortalem. ſi exilio mulctabunt corpus: non animũ à Repub. remouebunt. nam vbicunq; ero, hoc cogitabo: hæc ſemper cura mea erit: meq; vobis ereptum: non à vobis repudiatũ exiſtimabo. illud ab vniuerſis poſtulo, petoq;, ſi dum in ciuitate manere licitum eſt: nemini iniuſtè periculum creaui: neminí innocenti fui calamitati: ſi omnibus auxilio præſidioq; eſſe conſueui: plurimosq; in hac ciuitate ſum tutatus: vti vos liberos meos in veſtram fidẽ recipiatis, eosq; defendatis: neue inimicos meos in familiam noſtram longius progredi patiamini. vtiq;, ſiue hinc abiero, ſiue ero hîc oppreſſus: ea maneat opinio, & exiſtimatio: quæ virtute parta, non quæ infelicitate illata eſt.

Nunc ego te Iupiter Optime Maxime, cuius nutu ac ditione sola terrarum gubernantur: teq; particeps cōnuby, socia regni, Regina Iuno, teq; Tritonia, armipotens, Gorgonophora, Pallas, Minerua, cæteriq; dij, deæq; immortales, qui excellenti tumulo ciuitatis sedem Capitolij in saxo incolitis constitutam: vt non solum cunctam intueri, sed etiam tueri possitis ciuitatē: à quorum ego quādam altaribus impiam manum ciuium remoui. à quorum templis, meo periculo, funestam facem repuli: ne illustrissimum orbis terrarū monumētum cum principe omnium terrarum occideret ciuitate: teq; Iupiter Stator, quem verè huius imperij statorem maiores nostri nominauerunt: cuius in templo hostilē impetum (atilinæ repuli à muris: cuius templum à Romulo victis Sabinis in palaty radice cum victoria est collocatum: oro atque obsecro, ferte opem pariter Reipub. cunctæq; ciuitati, meisq; fortunis: resistite tribunitio furori: fauete innocentiæ: subuenite solitudini: miseremini senectutis: nolite eum supplicem à vobis absterrere, & excludere: qui in suo magistratu funestam facem à vestris repulit templis. si C. Mario auxilio fuistis: quod in cliuo Capitolino improborum ciuum cædem fecerat.: si P. Scipioni: quod Annibalis furibundā mentem à vestris repulit templis: si deniq; (n. Pompeio: quod terra mariq; hostes reddidit pacatos: sic nunc, in meis calamitatibus aliquam ferte opem diuinam: vt sæpe multorum in periculis fecistis: sic nunc, in meis miseriis diuinum aliquod auxilium, & numē ostendite. Deinde vos, quorum potestas proximè ad deorū immortaliū numen accedit, oro atq; obsecro: quibus sigillatim sæpe supplex ad pedes iacui: vt eum, quem singuli stratum, atq; abiectum sub-

sublevastis: nunc vniuersi conseruatū velitis. si neminem vnquam vestrum læsi: si nemini innocenti obfui: si etiam è contrario, vt quisq; auxiliū meum desiderauit, opem ferre non dubitaui: si deniq; quæcunq; administraui: ex vestra authoritate & Patrū Conscriptorū voluntate feci: si malui inimicorum cupiditati, quàm Reip. & legitimæ authoritati pœnas sufferre: vt existimetis ex illo crudelissimo inimicorū impetu ereptum, in antiquū statum dignitatis restitui conuenire. Sed quoniam neq; mihi liberè loquendi, neq; vobis clementer audiendi, neq; omnino iudicandi, paucorum furore & audacia facta est potestas: sed oppressa est Resp. armis, metu debilitata seruili: vti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem: cedam inermis armatis, innocens nocentibus, priuatus furibundo magistratui. Neq; enim Q. Metellus quicquam de virtute sua detraxit: quod cessit L. Saturnino furenti: neq; C. Cottā, quod Q. Varroni tribuno plebis, inferiore genere orto cedendum putauit: neq; C. Marius: qui quantas res gesserit, vestra vobis libertas indicio esse poterit. neq; verò M. Tullius suum animum à vestra abalienauit potestate: cum præcipuū vobis obsidem sui animi, vestrā reliquerit libertatē. Quamobrem testor deos, deasq; omnes immortales, vestrasq; maximè mentes: me non vitæ turpitudine, non pro magnitudine scelerū, non propter reliquæ ætatis infamiam, pœnas iure & lege persoluere: sed propter virtutis inuidiā, propter iucundissimam ingenij laudē, propter magnitudinem rerū gestarū, crudelissimè ciuitate priuari. Quod si idem accidit Q. Cepioni: si Mancino, si Rutilio: mihi quoq; hoc accidisse non magnopere erit mirandum: cū præsertim non generis antiquitate, sed virtutis ornamen-

tis summam laudem sim consecutus. Nunc ego vos equites Ro. obtestor: quorum virtute, nomen Romanum victoriam cum laude possidet coniunctam: quorum factis gloriantur ciues: lætantur socij: gemunt hostes: vt si erga vos omni tempore optimè fui animatus: si mea pericula neglexi, dum timorem à patria propulsarem: si æquè liberis vestris prospexi: ac vos parentibus consuestis: vt nunc me velitis vestris opibus defensum, incolumem in hac ciuitate retinere: quæ, cum à scelerata coniuratione esset incensa, meo luctu ac labore restincta est: nec patiamini me à liberis meis abstractum, à coniuge abreptum, ab aris focisq; innocentem proiectum, vitam degere in exilio: miserrimi mortalis casum subire. proijcitur Tullius in exilium. itaq; nimirum innocens ab inimico, religiosus à scelerato, benevolus huic ciuitati ab hoste. O' misera vitæ ratio: quæ tam diu resides in voluptate: quãdiu fortunæ poscit libido. egone inimicus huic ciuitati? quamobrem? quia inimicos necaui. egone hostis? quid ita? quia hostes interfeci. Eheu conditionem huius temporis. antea gloria & laude dignissimi ducebantur, qui hæc perfecerunt: nunc scelerati & parricidæ esse dicuntur, qui hæc administrarunt. sint sanè scelerati: superet istorum victoria: si modo victoria appellanda est, in qua ciuitatis inest luctus: habeant hanc palmam ex innocentis cruore. tantum à vobis illud equites Ro. peto, & rogo: vt quem sæpenumero vestra laude cohonestastis: eundem in dubijs vitæ periculis vestra virtute conseruetis.

AD

AD QVIRITES POST REDITVM ORATIO XXVIII.

Q Vod precatus à Ioue Optimo Maximo, cæterisq; dijs immortalibus sum Quirites, eo tempore, cum me, fortunasq; meas pro vestra incolumitate, ocio, concordiaq; deuoui: vt si meas rationes vnquã vestræ saluti antepositas: sempiternam pœnam sustinerem mea voluntate susceptam: sin & ea, quæ antè gesseram, conseruandæ ciuitatis causa gessissem, & illam miseram profectionem, vestræ salutis gratia suscepissem: vt quod odium scelerati homines, & audaces in Remp. & in omnes bonos conceptum iamdiu continerent: id in me vnum potius, quàm in optimum quemq;, & in vniuersam Remp. deflecterent: hoc si animo in vos, liberosq; vestros fuissem: vt aliquando vos, Patresq; Conscriptos, Italiamq; vniuersam, memoria mei, misericordia, desiderioq; teneret: eius deuotionis me esse conuictum iudicio deorum immortaliũ, testimonio Senatus, consensu Italiæ, confessione inimicorum, beneficio diuino immortaliq; vestro maximè lætor Quirites. Etsi homini nihil est magis optandum: quàm prospera, æquabilis, perpetuaq; fortuna, secundo vitæ sine vlla offensione cursu: tamen si mihi tranquilla, & placata omnia fuissent: incredibili quadam, & penè diuina, qua nunc vestro beneficio fruor: lætitiæ voluptate caruissem. quid dulcius hominum generi à natura datum est, quàm sui cuiq; liberi? mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores. tamen non tanta voluptate erant susceptι: quanta

nunc

nunc sunt restituti. nihil cuiquam fuit vnquam iucundius: quàm mihi meus frater. non tam id sentiebam cum fruebar: quàm tunc cum carebam: & posteaquam vos me illi, & mihi eum reddidistis. res familiaris sua quenq; delectat. reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt: quàm tunc incolumi afferebant. amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi deniq;, & diesfesti, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. iam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quanquam mihi semper clarissima visa sunt: tamen ea nunc renouata illustriora videntur: quàm si obscurata non essent. ipsa autem patria, dy immortales, dici vix potest, quid charitatis, quid voluptatis habet? quæ species Italiæ? quæ celebritas oppidorum? quæ forma regionum? qui agri? quæ fruges? quæ pulchritudo vrbis? quæ humanitas ciuium? quæ Reip. dignitas? quæ vestra maiestas? quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, vt nemo magis. sed tanquã bona valetudo iucundior est eis: qui è graui morbo recreati sunt: quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quàm assiduè percepta, delectant. Quorsum igitur hæc disputo? quorsum? vt intelligere possitis, neminem vnquam tanta eloquentia fuisse, neq; tam diuino atq; incredibili genere dicendi: qui vestrorum magnitudinem multitudinemq; beneficiorũ, quæ in me, fratremq; meum, liberosq; nostros contulistis: non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, paruus sum procreatus. à vobis natus sum Consularis. illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt. vos spectatum & incredibili

incredibili pietate cognitum reddidistis. Remp. illis accepi temporibus eam, quæ penè amissa est. à vobis eam recuperaui: quam aliquando omnes vnius opera seruatam indicauerunt. Dy immortales mihi liberos dederunt: vos reddidistis. multa præterea à dys immortalibus optata consecuti sumus: nisi vestra voluntas fuisset: omnibus diuinis muneribus caruissemus. vestros deniq; honores, quos eramus gradatim singulos assecuti, nunc à vobis vniuersos habemus, vt quantum antea parentibus, quantum dys immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore vniuersò cuncta populo Ro. debeamus. nã cum in ipsò beneficio vestro tanta magnitudo est, vt eam complecti oratione non possim: tum in studys vestris tanta animorum declarata est voluntas: vt non solùm calamitatem mihi detraxisse, sed etiã dignitatem auxisse videamini. Non enim pro meo reditu, vt P. Popilij nobilissimi hominis adolescentes filij, & multi præterea cognati, atq; affines deprecati sunt: non, vt pro Q. Metello clarissimo viro iam spectata ætate filius, non L. Dalmatius Consularis, summa authoritate vir, non Q. Metellus Censorius, non eorum liberi, non Q. Metellus nepos, qui tum Consulatum petebat: non sororũ filij Luculli, Seruilij, Scipiones: permultienim tum Metelli, aut Metellorum liberi pro Q. Metelli reditu vobis, ac patribus vestris supplicauerunt. quod si ipsius summa dignitas, maximæq; res gestæ non satis valerent: tamen filij pietas, propinquorũ preces, adolescentium squalor, maiorum natu lachrymæ, populum Ro. mouere potuerunt. Nam C. Marij, qui post illos veteres clarissimos Consulares, vestra patrumq; memoria, tertius ante me Consularis, subyt indignissimam

fortunam

fortunam præstantissima sua gloria: dissimilis fuit ratio. non enim ille deprecatione redyt: sed in dissensu ciuium, exercitu se, armisq; reuocauit. me autem nudum à propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, Cn. Pisonis generi mei diuina quædam & inaudita authoritas, atq; virtus, fratrisq; mei miserrimi, atq; optimi quotidianæ lachrymæ, sordesq; lugubres à vobis deprecatæ sunt. frater erat vnus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret: qui suo fletu desiderium mei, memoriamq; renouaret: qui statuerat Quirites: si vos me sibi non reddidissetis, eandem subire fortunam: & tanto in me amore extitit: vt negaret fas esse non modo domicilio, sed ne sepulchro quidem se à me esse seiunctum. pro me præsente Senatus hominumq; præterea viginti millia vestem mutauerunt. pro eodem me absente vnius squalorem sordesq; vidistis. vnus hic domi, qui in foro posset esse, mihi ætate filius inuentus est: beneficio parens: amore idem, qui semper fuit, frater. nam coniugis miseræ squalor, & luctus, atq; optimæ filiæ mœror assiduus, filiiq; parui desiderium mei, lachrymæq; pueriles, aut itineribus necessarijs, aut magna parte tectis, ac tenebris continebantur. Quare hoc maius est in nos vestrum promeritum: quod non multitudine propinquorum, sed nobismetipsis nos reddidistis. Sed quemadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandã calamitatem meam non affuerunt: sic illud, quod mea virtus præstare debuit: adiutores, authores, hortatoresq; ad me restituendum ita multi fuerunt: vt longè superiores omnes hac dignitate copiaq; superarem. nunquam de P. Popilio clarissimo, atq; fortissimo viro, nunquam de Q. Metello nobilissimo,

simo, & constantissimo ciue: nunquã de C. Mario custode ciuitatis, atq; imperij vestri in Senatu mentio facta est. tribunitys superiores illi rogationibus, nulla authoritate Senatus sunt restituti. Marius verò non modo non à Senatu, sed etiam oppresso Senatu est restitutus. nec rerum gestarum in reditu C. Marij memoria, sed exercitus atq; arma valuerunt: at de me vt valeret, semper Senatus flagitauit: vt aliquando perficeretur: cum primũ licuit, frequentia atq; authoritate perfecit. nullus in eorum reditu motus municipiorum, & coloniarum factus est. at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta reuocauit. illi inimicis interfectis magna ciuium cæde facta reducti sunt. ego vis, à quibus eiectus sum, prouincias obtinentibus, inimico autem optimo viro, & mitissimo altero consule referente reductus sum. cum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus præbuisset, spiritu duntaxat viueret: re quidem, infra omnes mortuos amandatus esset. Nunquam de populio L. Opimius fortissimus Consul, nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus: sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius homo eloquentissimus, cum A. Albino Collega Senatum, aut populũ est cohortatus: at pro me superiores Consules semper vt referrent efflagitati sunt. sed veriti sunt ne causa gratiæ facere viderentur: quod alter mihi affinis erat: alterius causam capitis receperam: qui prouinciarum fœdere irretiti, totum illum annum querelas Senatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt. Calendis verò Ianu. postea quàm orba Resp. Consulis fidem tanquam legitimi tutoris imploravit: P. Lentulus Consul, parens, deus, salus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis,

minis, simulac de solenni religione retulit: nihil humanarum rerum sibi prius, quàm de me, agendum iudicauit. atq; eo die confecta res esset: nisi is Tribunus plebis, quem ego maximis beneficijs Quæstorem Consul ornaueram: cum & cunctus ordo, & multi eum summi viri orarent: & Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret: noctem sibi ad deliberandum postulasset: quæ deliberatio non in reddenda, quemadmodũ nonnulli arbitrabantur: sed, vt patefactum est, in augenda mercede consumpta est. postea res acta est in Senatu alia nulla: cum varijs rationibus impediretur. & voluntate tamen perspecta Senatus, causa apud vos mense Ianuario deferebatur. hîc tantum interfuit inter me & inimicos meos: ego cum homines in tribunali Aurelio palàm conscribi, centuriarique vidissem: cum intelligerem veteres ad spem cædis Catilinæ copias esse reuocatas: cum viderem ex ea parte homines, cuius partis nos vel principes numerabamur: partim, quod mihi inviderent: partim, quod sibi timerent: aut proditores esse, aut desertores salutis meæ: cum duo Consules empti pactione prouinciarum, authores se inimicis Reip. tradidissent: cum egestatem, auaritiam, libidines suas viderent expleri non posse: nisi me constrictum domesticis hostibus dedidissent: cum Senatus equitesq; Ro. flere pro me ac mutata veste vobis supplicare edictis atq; imperijs vetarentur: cum omnium prouinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarũ, sanguine meo sancirentur: cum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolui: quod & vincere, & vinci luctuosum Reipub. fore putaui. At inimici mei mense

Ianu. cum

Ianu. cum de me ageretur: corporibus ciuium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendũ putauerunt. itaq; cum ego abfui, eam Remp habuistis vt æquè me, atq; illã restituendam putaretis. ego autẽ in qua ciuitate nihil valeret Senatus, omnis esset impunitas, nulla iudicia, vis, & ferrum in foro versarentur: cum priuati se parietum præsidio non legum tuerentur, Tribuni pl. vobis inspectantibus vulnerarentur, ad magistratuũ domos cum ferro, & facibus iretur, Consulis fasces frangerẽtur, deorum immortalium templa incenderentur: Remp. nullã esse putaui. itaq; neq; Rep. exterminata, mihi locũ in hac vrbe esse duxi: nec si illa restituerẽtur, dubitaui quin me secum ipsa reduceret. An ego cum mihi esset exploratissimum: P. Lentulum proximo anno Consulem futurũ: qui illis ipsis Reip. periculosissimis temporibus Aedilis curulis me Consule omnium meorum consiliorũ particeps, periculorumq; socius fuisset: dubitarẽ quin is me confectũ Consularibus vulneribus, Consulari medicina ad salutem reduceret? hoc duce, collega autẽ eius clementissimo atq; optimo viro primo non aduersante, post etiam adiuuante, reliqui magistratus penè omnes fuerunt defensores salutis meæ. ex quibus excellenti animo, virtute, authoritate, præsidio, T. Annius & P. Sextius, præstanti in me beneuolentia, & diuino studio extiterunt. eodemq; P. Lentulo authore, & pariter referente Collega, frequentissimus Senatus vno dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis amplissimis, ornauit: salutẽ vobis, municipijs, colonijsq; omnibus commendauit. ita me nudũ à propinquis, nulla cognatione munitum, Consules, Prætores, Tribuni plebis, Senatus, Italia cuncta

semper à vobis deprecata est: deniq; omnes, qui vestris maximis beneficijs honoribusq; sunt ornati: producti ad vos ab eodē, non sōlū ad me conseruandum nos cohortati sunt: sed etiā rerum mearum gestarum authores, testes, laudatoresq; fuerunt. quorum princeps ad cohortandos vos, & rogandos fuit, Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, ac gloria princeps. qui mihi vnus vni priuato amico, eadē omnia dedit, quæ vniuersæ Reipublicæ salutem, ocium, dignitatem. cuius oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita. primum vos docuit, meis consilijs Rempublicā esse seruatam: causamq; meā cum communi salute coniunxit: hortatusq; est: vt authoritatem Senatus, statum ciuitatis, fortunas ciuis bene meriti, defenderetis. tū in perorando posuit: vos rogari à Senatu, rogari ab equitibus: rogari ab Italia cuncta. denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogauit sōlum, verū etiam obsecrauit. huic ego homini Quirites tantum debeo: quantum hominē homini debere vix fas est. huius consilia, P. Lentuli sententiam, Senatus authoritatem vos secuti, in eo me loco, in quo vestris beneficijs fueram: ijsdem Centurijs, quibus collocaratis, reposuistis. Eodem tempore audistis, eodē ex loco summos viros ornatissimos, atque amplissimos homines, principes ciuitatis, omnes Consulares, omnes prætorios eadem dicere: vt omnium testimonio per me vnum Remp. conseruatam esse constaret. Itaque cum P. Seruilius grauissimus vir & ornatissimus ciuis dixisset, opera mea Rempub. incolumē magistratibus deinceps traditam: dixerunt in eandem sententiam cæteri. sed audistis eo tempore clarissimi viri non sōlum authoritatem, sed etiam Testimonium L.

Gellij:

Gellij: qui quia suam classem attentatam magno cum suo periculo penè sensit, dixit in concione vestra, si ego Consul, cum fui, non fuissem: Rempublicam funditus interituram fuisse. En ego tot testimonijs Quirites, hac authoritate Senatus, tanta consensione Italiæ, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus cæteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, dijs denique immortalibus frugum vbertate, copia, vilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, Reipub. restitutus, tantum vobis, quantum facere possum Quirites, pollicebor. primum qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent: eadem erga me populum Ro. semper fore: numenq; vestrum æquè mihi graue, & sanctum, ac deorum immortalium in omni vita futurum. deinde, quoniā me in ciuitatē Respublica ipsa reduxit: nullo me loco Reipub. defuturum. Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. mihi quod potuit vis, & iniuria, & sceleratorū hominū furor detrahere: eripuit, abstulit, dissipauit. quod viro forti adimi nō potest, id mihi manet, & permanebit. vidi ego fortissimū virū municipem meum, C. Marium, quoniam nobis quasi aliqua fatali necessitate, non sōlum cum his, qui hæc delere voluissent, sed etiam cum fortuna, belligerandum fuit: eum tamen vidi cum esset summa senectute: non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis: sed confirmato atq; renouato. quem egomet dicere audiui: tum se fuisse miserum, cum careret patria, quam obsidione liberauisset: & cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi audiret: cum adolescentem filium videret

eiusdem ſocium calamitatis: cum in paludibus demerſus concurſu ac miſericordia Minturnenſium corpus ac vitam ſuam conſeruaret: cum parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipſe dederat: ad eos ſupplex, inopsq; veniſſet. recuperatâ verò ſua dignitate, ſe non cõmiſſurum: vt cum ea, quæ amiſerat, ſibi reſtitutâ eſſent, virtutem animi non haberet, quã nunquã perdidiſſet. Sed hoc inter me, atq; illũ intereſt: quod ille, quæ plurimum potuit, ea ipſa re inimicos ſuos vltus eſt, armis, ego qua conſueui vtar pietate: quoniã illi arti in bello, ac ſeditione locus eſt: huic in pace, atq; ocio. quãquam ille animo irato nihil niſi de inimicis vlciſcendis agebat: ego de ipſis inimicis tantũ, quantum mihi Reſp. permittet, cogitabo. deniq; Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominũ violarunt: vnum eorũ, qui odio Reip. quod eam ipſis inuitis, conſeruarã, inimiciſſimi fuerunt: alterum, qui per ſimulationem amicitiæ, nefariè me prodiderunt: tertium, qui cum propter inertiam ſuam, eadẽ aſſequi non poſſent: inuidereni laudi, & dignitati meæ: quartum, qui cum cuſtodes Reip. eſſe debuerunt: ſalutẽ meam, ſtatum ciuitatis, dignitatem eius impery, quod erat penes ipſos, vendiderunt: ſic vlciſcar facinora ſingula, quemadmodũ à quibuſq; ſum prouocatus: malos ciues Remp. benè gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atq; omnia cauendo: inuidos, virtuti & gloriæ ſeruiẽdo: mercatores prouinciarum, reuocando domum, atque ab ijs prouinciarum rationem repetendo. Quanquam mihi maiori curæ eſt: quemadmodum quidẽ vobis, qui de me eſtis optimè meriti, gratiam referam: quàm quẽadmodum inimicorum iniurias, crudelitatemq; perſequar. etenim vlciſcẽdæ iniuriæ facilior ratio eſt, quàm bene-

beneficij remunerandi. propterea quod ſuperiorem eſſe contra improbos, minus eſt negocy: quàm bonis exæquari. tum etiã nec tam neceſſarium quidem eſt, malè meritis referre quod debeas: quàm vt benè meritos colas. odiũ vel precibus mitigari poteſt: vel temporibus Reip. cõmuniq; vtilitate deponi: vel difficultate vlciſcendi teneri: vel vetuſtate ſedari. benè meritos quin colas, nec exorari fas eſt, neq; id Reip. repetere vt cunq; neceſſe eſt: neq; eſt excuſatio difficultatis, neq; æquũ eſt tempore, & die memoriã beneficy diffinire. poſtremò qui in vlciſcendo remiſſior fuit, mox apertè laudatur. at grauiſſimè vituperatur, qui in tantis beneficijs, quanta vos in me contuliſtis, remunerandis eſt tardior: neq; ſolum ingratus, quod ipſum graue eſt, verũ etiã impius appelletur neceſſe eſt. Atqui in officio perſoluendo diſſimilis eſt ratio & pecunia debita: propterea, quod pecuniã qui retinet, non diſſoluit: qui reddidit, non habet. gratiã, & qui retulit, habet: & qui habet, diſſoluit. quapropter memoriã veſtri beneficij colã beneuolentia ſempiterna, non ſolũ dũ anima ſuperero mea: ſed etiam cum mortuo monumenta veſtri in me beneficij permanebunt. in referenda autem gratia hoc vobis repromitto, ſemperq; præſtabo: mihi neque in conſilijs de Repub. capiundis, diligentiam, neque in ſententia ſimpliciter referenda, fidem, neq; in hominum voluntatibus pro Repub. lædendis, libertatem, nec in perferendo labore, induſtriam, nec in veſtris cõmodis augendis, gratam animi beneuolentiam defuturam. atque hæc cura Quirites erit infixa animo meo ſempiterna, vt cum vobis, qui apud me deorum immortalium vim & numen tenetis: tum poſteris veſtris,

cunctisq; gentibus, dignissimus ea ciuitate videar: quæ suam dignitatem non posse tenere sc, nisi me recuperasset, cunctis suffragijs iudicauit.

POST

POST REDITVM IN SENATV. ORATIO XXIX.

SI Patres Conscripti pro vestris immortalibus in me, fratremq; meũ, liberosq; nostros meritis, parũ vobis cumulatè gratias egero: quæso, obtestorq;, ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini vestrorũ beneficiorũ id tribuendũ putetis. quæ enim tanta potest existere vbertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tam diuinũ, atq; incredibile genus orationis? quo quisquã possit vestra in nos vniuersa promerita, non dicã cõplecti orando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos, qui dignitatẽ, qui ordinẽ, qui fortunas, qui amplissimã Rempub. qui patriam, qua nihil potest esse iucundius: qui deniq; nosmetipsos nobis reddidistis. Quod si parẽtes carissimos habere debemus: quod ab ijs nobis vita, patrimoniũ, libertas, ciuitas tradita est, si dees immortales, quorum beneficio & hæc tenuimus, & cæteris rebus aucti sumus, si populum Romanum, cuius honoribus in amplissimo consilio, & in altissimo gradu dignitatis, atq; in hac omniũ terrarum arce collocati sumus: si hunc ipsum ordinem, à quo sæpe magnificentissimis decretis sumus honestati: immensum quiddam, & infinitũ est, quod vobis debeamus: qui vestro singulari studio atq; consensu parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi Rom. honores, vestra de me

multa iudicia, nobis vno tempore omnia reddidistis, vt cum multa vobis, magna populo Romano, innumerabilia parentibus, omnia dijs immortalibus: debeamus: quod hæc antea singula per illos habuerimus: nunc vniuersa per vos recuperauerimus. Itaque P.C. quod ne optandum quidem est homini: immortalitatem quandam per vos adepti videmur. quod enim tempus erit vn quã, quo vestrorũ in nos beneficiorũ memoria, ac fama moriatur? qui illo ipso tempore, cum vi, ferro, metu, minis obsessi teneremini: non multò post discessum meum vniuersi me revocauistis, referente L. Mummio fortissimo atq; optimo viro: quẽ habuit ille pestifer annus maximè fidelem, & minimè timidum, si dimicare placuisset, defensorem salutis meæ. posteaquam vobis potestas decernendi non est permissa per eum tribunũ plebis: qui cum per se Remp. lacerare non posset, sub alieno scelere deleuit: nunquã de me siluistis: nunquam meam salutem non ab his Consulibus, qui vendiderant, flagitauistis. itaq; vestro studio atque authoritate perfectum est: vt ille ipse annus, quem ego mihi, quàm patriæ malueram esse fatalem, octo Tribunos haberet: qui promulgarent de salute mea: & ad vos sæpenumero referrent. nam Consules modesti, legumq; metuentes, impediebantur lege, non ea, quæ de me, sed ea quæ de ipsis lata erat. cum meus inimicus promulgauit: vt si reuixissent hi, qui hæc penè delerunt: tum ego redirem. quo facto vtrunque confessus est: & se illorum vitam desiderare: & magno in periculo Rempublicam futuram: si aut hostes, atque interfectores Reipublicæ reuixissent. aut ego non reuertissem. Itaque illo ipso anno, cum ego cessissem, princeps autem ciuitatis, non legum præsidio, sed parietum,

tum, vitam suam tueretur. Respublica sine consulibus esset: neq; solum parentibus perpetuis, verumetiam tutoribus annuis esset orbata: sententias dicere prohiberemini: caput meæ proscriptionis recitaretur: nunquam dubitastis meam salutem cum cõmuni salute coniungere. Postea verò quàm singulari, & præstantissima virtute P. Lentuli Consulis, ex superioris anni caligine, & tenebris lucem in Rep. Cal. Ianu. respicere cœpistis: cum Q. Metelli nobilissimi hominis, atq; optimi viri summa dignitas, cum Prætorum, Tribunorum penè omnium virtus, & fides Reip. subuenisset, cum virtute, gloria, rebus gestis, Cn. Pompeius omnium gentium, omnium sæculorum, omnis memoriæ facilè princeps, tutò se in senatum venire arbitraretur: tantus vester consensus de salute mea fuit: vt licet corpus abesset meum: dignitas iam in patriam reuertisset. quo quidem mense quid inter me & meos inimicos interesset, existimare potuistis. ego meam salutem deseruj: ne propter me ciuiũ vulneribus Resp. cruentarettur. illi meum reditum non populi Romani suffragijs, sed flumine sanguinis intercludendum putauerunt. Itaq; postea nihil vos ciuibus, nihil socijs, nihil regibus respondistis: nihil Iudices sententijs, nihil populus suffragijs, nihil hic ordo authoritate declarauit: mutum fõrum, elinguem curiam, tacitam & fractam ciuitatem videbatis. quo quidem tempore, cum is excessisset: qui cædi & flammæ vobis authoribus restiterat: cum ferro, & facibus homines tota vrbe volitantes, magistratuum tecta oppugnata, deorum templa inflammata, summi viri & clarissimi consulis fasces fractos, fortissimi atque optimi Tribuni pl. sanctissimum corpus non scium tactum, ac violatum

manu, sed vulneratum ferro confectumq; vidistis. qua strage nonnulli permoti magistratus, partim metu mortis, partim desperatione Reip. paululum à mea causa recesserunt. reliqui fuerunt, quos neq; terror, nec vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minæ, nec tela, nec faces à vestra authoritate, à populi Ro. dignitate, à mea salute depellerent. Princeps P. Lentulus parens ac deus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen consulatus sui fore putauit: si me mihi, si meis, si vobis, si Reip. reddidisset. Qui vt est designatus: nunquam dubitauit sententiã de salute mea, & de Rep. dignam dicere. cum à tribunis pl. vetaretur: cum præclarum caput recitaretur: ne quis ad vos referret: ne quis decerneret: ne disputaret: ne loqueretur: ne pedibus iret: ne scribendo adesset: totam illam clausulam, vt antè dixi, proscriptionem, non legem putauit: qua ciuis optimè de Rep. meritus nominatim sine iudicio, vnà cum Senatu Reip. esset ereptus. vt verò inyt magistratum: non dicam quid egerit prius: sed quid omnino egit aliud: nisi vt me conseruato vestrã in posterum dignitatem authoritatemq; sanciret? Dij immortales quantum mihi beneficium dedisse videmini: quod hoc anno P. Lentulus consul fuit: quo quanto maius dedissetis, si superiore anno fuisset. nec enim eguissem medicina consulari: nisi consulari vulnere concidissem. audieram ex sapientissimo homine, atq; optimo ciue, & viro, Q. Catulo, non sæpe vnum consulem improbum, duos verò nunquam, excepto illo Cinnano tempore fuisse. quare meam causam semper fore firmissimam dicere solebant: dum vel vnus in Rep. esset Consul. quod verè dixerat: si illud de duobus Consulibus,

quod

quod antè in Rep. non fuerat: perenne ac proprium manere potuisset. quod si Q. Metellus illo tempore Consul fuisset vnicus: dubitatis quo animo fuerit in me conseruando futurus? cum in restituendo authorem fuisse ascriptoremq; videatis: sed fuerunt duo Consules: quorum mentes angustæ, humiles, praua, oppletæ tenebris, ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti Imperij, nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non Consules, sed mercatores prouinciarum, ac venditores vestræ dignitatis. quorum alter à me Catilinam amatorem suum multis audientibus, alter Cethegum consobrinum reposcebat. qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modo deseruerunt, in causa præsertim publica, & consulari: sed prodiderunt: oppugnarunt: omni auxilio non solum suo, sed etiam vestro, cæterorumq; ordinum spoliatum esse voluerunt. quorum alter tamen neq; me, neq; quenquam fefellit. quis enim vllam vllius boni spem haberet in eo? cuius primum tempus ætatis palàm fuisset ad omnes libidines diuulgatum? qui ne à sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare: qui cum suam rem non minus strenue, quã postea publicam confecisset: egestatem, & luxuriam domestico lenocinio sustentauit: qui nisi in aram tribunatus confugisset, neq; vim Prætoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proscriptionem effugere potuisset: qui in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset: profectò & egestate & improbitate coactus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem Reip. detrimento: quàm quod intra mœnia nefarius hostis prædo-q;

versatus

versatus est. quo inspectante ac sedente, legem Tribunus pl. tulit, ne auspicys obtemperaretur: ne obnunciare concilio, aut comitys, ne legi intercedere liceret: vt lex Helia & Fusia ne valerent: quæ nostri maiores certissima subsidia Reip. contra tribunitios furores esse voluerunt. idemq; postea, cum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio supplex ad eum sordidata venisset: cumq; adolescentes nobilissimi: cunctiq; equites Ro. se ad lenonis impurissimi pedes abiecissent: quo vultu cincinnatus ganeo non solum ciuium lachrymas, verum etiam patriæ preces repudiauit? neq; eo contentus fuit: sed etiam in concionem ascendit: eaq; dixit: quæ si eius vir Catilina reuixisset: dicere non esset ausus: se Nonarum Decembriū, quæ me Consule fuissent, cliuiq; Capitolini pœnas ab Equitibus Ro. esse repetiturum. neq; solum id dixit: sed quos ei commodum fuit, compellauit. L. verò Lamiam equitem Ro. præstanti dignitate hominem, & saluti meæ, pro familiaritate, Reipublicæ, pro fortunis suis amicissimum, Consul imperiosus exire vrbe iussit: & cum vos veste mutandam censuissetis: cunctiq; mutassetis: atq; idem omnes boni iam antè fecissent: ille vnguentis oblitus, cum toga prætexta, quàm omnes Prætores, Aediles q; tum abiecerant: irrisit squalorem vestrum, & luctū grauissimæ ciuitatis: fecitq; quod nemo vnquā Tyrannus; vt quo minus occultè vestrū malum gemeretis, nihil diceret: ne apertè incommoda patriæ lugeretis, ediceret. Cum verò in Circo Flaminio non à Trizbuno pl. Consul in concionem, sed à latrone Archipirata productus esset: primum processit, qua authoritate vir? vini, somni, stupri plenus: madenti coma: composito capillo: grauibus oculis: fluentibus buccis: pressa voce & temulenta

temulenta, quod in ciues indemnatos esset animaduersum: id sibi dixit grauis author vehementissimè displicere. vbi nobis hæc authoritas tam diu tanta latuit? cur in lustris & helluationibus huius calamistrati saltatoris tam eximia virtus tam diu cessauit? Nam ille alter Cesoninus Caluentius ab adolescentia versatus est in foro: cum eum præter simulatam versutamq; tristiciam nulla res commendaret: non consulis studium, non discendi initia rei militaris, non cognoscendorum hominū, non liberalitas. quem præteriens cum incultum horridum mœstumq; vidisses: etiamsi agrestem, & inhumanum existimares: tamen libidinosum & perditum non dubitares. cum hoc homine, aut cum stipite Æthiope, si in foro constitisses: nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanū, neglectum, Cappadocem modò abreptum de grege venalium, diceres. Idem domi quàm libidinosus? quam impurus? quàm intemperans non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus? cum verò literas studere incipit, & helluo immanis cum Græculis philosophari: tum est Epicureus: non penitus illi disciplinæ, quæcunq; est, deditus, sed captus vno verbo voluptatis. habet autem magistros non ex istis ineptis: qui dies totos de officio ac de virtute disserunt: qui ad laborem, ad industriā, ad pericula pro patria subeunda, adhortantur: sed eos qui disputent horam nullam vacuam voluptate esse debere: in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium, delectationem q; versari: his vtitur quasi præfectis libidinum suarum: hi voluptates omnes vestigant, atq; adorantur: hi sunt conditores, instructores q; conuiuij: idem expendunt atq; æstimant voluptates: sententiam q; dicunt:

cunt: & iudicant: quantum cuiq; libidini tribuendum esse videatur. horum ille artibus eruditus, ita cõtempsit hanc prudentissimam ciuitatẽ: vt omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur: si modo vultum importunum in forum detulisset. is non me, quanquam equidem non cognoram eum, propter Pisõnum affinitatem: quam longè hinc ab hoc genere, cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset: sed vos, populumq; Romanum non consilio, neq; eloquentia, quod in multis sæpe accidit, sed rugis supercilioq; decepit. L. Piso tu ne ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista fronte, non vita, tanto supercilio, non enim possum dicere tantis gestis, cum Gabinio consociare consilia pestis meæ? non te illius vnguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamistri notata vestigijs, in eam cognitionem adducebat? vt cum illius re similis fuisses: frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius vti non liceret? cum hoc coire ausus es? vt Consularem dignitatem, vt Reip. statum, vt Senatus authoritatẽ, vt ciuis optimè meriti fortunas prouinciarum fœdere addiceres? te consule, tuis edictis, & imperijs, Senatui populoq; Ro. non est licitum, non modo sententijs, atq; authoritate sua, sed ne luctu quidẽ, ac vestitu Reip. subuenire. Capuæne te putabas, in qua vrbe Domicilium quondã superbiæ fuit: consulem esse, sicut eras, eo tempore? an Romæ? in qua ciuitate omnes ante vos Consules Senatui paruerunt? tu es ausus in Circo Flaminio productus cum tuo illo pari dicere, te semper misericordem fuisse? quo verbo Senatum, atq; omnes bonos tum cum à patria pestem expellerent: crudeles demonstrabas fuisse. tu misericors me affinem tuum, quem comitys prærogatiua

tiua primum custodem præfeceras: quem Cal. Ian. tertio loco sententiam rogaras: constrictum inimicis Reip. tradidisti: tu meum generum propinquum tuum, tu affinẽ tuam filiam mea superbissimis & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti. idemq; tu clementia ac misericordia singulari, cum ego vna cũ Rep. non tribunitio, sed Consulari ictu concidissem: tanto scelere tantaq; intemperantia fuisti: vt ne vnam quidem horam interesse paterere inter meam pestem, & tuam prædam. saltem dũ conticesceret illa lamentatio, & gemitus vrbis. nondum pulchrum factum erat concidisse Rempublicam: cum tibi arbitria funeris solue bantur: vno eodemq; tempore domus mea diripiebatur: ardebat: bona ad vicinũ Consulem de palatio, de Thusculano ad item vicinum alterum Consulem deferebantur: cum ijsdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo à bonis, sed etiam liberis, atq; inani foro, ignaro populo Ro. quid ageretur, Senatu vero oppresso, & afflicto, duobus impys, nefarijsq; Consulibus, Aerarium, Prouinciæ, Legiones, Imperia donabantur. Horum Consulum ruinas, vos Consules vestra virtute fulsistis, summa Tribunorum pleb. Prætorumq; fide, & diligentia sublenati. Quid ego de præstantissimo viro T. Annio dicam? aut quis de tali ciue satis dignè vnquam loquetur? qui cum videret sceleratum ciuem, aut domesticum potius hostem, si legibus vti liceret: iudicio esse frangendum: sin ipsa iudicia vis impediret, ac tolleret: audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim vi esse superandam: primo de vi postulauit: posteaquam ab eodem iudicia sublata esse vidit: ne ille omnia vi posset efficere, curauit.

uit. qui docuit neq; tecta, neq; templa, neq; forum, neque curiam, sine summa virtute, ac maximis opibus, & copys ab intestino latrocinio posse defendi. qui primus post meum discessum metum bonis, timorem huic ordini, seruitutem depulit ciuitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius secutus, pro mea salute, pro vestra authoritate, pro statu ciuitatis, nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ discrimen vitandum vnquam putauit. qui causam Senatus exagitatam concionibus improborum, sic sua diligentia multitudini commendauit: vt nihil tam populare, quàm vestrum nomen: nihil tam omnibus carum, aliquando, quàm vestra authoritas videretur. qui me cum omnibus rebus, quibus Tribunus pl. potuit, defendit: tum reliquis officijs iuxta, ac si meus frater esset, sustentauit. cuius ego clientibus, libertis, familia, copijs, literis, tta sum sustentatus: vt meæ calamitatis non adiutor solum, verum etiam socius videretur. Iam cæterorum officia studiaq; vidistis: quàm cupidus mei C. Cestilius, quàm studiosus vestri, quàm non varius fuerit in causa. quid Mosopius? cui ego ipsi, parenti, fratriq; eius, sentio quantum debeam. qui cum à me voluntas eorum, in priuato iudicio esset offensa: publici mei beneficij memoriæ priuatam offensionẽ obliteraverunt. Iam T. Fadius, qui mihi Quæstor fuit: M. Curtius cuius, ego patri Quæstor fui: studio, amore, animo huic necessitudini non defuerunt. multa de me C. Messinius, & amicitiæ & Reip. causa dixit: legem separatim initio de salute mea promulgauit. Q. Fabricius, si quæ de me agere conatus est: ea contra vim & ferrum persicere potuisset: mense Ianu. nostrum statum recuperas-

semus. quem ad salutẽ meã voluntas impulit: vis retardauit: authoritas vestra reuocauit. Iam verò Prætores quo animo in me fuerunt vos existimare potuistis: cũ L. Cecilius priuatim me suis omnibus copijs studuerit sustentare: publicè promulgarit de salute mea cum collegis pènè omnibus: direptoribus auiẽ meorũ bonorum in ius adeundi potestatẽ non fecerit. M. autem Calidius statim designatus, sententia sua, quã esset sibi cara mea salus declarauit. omnia officia C. Septimij, Q. Valerij, P. Crassi, Sex. Quintilij, C. Cornuti, summa & in me, & in Rẽp. constiterunt. quæ cum libenter cõmemoro, nemo enim gratiarũ immemor, est gratus inuentus, tum non inuitus, nonnullorũ in me nefariè commissa prætereo. non est mei temporis iniurias meminisse: quas ego, etiãsi vlcisci possem, tamen obliuisci mallẽ. aliò transferenda mea tota vita est: vt benè de me meritis referã gratiã, cum apertis hostibus bellum gerã: timidis amicis ignoscam: proditoribus meis, non indicè dolorẽ profectionis meæ: defensores, reditus dignitate consoler. Quid si mihi nullum aliud esset officiũ in omni vita reliquũ: nisi vt erga duces ipsos, & principes, atq; authores salutis meæ, satis gratus iudicarer: tamẽ exiguum reliquæ vitæ tempus non modo ad referendã, verũetiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. quando enim ego huic homini, ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quæ memoria? quæ vis ingeny? quæ magnitudo obseruantiæ, tot tantisq; beneficijs respondere poterit? qui mihi primus afflicto, & iacenti, consularem fidẽ, dexteram q; porrèxit: qui me à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem reuocauit. qui tanto amore in me, studio in Remp. fuit? vt excogitaret quemadmodum ca-

lamitatem meam nõ modo leuaret, sed etiã honestaret? quid enim magnificentius? quid præclarius mihi accidere potuit? quàm quod illo petente vos decreuistis: vt cuncti ex omni Italia, qui Remp. saluam vellent: ad me vnum hominem fractum, & propè dissipatum restituendũ & defendendum venirent. vt qua voce à te Romule post vrbẽ conditã Consul vsus esset, pro vniuersa Rep. apud eos solũ, qui eius vocem exaudire possent: eadẽ voce Senatus omnibus agris, vicis atq; oppidis, ciues, totamq; Italiam ad vnius salutẽ defendendã excitaret. quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere? quàm hoc, Senatũ iudicasse: qui ciuis me non defendisset, eum Remp. saluam noluisse? itaq; tantum vestra authoritas, tantum eximia Consulis dignitas valuit: vt omne is flagitium se cõmittere putaret: si quis non veniret. Idemq; Consul, cum illa incredibilis multitudo Romã: & penè Italia ipsa venisses: vos frequentissimos in Capitolium conuocauit: quo tempore quantã vim vera bonitas haberet, aut vera nobilitas: intelligere potuistis. nam Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perspecta vestra voluntate, omnia priuata odia deposuit. quẽ P. Seruilius, vir cum clarissimus, tũ verò optimus, mihiq; amicissimus, & authoritatis, & orationis suæ diuina quadam grauitate, ad sui generis, communisq; sanguinis facta virtutesq; reuocauit: vt haberet in consilio & fratrem ab inferis socium rerum mearum, & omnes Metellos præstantissimos ciues, penè ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicũ illum Metellum: cuius quondã de patria discessus honestis omnibus luctuosus tandem visus est. Itaq; extitit non modo salutis defensor: qui ante hoc vnum beneficiũ fuerat inimicus: verum etiam ascriptor dignitatis meæ.

Quo

Quo quidem die cum CCCCXVII essetis: magistratusq; omnes adessent: dissensit vnus is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. atq; illo die, quod Remp. meis consilijs conseruatam grauissimis verbis, & plurimis iudicassetis: idem Consul curauit, vt eadẽ à principibus ciuitatis in cõcione postero die disceptẽtur. cũ quidem ipse egit ornatissimè causam meam, perfecitq; astante, atque audiente Italia tota, vt nemo cuiusquã conducti, aut perditi vocem acerbam atq; inimicã bonis, posset audire. Ad hæc non modo adiumẽta salutis, sed etiam ornamenta dignitatis meæ reliqua vos ijdẽ addidistis: decreuistis, ne quis vlla ratione rem impediret: qui id impedisset, grauiter molesteq; laturos: illũ contra Remp. salutemq; bonorũ, concordiamq; ciuium, facturum: & vt ad vos ea statim referrentur: meq; etiã, si diutius calumniarentur, redire iussistis. quid? vt agerentur gratia, qui è municipijs venissent? quid? vt ad illã diem rus cũ redissent: rogarentur, vt pari studio conuenirent? quid deniq; illo die, quem P. Lẽtulus mihi fratriq; meo, liberisq; nostris natalẽ constituit, non modo ad nostram, verũ etiam ad sempiterni memoriã temporis: quo die nos comitijs Centuriatis, quæ maximè maiores iusta dici, haberiq; voluerunt: arcessiuit in patriã: vt eadẽ Centuriæ, quæ me Consulem fecerant, Consulatũ meum comprobarent: quo die quis ciuis fuit, qui fas esse putaret, quacunq; aut ætate, aut valetudine esset: non se de salute mea sententiã ferre? quando tantã frequentiam in cãpo? tantum splendorem Italiæ totius, ordinumq; omnium? quando illa dignitate tot rogatores, tutores, custodesq; vidistis? Itaq; P. Lentuli beneficio excellenti atque diuino non solum reducti sumus in patriam: sicut non-

nulli clarissimi ciues: sed equis insignibus, & curru aureo reportati. Possum ego satis in Cn. Pompeium vnquam gratus videri? qui non solũ apud vos, qui omnes idẽ sentiebatis: sed etiã apud vniuersum populũ Romanũ salutem Reip. & conseruatã per me, & coniunctam esse cum mea dixerit. qui causam meã prudentibus cõmendarit: imperitos edocuerit: eodemq; tempore improbos authoritate sua cõpresserit: bonos excitarit. qui populũ Ro pro me, tanquã pro fratre, aut pro parente, non solum hortatus sit: verũ etiam obsecrarit. qui cum ipse propter metum dimicationis, & sanguinis domo se teneret: etiam à superioribus tribunis petierit: vt de salute mea, & promulgarent, & referrent. qui in colonia nuper constituta cum ipse gereret magistratum: in qua nemo erat emptus intercessorum: vim & crudelitatem priuilegij, authoritate honestissimorum hominum & publicis literis consignauit, princepsq;, Italiæ totius præsidiũ ad nostrã salutem implorandum putauit. qui cũ ipse mihi semper amicissimus fuisset: etiam vt suos necessarios mihi amicos redderet, elaborauit. Quibus autem officijs T. Annij beneficia remunerabor? cuius omnis ratio, cogitatio, totum denique Tribunatus, nihil aliud fuit: nisi constans, perpetua, fortis, inuicta defensio salutis meæ? Quid de P. Sextio loquar: qui suam erga me benevolentiã & fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendit? vobis verò P.C. singulis & egi, & agam gratias vniuersis. egi initio, quantum potui. satis ornate agere nullo modo possum. Et quanquam sunt in me præcipua merita multorum, quæ sileri nullo modo possunt: tamen huius temporis ac timoris mei non est, conari cõmemorare beneficia singulorum. nam difficile est nõ aliquem, ne[fa]

quen-

quenquam præterire. Ego vos vniuersos Patres Conscripti deorum numero colere debeo. sed vt in ipsis dijs immortalibus non semper eodem, atq; alias alios solemus & venerari, & precari: sic in hominibus de me diuinitus meritis omnis erit ætas mihi ad eorum in me merita prædicanda, atq; recolenda. hodierno autẽ die nominatim à me magistratibus statui gratias esse agendas: & de priuatis vni: qui pro salute mea, municipia colonias q; adisset: populũ Ro. supplex obsecrasset: sententiã dixisset eam: quam vos secuti, mihi dignitatẽ meam reddidistis. vos me florentem semper ornastis: laborantẽ, mutatione vestis, & propè luctu vestro, quoad licuit, defendistis: nostra memoria Senatores, ne in suis quidem periculis, mutare vestem solebant: in meo periculo Senatus veste mutata fuit: quoad licuit per eorum edicta: qui mea pericula non modo suo præsidio, sed etiã vestra deprecatione nudarunt. quibus ego rebus obiectis, cum mihi priuato confligendum viderẽ cum eodem exercitu: quẽ Consul non armis, sed vestra authoritate superaram: multa mecum ipse reputaui. dixerat in concione Consul, se cliui Capitolini pœnas ab Equitibus Ro. repetiturũ: nominatim alij compellabantur: alij citabantur: alij relegabantur: aditus templorum erant non solũ præsidijs, & manu, verum etiam demolitione sublati. alter Consul vt me & Remp. non modo desererent: sed etiam hostibus Reip. proderent: pactionibus eos suorum præmiorũ obligarat. erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoq; exercitu: quẽ ego inimicum mihi fuisse non dico: tacuisse cũ diceretur esse inimicus, scio. duæ partes esse Reip. cũ putarentur: altera me deposcere propter inimicitias, altera timide defendere propter suspicionem

cædis putabatur. qui autem me deposcere videbantur: in hoc auxerunt dimicationis metum: quod nunquam inficiando suspicionem hominum, curamq; minuerunt. quare cum viderē Senatum ducibus orbatū: me à magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum: seruos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos: copias omneis Catilinæ penè ijsdem ducibus ad spem cædis, & incendiorum esse reuocatas: equites Ro. proscriptionis, municipia vastitatis, omnes cædis metu esse perterritos: potui P.C. multis authoribus fortissimis viris, me vi, armisq; defendere. nec mihi ipse ille animus idem meus, vobis non incognitus defuit: sed videbam, si vicissem præsentem aduersarium: nimiū multos mihi alios esse vincendos. si victus essem: multis bonis & pro me, & mecum, & post me esse pereundū: tribunitijq; sanguinis vltores esse præsentes: mea morte pœnas iudicio, & posteritati reseruari nolui, cum Consul cōmunem salutem sine ferro defendissem: meam priuatus armis defendere: bonosq; viros lugere malui meis fortunas, quàm suis desperare. At si solus essem interfectus: mihi turpe: si cū multis, Reip. funestū fore videbatur. Quod si mihi æternam esse propositam arumnam arbitrarer: morte me ipse potius, quàm sempiterno dolore mulctassem. sed cum viderem me, non diutius, quàm ipsam Remp. ex hac vrbe abfuturum: neq; ego illa exterminata, mihi remanendum putaui: & illa simulatq; reuocata est: me secum pariter reportauit. mecū leges, mecum quæstiones, mecū iura magistratuū, mecum Senatus authoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum vbertas, mecum deorum & hominum sanctitates omnes, & religiones abfuerunt. quæ si semper abessent: magis

vestras

vestras fortunas lugerem: quā desiderarem meas. sin aliquando reuocarentur: intelligebā mihi cū illis vnà esse redeundū. Cuius mei sensus certissimus testis est hic idē, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius. qui omnibus prouincialibus ornamentis, cōmodisq; depositis, totam suam Quæsturam in me sustentando, & conseruando collocauit. quī si mihi Quæstor Imperatori fuisset, in filij loco fuisset. nunc certè erit parentis: cum fuerit Quæstor non imperij, sed doloris mei. Quapropter P.C. quoniam in Remp sum pariter cū Rep. restitutus: non modo in ea defendenda nihil minuā de libertate mea pristina: sed etiā adaugebo. etenim si eam tū defendebam: cum mihi aliquid illa debebat: quid nunc me facere oportet: cum ego illi plurimū debeo? nā quid est: quod animum meum frangere, aut debilitare possit? cuius ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiā diuinorū in Remp. beneficiorū testem esse videatis? nam importata est, quia defenderam ciuitatem: & mea voluntate suscepta est: ne à me defensa Resp. per eundem me extremū in discrimen vocaretur. pro me non, vt pro P. Popilio nobilissimo homine adolescentes filij, non propinquorum multitudo populum Ro. est deprecata: non, vt pro Q. Metello summo & clarissimo viro spectatæ iam adolescentiæ filius, non L. & C. Metelli Consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat: non Luculli, Seruilij, Scipiones, Metellorum filij flentes ac sordidati populo Ro. supplicauerunt. sed vnus frater qui in me pietate filius, consilijs parens, amore, vt erat, frater inuentus est: squalore, & lachrymis, & quotidianis precibus, desiderio mei nominis renouari, & rerum gestarū memoriā vsurpari coëgit. qui cum statuisset, nisi

per vos me recuperasset: eandem subire fortunam, atque idem sibi domicilium & vitæ & mortis deposceret: tamen nunquam nec magnitudine negocij, nec solitudinem suam, nec vim inimicorum, ac tela pertimuit. Alter sint propugnator mearum fortunarum, & defensor assiduus, summa virtute & pietate C. Piso gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui Consulis, qui Pontum, & Bithyniam Quæstor pro mea salute neglexit. nihil vnquam Senatus de P. Popilio decreuit: nunquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. tribunitijs sunt illi rogationibus, interfectis inimicis? deniq; nulla authoritate Senatus, restituti: cum alter eorum Senatui paruisset: alter vim cædemq; fugisset. nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius anteme Consularis tempestate ciuili expulsus est: non modo à Senatu non est restitutus: sed reditu suo Senatum cunctum penè deleuit. nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad Remp. defendendam populi Ro. conuocatio, nullius Italiæ motus, nulla decreta municipiorum, & Coloniarum extiterunt. Quare cum me vestra authoritas accersierit: populus Ro. reuocarit: Resp. implorarit: Italia cuncta penè suis humeris reportarit: non committam P. C. vt cum ea sint mihi restituta, quæ in potestate mea non fuerunt: ea non habeam: quæ ipse præstare possim: præsertim cum illa amissa recuperarim: virtutem & fidem nunquam amiserim.

PRO

PRO DOMO SVA AD PONTIFICES ORATIO XXX.

CVm multa diuinitus Pontifices à maioribus nostris inuenta atq; instituta sunt: tum nihil præclarius: quàm quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipub. præesse voluerunt: vt amplissimi & clarissimi ciues Remp. benegerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando, Remp. conseruarent. quod si vllo tempore magna causa in sacerdotiũ populi Romani iudicio, ac potestate versata est: hæc profectò tanta est: vt omnis Reip. dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatiq; commissa, creditaq; esse videantur. vobis hodierno die constituendum est: vtrum post hac amentes ac perditos magistratus improborum, ac sceleratorum ciuium præsidio nudare, an etiam deorum immortalium religione armare malitis. nam si illa labes, ac flamma Reip. suum illum pestiferum, & funestum tribunatum, quem æquitate humana tueri non potest: diuina religione defenderit: aliæ ceremoniæ nobis erunt, alij antistites deorum immortalium, alij interpretes religionum requirendi. sin autem vestra authoritate, sapientiaq; Pontifices, ea quæ furore improborum in Repub. ab alijs oppressa, ab alijs deserta, ab alijs prodita, gesta sunt: rescinduntur: erit causa, qua consilium maiorum in amplissimis viris ad sacerdotia deligendis iure, ac merito laudare possimus. Sed quoniam ille demens: si ea quæ

ego per hos dies in senatu de Rep. sensi, vituperasset: aliquem se aditum ad aures vestras esse habiturum putauit: omittam ordinem dicendi meum: respondebo hominis furiosi non orationi, quæ ille uti non potest: sed conuitio, cuius exercitationē cum intolerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate muniuit. Ac primum illud à te homine vesano, ac furioso requiro: quæ te tanta pœna tuorum scelerum flagitiorumq; vexet? vt hos tales viros, qui non solum consilijs suis, sed etiam specie ipsa dignitatem Reip. sustinent: quod ego in sententia dicenda salutem ciuium cum honore Cn. Pompeij coniunxerim: mihi esse iratos, & aliud de summa hoc tempore religione sensuros, ac me absente senserint, arbitrere? fuisti tu, inquit, apud pontifices superior: sed etiam quoniam te ad populum contulisti, sis inferior necesse est. ita ne verò? quod in imperita multitudine est vicioſissimū: varietas, & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio: hoc tu ad hos transferas? quos ab in constantia grauitas, à libidinosa sententia certum & definitum ius religionum, vetustas exemplorum, authoritas literarum, monumentorumq; deterret? tu nec es ille inquit: quo senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem Resp. desiderauit? quo restituto senatus authoritatem restitutam putabamus? quamprimum adueniens prodidisti. Nondum de mea sententia dico: impudentiæ primum respondebo tuæ. Hunc igitur funestā Reip. pestis, hunc tu ciuem ferro, & armis, & exercitus terrore, & Consulum scelere, & audacissimorum hominum minis, seruorum delectu, ob sessione templorum, occupatione fori, oppressione curiæ, domo, & patria, ne cum improbis boni dimicarent:

rent: cedere curasti? quem à senatu, quem à bonis omnibus, quem à cuncta Italia desideratum, accersitum, reuocatum, conseruandæ Reip. causa confiteris? At enim in senatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die non debuisti. Ego verò neq; veni, & domi me tenui: quam diu turbulentum tempus fuit: cū seruos tuos ad rapinam, ad bonorum cædem paratos, cum illa tua conscleratorum ac perditorum manu armatos in Capitolium tecum venisse constabat. quod cum mihi nunciaretur: scio me domi mansisse: & tibi & gladiatoribus tuis instauranda cædis potestatem non feciſſe. postea quàm mihi nunciatum est, populum Rom. in Capitolium propter metum, atque inopiam rei frumentariæ conueniſſe: ministros autem scelerum tuorum perterritos, partim amissis gladijs, partim ereptis diffugisse: veni non solum sine vllis copijs, ac manu, verum etiam cum paucis amicis. An ego cum P. Lentulus Consul optimè de me ac de Repub. meritus, cū Q. Metellus, qui, cum meus inimicus esset, frater tuus, & dissensioni nostræ, & precibus tuis salutem ac dignitatem meam prætulisset, me arcesserent in senatum: cum tanta multitudo, ciuium, tam recenti officio suo me ad referendam gratiā nominatim vocarent, non venirem? cum præsertim te iam illinc cum tua fugitiuorum manu discessisse cōstaret. Hic tu me etiam custodem defensoremq; Capitolij, templorumq; omnium, hostem capitolinum appellare ausus es? quod, cum in Capitolio Senatum duo Consules haberent, eò venirem. vtrum ne est tempus aliquod: quo in senatum venisse turpe sit? an res illa talis erat de qua agebatur: vt rē ipsam repudiare, & eos qui agebant, condemnare deberem? Primum dico Senatoris esse boni

ui, semper in senatum venire: nec cum his sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire: non intelligentes hanc suam nimiā perseuerantiam, vehementer ys, quorum animum offendere voluerunt, & gratam & iucundam fuisse. at enim nonnulli propter timorem, quod se in senatu tutò non esse arbitrabantur: discesserunt. non reprehendo: nec quæro, fuerit ne aliquid pertimescendum. puto arbitrio suo quenq; timere oportere. cur ego non timuerim, quæris? quia te illinc abysse constabat. cur cum viri boni nonnulli putarint tutò se in senatu esse non posse, ego non idem senserim? cur cum ego me existimassem tutò omnino in ciuitate esse nō posse, illuc irem? an alys licet & recte licet in meo metu sibi nihil timere? mihi vni necesse erit, & meam, & aliorum vicem pertimescere? an quia non condemnaui sententia mea duos Consules, sum reprehendendus? eos igitur ego potissimum damnare debui? quorum lege perfectum est, ne ego indemnatus, atq; optimè de Rep. meritus, damnatorum pœnam sustinerem? quorum etiam delicta propter eorum egregiam in me conseruando voluntatem, non modo me, sed omnes bonos ferre oportere: eorum optimum consilium ego potissimum per eos in meam pristinam dignitatem restitutus, consilio repudiarem meo? At quam sententiam dixi? primum eam, quam populi sermo in animis nostris iam antè defixerat: deinde eam, quæ erat superioribus diebus agitata in senatu: deinde eam, quam senatus frequens, tum, cum mihi est assensus, secutus est: vt neq; allata sit à me res inopinata ac recens: nec si quod in sententia vicium est: maius sit eius, qui dixerit: quàm omnium qui probarint. At enim liberum senatus iudicium propter metum

tum non fuit. si timuisse eos facis, qui discesserunt: concede non timuisse eos, qui remanserunt. sin autem sine ys qui tum abfuerunt, nihil decerni liberè potuit: cum omnes adessent, cœptum est referri de inducendo S. Consulto. ab vniuerso senatu reclamatum est. Sed quæro in ipsa sententia, quoniam princeps ego sum eius, atq; author, quid reprehendatur? vtrum causa capiendi noui consily non fuit? an meæ partes in ea causa non præcipuæ fuerunt? an alìò potius confugiendum fuit? quæ res, quæ causa maior esse, quàm fames potuit? quàm seditio? quàm consilia tua, tuorumq;? qui facultate oblata ad imperitorum animos incitandos, renouaturum te tua illis funesta latrocinia ab annonæ causam putaruni. frumentum prouinciæ frumentariæ partim non habebant: partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miserant: partim, quo gratius esset, tum, cum in ipsa fame subuenissent, custodijs suis clausum continebant: vt subitò nouum mitterent. res erat non in opinione dubia, sed in præsentia, atq; ante oculos proposito periculo: neque id coniectura prospiciebamus, sed iam experti videbamus. nam cum ingraueseceret annona: vt iam plena inopia, ac fames, nō caritas timeretur: concursus est ad templum Concordiæ factus, Senatum illuc vocante Metello Consule. qui si verus fuit, ex dolore hominum & fame, certè Consules causam suscipere, certè Senatus aliquid consily capere potuit. Sin in causa fuit annona: seditionis quidem stimulator & concitator, tu fuisti: nonne id agendum nobis omnibus fuit? vt materiem subtraheremus furori tuo? quid si vtrunq; fuit? & vt fames stimularet homines: & tu in hoc vlcere tanquam vnguis existeres: nonne fuit eo maior adhibenda medicina? quæ

&

& illud natiuum, & hoc delectum malum sanare posset? erat igitur & præsens caritas: & futura fames. in de saxis facta lapidatio est, si ex dolore plebeio nullo incitante, magnum malum: si P. Clodij impulsu, vsitatum hominis facinorosi scelus. vtrunq3, si vt res esset ea, quæ sua sponte multitudinis animos incitaret: & parati atq3 armati seditionis duces: videtur ne ipsa Respub. & consulis auxilium imploraſſe? & Senatus fidem? atqui vtrunque fuisse perspicuum est. difficultatem annonæ, summamq3 inopiam rei frumentariæ, vt homines non iam diuturnam caritatem, sed vt famẽ planè timerent: nemo negat. hunc istum ocy, & pacis hostem causam arrepturũ fuisse ad incendia, cades, rapinas, nolo Pontifices suspicemini, nisi videritis. qui sunt homines à Q. Metello fratre tuo consule in Senatu palàm nominati? à quibus ille se lapidibus appetitum & percussum esse dixit? L. Sergium & M. Lollium nominauit. quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est: qui te Tribuno pl. nihil de me dicam: sed qui Cn. Pompeium interficiendum depoposcit. quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorũ, damnatus iniuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiæ. His atq3 huiusmodi ducibus, cum tu in annonæ caritate, in consules, in senatum, in bona, fortunasq3 locupletum, per causam inopum atq3 peregrinorum, repentinos impetus comparares. cum tibi salus esse in ocio nulla posset: cum de speratis ducibus decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum: nonne prouidendum senatui fuit, ne in hanc tantam materiem seditionis, ista funesta fax adhæresceret? fuit igitur causa capiendi noui consilij. videte

dete nunc, fuerint ne partes meæ præcipuæ. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem cæteræ pestes in lapidatione illa nominabant? quem annonam præstare oportere dicebant? nonne me? quid puerorum illa concursatio nocturna? num à teipso instituta, me frumentum flagitabunt, quasi verò ego aut rei frumentariæ præfuissem: aut compressum aliquod frumentum tenerem: aut in isto genere omnino quicquã aut curatione, aut potestate valuissem. sed homo ad cædem imminens, meum nomen operis ediderat: imperitis iniecerat. cum de mea dignitate in templo Iouis Optimi Maximi Senatus frequentissimus, vno isto dissentiente decreuisset: subito illo ipso die carissimam annonam nec opinata vilitas consecuta est. erant qui deos immortales id quod ego sentio, numine suo reditum meum dicerent comprobasse. nonnulli autem illam rem ad illam rationem coniecturamq3 reuocabant: qui, quod in meo reditu spes ocy, & concordiæ sita videbatur, in discessu autem quotidianus seditionis timor: iam penè belli depulsõ metu commutatam esse annonam dicebant: quæ quia rursus in meo reditu facta erat durior: à me, cuius aduentu fere vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. ego deniq3 non solum ab operis tuis impulsu tuo nominabar: sed etiam depulsis ac dissipatis tuis copijs à populo Ro. vniuerso, qui tum in Capitolium conuenerat, cum illo die minus valerem: nominatim in senatum vocabar. veni expectatus, multis sententijs iam dictis, rogatus sum: sententiam dixi Reip. saluberrimam, ac mihi necessariam. petebatur à me frumenti copia, annonæ vilitas: quasi possem aliquid in ea re gerenda, non habebatur. flagitabar bonorum expostulatione: improborum

conuicia

conuicia sustinere non poteram. delegaui amico locupletiori: non quo illi ita de me merito onus illud imponerē, succubuissem enim potius ipse, sed quia videbā id, quod omnes: quod nos de Cn. Pompeio polliceremur: id illum fide, consilio, virtute, authoritate, felicitate denique sua facillimè perfecturum. itaq; siue hunc dij immortales fructum mei reditus populo Ro. tribuunt: vt quemadmodum discessu meo scelerū impunitas, fuga, formido, discordia fuisset: sic reditu meo vbertas agrorum, frugum copia, spes otij, tranquillitas animorū, iudicia, leges, concordia populi, Senatus authoritas mecū simul reducta videantur: siue egomet aliquid aduentu meo, consilio, authoritate, diligentia pro tanto beneficio populo Ro. præstare debui: præsto: promitto: spondeo: nihil dico amplius: hoc quod satis est huic tempori dico: Remp. annonæ nomine, in id discrimē. quod vocabatur, non esse venturam. num igitur in hoc officio, quod fuit præcipuè meū: sententia mea reprehenditur? rem maximam eripui à peste summi periculi: non solum eam, sed etiam vos à cede, incendijs, vastitate. nemo negat, cū ad causam caritatis accederet iste speculator cōmunium miseriarum: qui semper in Reip. malis sceleris sui faces inflammarit: Negat oportuisse quicquam vni extra ordinem decerni. Non iam tibi sic respondebo, vt cæteris. Cn. Pompeio plurima, periculosissima, maxima, terra mariq; bella extra ordinē sunt commissa: quarum rerum si quem pœniteat, eum victoriæ populi Ro. necesse est pœnitere. non ita tecum ago. cum his hæc à me haberi oratio potest, qui ita disputant: se, si qua res ad vnum deferenda sit: ad Cn. Pompeium delaturos potissimum. sed se extra ordinem

dinem nihil cuiquam dare: cum Pompeio datū sit: id se pro dignitate hominis ornare, ac tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem impedior Cn. Pompei triumphis: quibus ille, cū esset extra ordinem ad patriam defendendam vocatus: auxit nomen populi Romani, imperiumq; honestauit. constantiam probo. quam mihi quoq; vtendū fuit: quo illo authore extra ordinē bellum cum Mithridate, Tigraneq; gessit. sed cum illis tamen possum aliquid disputare. tua verò quæ tanta impudentia est? vt audeas dicere extra ordinē dari nihil cuiquā oportere? qui cū lege nefaria Ptolemæū regem Cypri, fratrē regis Alexandrini eodē iure regnantem causa incognita publicasses: populumq; Rom. scelere obligasses: cum in eius regnum, bona, fortunas, latrocinium huius imperij immisisses: cuius cum patre, auo, maioribus, societas nobis, & amicitia fuisset: huius pecuniæ deportandæ, & si quis suum ius defenderet: bello gerendo, M. Catonem præfecisti. dices quem virum? sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum Reipub. virtute, consilio, ratione vitæ mirabili ad laudem, & propè singulari. sed quid ad te? qui negas esse iuris quenquam vlli Reipublicæ extra ordinem præfici? atq; in hoc solū inconstantiā redarguo tuā: qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras: sed pro tuo scelere subduxeras: quem tuis Sergijs, Lollys, Titys, cæterisq; cædis, & incendiorum ducibus, obieceras: quē carnificem ciuium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis authorem fuisse dixeras: ad hunc honorem, & imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti: & tanta fuisti intemperantia: vt illius tui sceleris rationem occultare non posses. Literas in concione re-

citaſti: quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres. CAESAR P. CLODIO. cum etiam es argumentatus, amoris eſſe hoc ſignum: cum nominibus tantũ vteretur: neque aſcriberet Proconſuli, aut Tribuno pl. Deinde gratulari tibi: quod idem in poſterum M. Catonem, Tribunatu tuo remouiſſes: & quod idem in poſterum de extraordinarijs poteſtatibus libertatem ademiſſes. Quas aut nunquã tibi ille literas miſit: ſiue miſit: in concione recitari noluit. aut ſiue ille miſit: aut ſi tu finxiſti: certè conſilium tuum de Catonis honore, illarum literarum recitatione patefactum eſt. ſed omitto Catonem: cuius eximia virtus, dignitas, & in eo negocio, quod geſſit, fides, & continentia tegere videntur improbitatem & legis, et actionis tuæ. quis prouinciam homini poſt homines natos turpiſſimo, ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo, quis illam opimam fertilemq; Syriam, quis bellũ pacatiſſimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros conſtitutam, ereptam vi ex Cæſaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Cui quidem cum Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem: & Ciliciam ad Prætorem ita extraordinem tranſtuliſti: Gabinio precio amplificato Syriã nominatim dediſti. quid? homini teterrimo, crudeliſſimo, fallaciſſimo, omnium ſcelerum libidinumq; maculis notatiſſimo, L. Piſoni, nonne nominatim populos liberos, multis ſenatuſconſultis, etiam recenti lege ſoceri ipſius liberatos, vinctos & conſtrictos tradidiſti? nonne cum ab eo merces tui beneficij, preciumq; prouinciæ meo ſangu ne tibi eſſet perſolutũ: tamen ærarium cum eo partitus es? Itane verò? tu prouincias Conſulares, quas C. Gracchus, qui vnus maximè popularis fuit? non modo nõ abſtulit ab Senatu: ſed etiam vt neceſſe eſſet, quotannis

annis conſtitui per Senatum decreta lege ſanxit: eas lege Sempronia per Senatũ decretas reſcidiſti? extra ordinem ſine ſorte nominatim dediſti, non conſulibus, ſed Reip. peſtibus? nos quod nominatim rei maximæ penè iam deſperatæ ſummum virum, ſæpe ad extrema Reip. diſcrimina delectum præfecimus: à te reprehendemur? Quid tandem? ſi quæ tum in illis Reip. tenebris, cæcisq; nubibus, & procellis, cum ſenatum à gubernaculis deiecisſes: populum è naui exturbaſſes: ipſe archipirata cum grege prædonũ impuriſſimo pleniſſimis velis nauigaſſes: ſi quæ tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perficere potuiſſes: qui locus orbe terrarum vacuus? extraordinarijs faſcibus, atque imperio Clodiano fuiſſet? ſed excitatus aliquando Cn. Pompeij (dicam ipſo audiente quod ſenſi, & ſentio, quoquo animo me auditurus eſt) excitatus inquam aliquando Cn. Pompeij nimium diu reconditus, & penitus abſtruſus animi dolor, ſubuenit ſubitò Reipublicæ: ciuitatemq; fractam malis, mutam, debilitatam, abiectam metu, ad aliquam ſpem libertatis, & priſtinæ dignitatis erexit. hic vir extra ordinem rei frumentariæ præficiendus non fuit? ſcilicet tu helluoni ſpurciſſimo, præguſtatori libidinũ tuarum, homini egentiſſimo, & facinoroſiſſimo Sex. Clodio, ſocio tui ſanguinis, qui ſua lingua etiam ſororem tuam à te abalienauit: omne frumentum, priuatum & publicum, omnes prouincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claues, lege tua tradidiſti. qua ex re primum caritas nata eſt: deinde inopia: impendebat fames, incendia, cædes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis & bonis. queritur etiã importuna peſtis ex ore impuriſſimo Sex. Clodij rem frumentariam

esse ereptam: summisq; in periculis, eius viri auxilium imploraſſe Rempub. à quo ſæpe ſe, & ſeruatã, & amplificatam esse meminisset. extra ordinem ferri nihil placet Clodio. quid de me quod tulisse te dicis parricida, fratricida, sororicida: nonne extra ordinem tulisti? an de peste ciuis, quemadmodum omnes iam diy atq; homines iudicarunt: conseruatoris Reipublicæ, quemadmodũ autẽ tute ipse confiteris: non modo indemnati, sed ne accusati quidem, licuit tibi ferre non legem, sed nefarium priuilegium, lugente Senatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis, oppressa captaq; Republica? mihi populo Romano implorante, Senatu poscente, temporibus Reipub. flagitantibus, non licuit de salute populi Ro. sententiã dicere? qua quidem in sententia si Cn. Pompei dignitas aucta est, coniuncta cum vtilitate cõmuni: certè laudandus essem, si eius dignitati suffragatus viderer: qui mea saluti opem & auxilium tulisset. desinant, desinant homines iysdem machinis sperare me restitutũ posse labefactari: quibus antea stantem perculerunt. quod enim par amicitiæ Consularis fuit vnquam in hac ciuitate coniunctius? quam fuimus inter nos, ego & Cn. Pompeius? quis apud populum Ro. de illius dignitate industrius? quis Senatu sæpius dixit? qui tantus fuit labor? quæ simultas? quæ contentio? quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos? quæ prædicatio de mea laude? quæ remuneratio beneuolẽtiæ prætermissa est? hanc nostram coniunctionem, hanc conspirationem in Repub. bene gerenda, hanc iucundissimam vitæ, atque officiorum omniũ societatem, certi homines fictis sermonibus & falsis criminibus dirimerunt: cum iydem illum, vt me metueret, me cauerent,

ret, monerent: iydem apud me, mihi illum esse vni inimicissimũ, dicerent: vt neq; ego ab illo quæ mihi petenda essent, satis audacter petere possem: neque ille tot suspicionibus certorum hominum, & scelere exulceratus, quæ meũ tempus postularet, satis prolixè mihi polliceretur. data merces est erroris mei magna Pontifices: vt me non solum pigeat stulticiæ meæ, sed etiã pudeat: qui, cum me non repentinũ aliquod meũ tempus, sed veteres multo ante suscepti, & prouisi labores cum viro fortissimo & clarissimo coniunxissent: sim passus à tali amicitia distrahi: neque intellexerim quibus aut vt apertis inimicis obsisterem: aut vt insidiosis amicis nõ crederẽ. Proinde desinant aliquando me iysdem inflammare verbis. quid sibi iste vult? nescit quantum authoritate valeat: quas res gesserit: qua dignitate sit restitutus. cur ornat eum: à quo desertus est? Ego verò neq; me tum desertum puto, sed penè deditũ: nec quæ sint in illa Reipub. flamma gesta contra me, neque quomodo, neque per quos patefaciendum mihi esse arbitror. si vtile Reip. fuit, haurire me vnũ pro omnibus illam indignissimã calamitatẽ: etiam hoc vtile sit: quorum id scelere conflatũ sit, me occultare, & tacere. illud verò est hominis ingrati, tacere. itaque libentissimè prædicabo, Cn. Pompeium studio & authoritate æque, vt vnumquenq; vestrum opibus, contentione, precibus, periculis denique, præcipuè pro salute mea laborasse. hic tuis P. Lentule, cum tu nihil aliud dies & noctes nisi de salute mea cogitares, consilys omnibus interfuit: hic tibi grauissimus author ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia coloniasq; adyt: hic Italiæ totius auxiliũ

cupientis implorauit : hic in Senatu princeps sententia fuit: idemq; cum dixisset, tũ etiam pro salute mea populum Romanũ obsecrauit. quare istã orationẽ, qua es usus, omittas licet: post illã sententiam, quam dixeram de annona: pontificum animos esse mutatos. proinde quasi isti, aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego existimo, sentiant : aut quid mihi pro expectatione populi Romani, pro Cn. Pompey meritis erga me, pro ratione mei temporis, faciendum fuerit, ignorent. aut etiã, sicuius fortè Pontificis animũ, quod certò scio aliter esse, mea sententia offendit: alio modo sit constituturus aut de religione Pontificum, aut de Republica: quàm eum aut cerimoniarum ius, aut ciuitatis salus coëgerit. Intelligo Pontif. me plura extra causam dixisse: quàm aut opinio tulerit, aut voluntas mea. sed cum me purgatũ vobis esse cuperem: tum etiam vestra in me attentè audiendo benignitas prouexit orationem meam. sed hoc compensabo breuitate eius orationis: quæ pertinet ad ipsam cognitionẽ vestram. quæ cum sit in ius religionis, & in ius Reipublicæ distributa: religionis partem, quæ multò est verbosior, prætermittens, de iure Reip. dicam. quid est enim aut tam arrogans? quàm de religione, de rebus diuinis, cerimonijs, sacris, Pontificum collegium docere conari? aut tam stultum? quàm, si quis quid in vestris libris inuenerit, id narrare vobis? aut tam curiosum? quàm ea scire velle, de quibus maiores nostri vos solos & consuli, & scire voluerunt? Nego potuisse iure publico, legibus ijs, quibus hæc ciuitas vtitur: quenquã ciuem vlla eiusmodi calamitate affici sine iudicio. hoc iuris in hac ciuitate, etiam tum, cum Reges essent, dico fuisse: hoc nobis esse à maioribus traditum: hoc esse denique proprium libero

ræ ciuitatis: vt nihil de capite ciuis, aut de bonis, sine iudicio Senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaq; re constituti iudices sint, detrahi possit. Vides ne me non radicitus euellere omnes actiones tuas? neque illud agere, quod apertũ est, te omninò nihil gessisse iure: nõ fuisse Tribunum plebis. hoc dico, esse parricidiũ. dico apud Pontifices: augures adsunt : versor in medio iure publico. quod est Pontifices ius adoptionis? nempè vt is adoptet: qui neq; procreare iam liberos possit: & cum potuerit, sit expertus. quæ deinde causa cuiq; sit adoptionis : quæratio generum, ac dignitatis: quæ sacrorũ, quæri à Pontificum collegio solet. quid est horum in ista adoptione quæ situm? adoptat annos viginti natus, etiam minor, Senatorem. liberorum ne causa? at procreare potest: habet vxorem: suscepit etiam liberos. exhæredauit igitur pater filium. quid sacra Clodiæ gentis, cur intereunt quod in te est? quia omnis natio Pontificũ, cum adoptaret, esse debuit. nisi fortè ex te ita quæsitum est : num perturbari Remp. seditionibus velles? & ob eam causam adoptari: non vt filius esses: sed tribunus plebis fieres, & funditus euerteres ciuitatẽ? respondisti credo te ita velle. pontificibus bona causa visa est: approbauerunt: nõ ætas eius qui adoptabat, quæsita est: vt Cn. Aufidio, M. Puppio: quorum vterque nostra memoria, summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem adoptauit. quas adoptiones, sicut alias innumerabiles, hæreditates nominis, pecuniæ sacrorum secutæ sunt. tu neque Fonteius es: qui esse debebas: neque patris hæres: neque amissis sacris paternis, in hæc adoptiua venisti. Ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus, & quam deseruisti, & quam polluisti: iure Quiritum legitimo tutelarum, & hæredita-

tum relicto, factus es eius filius contra fas: cuius per ætatem pater esse potuisti. dico apud Pontifices: nego istã adoptionem pontificio iure esse factã: primum, quod hæ vestræ sint ætates: vt is, qui te adoptauit: vel tibi loco filij per ætatẽ esse potuerit. deinde quod causa quæri solet adoptandi: vt is adoptet: qui quod natura iam assequi non potest: legitimo & pontificio iure quærat: & ita adoptet: vt nequid aut de dignitate generũ, aut de sacrorum religione minuatur. illud inprimis: ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur: vt hæc simulata adoptio filij, quam maximè veritatẽ illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur. quæ maior calumnia est? quàm venire imberbem adolescentulum, benè valentem, ac maritum? dicere filium Senatorem populi Romani sibi velle adoptare? id autem scire, & videre omnes: non vt ille filius instituatur: sed vt è patricijs exeat: vt Tribunus plebis fieri possit: iccircò adoptari? neque id obscurè: nam adoptatũ emancipari statim, ne sit eius filius, qui adoptarit. cur ergò adoptatur? probate genus adoptionis. iam omniũ sacra interierunt: quorũ custodes vos esse debetis: iam patricius nemo relinquetur. cur enim quisquã vellet tribunum plebis sẽ fieri non licere? angustiorem sibi esse petitionem consulatus: in sacerdotium cum possit venire: quia patricio non sit is locus, non venire: vt cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium: simili ratione adoptabitur. Itaq; populus Rom. breui tempore, neque Regem sacrorum, neq; Flamines, nec Salios habebit: nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neq; authores centuriatorum, & curiatorum comitiorum: auspiciaq; P. R. si magistratus patricij creati non sint: intereant necesse est:

cum

cum Interrex nullus sit: quod, & ipsum patricium esse, & à patricio prodi necesse est. Dixi apud Pontifices: istã adoptionem nullo decreto huius collegij probatam, contra omne pontificium ius factam, pro nihilo etiam habendam. qua sublata, intelligis totum Tribunatum tuum concidisse. Venio ad Augures, quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor: non sum in exquirendo iure augurum curiosus: hæc quæ vnà cum populo didici, quæ sæpe in concionibus responsa sunt, noui. negant fas esse agi cum populo, cum de cœlo seruatum sit. quo die de te lex curiata lata esse dicatur: audes negare de cœlo etiam seruatum? adest præsens vir singulari virtute, constantia, grauitate, præditus, M. Bibulus, hunc consulem illo ipso die contendo seruasse de cœlo. infirma sunt igitur acta tua sententia C. Cæsaris viri fortissimi? minimè. neq; enim mea iam quicquam interest, exceptis his telis: quæ ex illius actionibus in meum corpus immissa sunt. sed hæc de auspicijs, quæ ego nunc perbreuiter attingo, acta sunt à te. tu tuo præcipitante iam, & debilitato Tribunatu, & auspiciorũ patronus subitò extitisti: tu M. Bibulum in concione, tu augures produxisti: te interrogante augures responderunt, cum de cœlo seruatum sit cum populo agi non posse: tibi M. Bibulus quærenti, se de cœlo seruasse respondit: idemq; in concione dixit ab Appio fratre tuo productus: te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses: tribunum pl. non fuisse. tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit: omnia quæ C. Cæsar egisset: quæ contra auspicia essent acta: per Senatum rescindi oportere. quod si fieret: dicebas te tuis humeris me custodem vrbis in vrbem relaturum. Videte hominis amentiam. vbi per suum Tri-

bunatum Cæsaris actis alligatus teneretur * Si & sacrorum iure Pontifices, & auspiciorum religione augures, totum euertunt tribunatum tuum: quid quæris amplius? an etiam apertius aliquod ius populi, atq; legum? Hora fortasse sexta diei quæstus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem: quædam de Republica: quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. hæc homines improbi ad quosdam viros fortes, longè aliter, atq; à me dicta erant, detulerunt. hora nona illo ipso die tu es adoptatus. si quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet: id in adoptione satis est, trium esse horarum, nihil reprehendo. sin eadē obseruanda sunt, decreuit senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Ceciliam, & Didiam latæ essent, populū non teneri. Iam intelligis omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspicijs, quod in legibus sit, te tribunum pl. non fuisse? atq; ego hoc totum non sine causa relinquo. video enim quosdam clarissimos viros, principes ciuitatis, aliquot locis iudicasse: te cum plebe iure agere potuisse. qui etiam de me ipso, cum tua rogatione funere elatam Remp. esse dicerent: tamen id funus, & si miserum, atq; acerbum fuisset: iure indictum esse dicebant. quod de me ciue, ac de Rep. bene merito tulisses: funestum funus te indixisse Reipublicæ: quod saluis auspicijs tulisses, iure egisse dicebant. quare licebit, vt opinor, nobis eius actiones non infirmare: quibus illi actionibus constitutum Tribunatum tuum comprobauerunt. Fueris sanè tribunus plebis, tam iure, quàm lege, quàm fuit hic ipse Rullus vir omnibus reb. clarissimus, atq; amplissimus. quo iure, quo more, quo exemplo legē nominatim de capite ciuis indemnati tulisti? vetant leges sacratæ, vetant

vetant XII tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari: id est enim priuilegium. nemo vnquam tulit: nihil est crudelius: nihil perniciosius: nihil quod minus hæc ciuitas ferre possit. proscriptionis miserrimum nomen illud, & omnis acerbitas Syllani temporis quid habet: quod maximè sit insigne ad memoriā crudelitatis? opinor pœnam in ciues Romanos nominatim sine iudicio constitutam. hanc vos igitur Pontifices iudicio, atq; authoritate vestra tribuno pl. potestatem dabitis, vt proscribere possit, quos velit? quæro enim quid sit aliud proscribere. velitis, iubeatis, vt M. Tullius in ciuitate ne sit: bonaq; eius vt mea sint. ita enim fecit: & si alijs verbis tulit. hoc plebiscitum est? hæc lex? hæc rogatio est? hoc vos pati potestis? hoc ferre ciuitas? vt singuli ciues singulis versiculis è ciuitate tollantur? Equidem iam perfunctus sum: nullam vim, nullum impetum metuo: expleui animos inuidorum: placaui odia improborum: saturaui etiam perfidiam & scelus perditorum: denique de mea causa, quæ videbatur perditis ciuibus ad inuidiam esse proposita: iam omnes vrbes, omnes ordines, omnes dij, atq; homines iudicauerunt. vobismetipsis Pont. & vestris liberis, cæterisq; ciuibus pro vestra authoritate & sapientia consulere debetis. nam cum tam moderata iudicia populi sint à maioribus constituta: primum, vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur: deinde ne nisi prædicta die quis accusetur: vt ter antè magistratus accuset intermissa die: quam mulctam irroget, aut iudicet: quarta sit accusatio Trinū nundinū, prodita die, qua die iudicium sit futurum: cum multa etiā ad placandū, atq; ad misericordiam reis concessa sint: deinde exorabilis populus: facilis suffragatio pro salute, deniq; etiam,

si

si qua res illum diem aut auſpicijs, aut excuſatione ſuſtulit: tota cauſa iudicium q3 ſublatum eſt. Hæc cum ita ſint in re, vbi crimen eſt? vbi accuſator? vbi teſtes? quid indignius? quàm qui neq3 adeſſe ſit iuſſus, neq3 citatus, neq3 accuſatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus conductos, & ſicarios, egentes, & perditos ſuffragium ferre, & eam legem putare? At ſi hoc de me potuit: quem honos, quem dignitas, quem cauſa, quem Reſpub. tuebatur: cuius deniq3 pecunia non expetebatur: cui nihil oberat præter conuerſionem ſtatus, & inclinationẽ communium temporum: quid tandem futurum eſt ijs? quorum vita remota ab honore populari, & ab hac illuſtri gratia eſt? pecuniæ autem tantæ ſunt? vt eas nimium multi egentes, ſumptuoſi, nobiles concupiſcant? date hanc tribuno Pl. licentiam: & intuemini pauliſper animis iuuentutem: & eos maximè, qui immineret iam cupiditate videntur in tribunitiam poteſtatem: collegia medius fidius tribunorum pl. tota reperientur hoc iure firmato: quæ coëant de hominum locupletiſſimorum bonis: præda præſertim populari, & ſpe largitionis oblata. At quid tulit legum ſcriptor peritus, callidus? velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua & ignis interdicatur? crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem ciue ferundum ſine iudicio. non tulit vt interdicatur. quid ergo? vt interdictum ſit. O' cœnum, O' portentum, O' ſcelus. hanc tibi legem Clodius ſcripſit ſpurciorem lingua ſua vt interdictum ſit: cui non ſit interdictum. Sexte noſter bona venia dic, quoniam iam dialecticus es: & hoc quoq3 Liguris: quod factum non eſt, vt factum, ferri ad populum, aut verbis vllis ſanciri, aut ſuffragijs confirmari poteſt? hoc tu ſcriptore, hoc conſiliatore, hoc mi-

niſtro

niſtro omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo, Remp. perdidiſti: neq3 tu eras tam excors, tam q3 demens: vt neſcires hunc Clodiũ eſſe, qui contra leges faceret: & alios eſſe, qui leges ſcribere ſolerent. ſed neq3 eorum, neq3 cæterorum, in quibus eſſet aliquid modeſtiæ: cuiuſquam tibi poteſtas fuit. neq3 tu legum ſcriptoribus iiſdem potuiſti vti, quibus cæteri: neq3 operum architectis: neq3 Pontificem adhibere quem velles. poſtremò ne in præda quidem ſocietate mancipem, aut prædæ ſocium, extra tuorum gladiatorum numerum, aut deniq3 ſuffragij latorem in iſta tua proſcriptione quenquam niſi furem, ac ſicarium reperire potuiſti. Itaq3 cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares: amici illi tui te vno amico tecti & beati, qui ſe populo commiſerant: ita repellebantur: vt etiam Palatinam linguam tuam perderent. qui in iudicium venerant: ſiue accuſatores erant, ſiue rei: te deprecante damnabantur. deniq3 ille nouitius Ligur, venalis aſcriptor, & ſubſcriptor tuus, cum M. Papirij ſui fratris eſſet teſtamento, & iudicio improbatus: mortem eius ſe velle perſequi dixit: nomen Sexti Propertij detulit: accuſare alienæ damnationis, ſceleriſq3 ſocius propter calumniæ metum non eſt auſus. De hac igitur lege dicimus: quæ iure rogata videatur: cuius quam quisq3 partem tetigit, digito, voce, præda, ſuffragio: quocunque venit, repudiatus, conuictus q3 diſceſſit. Quid? ſi his verbis ſcripta eſt iſta proſcriptio, vt ſe ipſa diſſoluat? eſt enim, quod M. Tullius falſum ſenatus conſultũ retulerit. ſi igitur retulit falſum ſenatus conſultũ: tum eſt rogatio: ſi nõ retulit, nulla eſt. ſatis ne tibi videtur à ſenatu iudicatũ? me non modo non ementitum eſſe authoritatẽ

eius

eius ordinis: sed etiam vnum post vrbem conditam diligentissimè senatui paruisse? quot modis doceo legem istam, quam vocas, non esse legem? quid? si etiam pluribus de rebus vno sortitu retulisti? tamen ne arbitraris, id quod M. Drusus in legibus suis plerisq3, bonus ille vir, M. Scaurus, & L. Crassus consularis non obtinuerint: id te posse omnium facinorum, & stuprorum omnium Decumis, & Clodijs authoribus obtinere? tulisti de me ne reciperer: non vt exirem: quẽ tu ipse non poteras dicere, non licere esse Romæ. quid enim diceres? damnatum? certè non expulsum? qui licuit? sed tamen ne id quidem est scriptum, vt exirem. pœna est, quire ceperit, quam omnes neglexerunt. eiectio nusquam est. verum sit. quid operum publicorum exactio? quid nominis inscriptio tibi? num aliud videtur esse, ac meorũ bonorum direptio? præterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, vt ipse tibi curationem ferres, facere potuisti. quid hoc ipsum, quod nunc apud Pont. agis? te meam domum consecrasse: te monumentum fecisse: in meis ædibus te signum dedicasse: eaq3 te ex vna rogatiuncula fecisse? vnum & idem videtur esse, atq3 id quod de meipso nominatim tulisti? tam hercule est vnum: quàm quod idem tu lege vna tulisti: vt Cyprius Rex, cuius maiores huic populo socij, atq3 amici semper fuerunt: cum bonis omnibus sub præcone subyceretur: & exules Byzantium reducerentur. eidem inquit vtraq3 de re negocium dedisse. quid si eidem negocium dedisset? vt si in Asia Cistophorum flagitaret: inde iret in Hispaniam: cum Romæ decessisset: consulatum ei petere liceret: cum factus esset: prouinciam Syriam obtineret: quoniam de vno homine scriberes, vnà res esset? quod si iam

iam populus Ro. de ista re consulitus esset: & non omnia per seruos latrones q3 gessisses: nonne fieri poterat, vt populo de Cyprio Rege placeret: de exulibus Byzantijs displiceret? quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cecilia legis, & Didiæ, nisi hæc? ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere: aut id, quod velit, repudiare? quid si per vim tulisti? tamen ne lex est? aut quicquam iure gestũ videri potest: quod per vim gestũ esse constet? an si in ipsa latione tua capta iam vrbe lapides iacti, si manus collata non est: iccirco tu ad illam labem atq3 eluuiem ciuitatis sine summa vi peruenire potuisti? cum in tribunali Aurelio conscribebas palàm, non modo liberos, sed etiam seruos ex omnibus vicis concitatos: vim tum videlicet non parabas? cum edictis tuis tabernas claudi iubebas: non inde vim imperitæ multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiam q3 quærebas? cum arma in ædem Castoris comportabas: nihil aliud, nisi vti ne quid per vim agi posset, machinabare? cum verò gradus Castoris conuellisti, ac remouisti: tum vt modestè tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu, atq3 ascensu repulisti? cum eos, qui conuentu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse iussisti: eorum q3 aduocationẽ manibus, ferro, lapidibus discussisti: tum profecto ostendisti vim tibi maximè displicere? Verum hæc furiosa vis vesani tribuni pl. facilè superari, frangiq3 potuit virorum bonorũ vel virtute, vel multitudine. quid? cum Gabinio Syria dabatur: Macedonia Pisoni: vtriq3 infinitum imperium, ingens pecunia, vt tibi omnia permitterent: te adiuuarent: tibi manum, copias, tibi suos paratos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent:

rarent: te suis sceleratis concionibus subleuarent: senatus authoritatem irriderent: equitibus Ro. moriẽ, proscriptionemq; minitarentur: me terrerent minis: mihi cædẽ, & dimicationem denunciarent: meam domum refertam viris bonis per amicos suos complerent: proscriptionis metu me frequentia nudarent: virorũ bonorum me præsidio spoliarent: senatum pro me non modo propugnare, amplissimum ordinem, sed etiam plorare & supplicare mutata veste prohiberent: ne tum quidem vis erat? quid igitur ego gessi? aut qui timor fuit? non dicam in me quidem: fac me timidum esse natura. quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid illi equites Romani? quid Senatus? quid denique omnes boni? si nulla vis erat: cur me flentes potius prosecuti sunt, quàm aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam? si me cum ageretur more, institutoq; maiorum, vt possem præsens sustinere? vtrum si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum? an sine iudicio priuilegium? iudicium? in causa tam turpi scilicet is homo sum, qui etiam si causa esset ignota: dicendo non possem explicare? an eam causam probare non poteram? cuius tanta bonitas est: vt ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se probarit. an Senatus? an ordines? an ij, qui cuncta ex Italia ad me reuocandũ conuolauerunt: segniores me præsente ad me retinendum, & conseruandum fuissent, in ea causa: quam ipse iam parricida talem dicat fuisse: vt me ab omnibus ad meam pristinam dignitatem expectatum atq; reuocatum queratur. an verò in iudicio, periculi nihil fuit? priuilegiũ pertimui? ne mihi præsenti, si mulcta irrogaretur, nemo intercederet? tam inops autem ego eram ab amicis? aut tam

nuda

nuda Resp. à magistratibus? quid? si vocatæ Tribus essent: proscriptionem non dicam in me, ita de sua salute merito, sed omninò in vllo ciue comprobauissent? An si ego præsens fuissem, veteres illæ copiæ coniuratorum, tuique perditi milites, atque egentes, & noua vis sceleratissimorum consulum, corpori meo pepercissent? qui, cum eorum omnium crudelitati, sceleriq; cessissem: ne absens quidem luctu meo mentes illorũ satiare potui. quid enim vos vxor mea misera violarat, quam vexauistis: rapta uistis: omni crudelitate lacerauistis. quid mea filia? cuius fletus assiduus, sordesq; lugubres vobis erant iucundæ: cæterorum omnium mentes oculosq; flectebant. quid paruus filius? quem quamdiu abfui: nemo nisi lachrymantem, confectumq; vidit: quid fecerat? quod eum totiens per insidias interficere voluistis? quid frater meus? qui cum aliquãto post meum discessum ex prouincia venisset: neq; sibi viuendum, nisi me restituto putaret: cum eius mœror, squalor incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miserabilis videbatur: quotiens ex vestro ferro ac manibus est elapsus? sed quid ego vestram crudelitatem expromo? qua in ipsum me ac meos adhibuistis? qui parietibus, qui tectis, qui columnis, ac postibus meis horrificum quoddam, & nefarium omni imbutum odio bellũ intuliſtis? non enim te arbitror, cum post meum discessum omnium locupletum fortunas, omniũ prouinciarum fructus, et Tetrarcharum, ac Regum bona, spe & auaricia deuorasses: argenti & suppellectilis meæ cupiditate esse cæcatum: non existimo Campanum illum consulem cum saltatore Collega, cum alteri totam Achaiam, Thessaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, onemq; barbariam, bona ciuium Ro. condonasses: alte-

ri Syriam, Babylonem, Persas, integerrimas, pacatissimasq; gentes ad diripiendum tradidisses: illos tam cupidos liminum meorum, & columnarum, & valuarũ fuisse. neq; porrò illa manus, copiaeq; Catilinæ, cæmentis, ac tegulis meorum tectorum sẽ famem suam expleturas putauerunt. sed vt hostium vrbes, nec omnium hostium, verum eorum, quibus cum acerbum bellum intestinumq; susceperimus: non præda adducti, sed odio solemus excidere: quod in quos propter eorum crudelitatem inflammatæ mentes nostræ fuerunt: cum horum etiam tectis ac sedibus residere aliquod bellum semper videretur. Nihil erat latum de me: non adesse eram iussus: non citatus affueram: eram etiam tuo iudicio ciuis incolumis: cum domus in Palatio, villa in Thusculano, altera ad alterum Consulẽ transferebatur: Senatum Consules vetebant: columnæ marmoreæ ex ædibus meis in spectante populo Ro. ad socerum consulis portabantur: in fundum autẽ vicini cõsulis non modo instrumẽtum, aut ornamenta villæ, sed etiam arbores transferebãtur. cum ipsa villa non prædæ cupiditate, quid enim erat prædæ? sed odio & crudelitate funditus euerteretur: domus ardebat in palatio non fortuito, sed oblato incendio: Consules epulabantur: & in cõiuratorum gratulatione versabantur: cum alter se Catilinæ delitias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret. Hunc ego vim pontifices, hoc scelus, hunc furorem, meo corpore oppositò à bonorum omnium ceruicibus depuli, omnemq; impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quæ inueterata compresso odio, atque tacito iam rumpebat in actum: tam audaces duces excepi meo corpore: in me vno consulares faces iactæ manibus Tribunitijs:

nitijs: in me omnia quæ ego quondam retuderam coniurationis nefaria tela adhæserunt. quod si, vt multis fortissimis placuit: vi & armis cõtra vim decertare voluissem: aut vicissem cum magna internitione improborũ, sed tamen ciuiũ: aut interfectis bonis omnibus, quod illis optatissimum erat, vnà cum Repub. concidissem. Videbam viuo Senatu populoq; Rom. celerẽ mihi summa cum dignitate reditum: nec intelligebam fieri diutius posse: vt mihi non liceret esse in ea Repub. quam ipse seruassem. quod si non liceret: audieram & legeram clarissimos nostræ ciuitatis viros, se in medios hostes ad perspicuam mortem pro salute exercitus iniecisse. ego pro salute Reip. vniuersæ dubitarẽ? hac meliore conditione, quàm Decius: quod ille ne auditor quidem suæ gloriæ, ego etiam spectator meæ laudis esse potuissem. itaque infractus furor tuus, inanes faciebat impetus: omnem enim vim omnium sceleratorum acerbitas mei casus exceperat. non erat in tam immani iniuria, tantisq; ruinis nouæ crudelitati locus. Cato fuerat proximus. quid ageres: non erat, vt qui modus omnibus moribus fuerat, idem esse iniuriæ. quid? posses extrudere ad Cypriam pecuniam. præda perierit. alia non deerit. hunc modo amandandum esse. Sic M. Cato inuisus quasi per beneficium Cyprum relegatur. eiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum: alter per honestissimam calamitatem. Atq; vt sciatis non hominibus istum, sed virtutibus hostem semper fuisse: me expulso, Catone amandato, in eum ipsum se conuerit: quo authore, quo adiutore, in concionibus, ea, quæ gerebat omnia, quæq; gesserat, se fecisse, & facere dicebat. Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longè principem

esse ciuitatis videbat: diutius furori suo veniam daturũ non arbitrabatur. qui ex eius custodia per insidias Regis amici filiũ hostem captiuũ surripuisset: & ea iniuria virum fortissimum lacessisset: speraui iysdem se copijs cum illo posse confligere: quibus cum ego noluissem bonorum periculo dimicare. & primò quidem adiutoribus consulibus. postea fregit fœdus Gabinius. Piso tamen in fide mansit. quas iste tum cædes, quas lapidationes, quas fugas fecerit: quàm facilè ferro, quotidianisq; insidys, cum iã à firmissimo robore copiarum suarũ relictus esset: Cn. Pompeium foro, curiaq; priuarit, domumq; coniecerit, vidistis. ex quo iudicare potestis: quanta vis illa fuerit oriens, & congregata: cum hæc Cn. Pompeium terruerit iam distracta, & extincta. Hoc vidit in sententia dicenda Cal. Ianuary vir prudentissimus, & cum Reipublicæ, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta: qui legem de meo reditu ferendã non censuit: qui me consuluisse Reipublicæ, cessisse tempestati: amiciorem vobis, cæterisq; ciuibus, quàm mihi ac meis extitisse: vi, armis, dissensione hominum, & cædem instituta, nouoq; dominatu pulsum me esse dixit. nihil de meo capite potuisse ferri: nihil esse inscriptum: aut posse valere: omnia contra leges, moresq; maiorum temerè, turbulentè, per vim, per furorem esse gesta. quod si illa lex esset, nec referre ad senatum consules, nec sententiã dicere sibi licere. quorum vtrumque cum fieret, non oportere, vt de me lex ferretur decerni: ne illa, quæ nulla esset, esse lex iudicaretur. sententia verior, grauior, vtilior, melior Reipublicæ nulla esse potuit. hominis enim scelere, & furore notato, similis à Republica labes in posterum dimouebatur. neque hoc Cn. Pompeius, qui ornatissimam de me

de me sententiam dixit: vosq; Pontifices, qui me vestris sententijs, authoritatibusq; defendistis: non vidistis, illam esse nullam: atq; esse potius flammã temporis, interdictũ sceleris, vocem furoris: sed prospexistis, ne qua popularis in vos aliquando inuidia redundaret: si sine populi iudicio restituti videremur. eodemq; consilio M. Bibuli fortissimi viri senatus sententia secutus est: vt vos de mea domo statueritis: non quod habitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure esset actũ: sed ne quis oriretur aliquando in tanta vbertate improborum: qui in meis ædibus aliquam religionem residere diceret. nam legem quidem istam nullã esse, quotiescunque de me senatus sententiã dixit, toties iudicauit: quoniam quidem scripto illo istius, sententiam dicere vetabatur. atq; hanc rem per illud simile Piso & Gabinius vidit. homines legem, iudiciorumq; metuentes, cum frequentissimus Senatus eos, vt de me referrent, quotidiè flagitaret: non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. erat hoc verum. nam impediebantur: verum ea lege, quam idem iste de Macedonia, Syria que tulerat. Hanc tu P. Lentule neque priuatus, neque Consul legem esse vnquam putasti. nam tribunis pl. referentibus, sententiam de me designatus Consul sæpe dixisti: ex Cal. Ianuarij, quoad perfecta res est, de me retulisti: legem promulgasti, tulisti: quorum tibi si esset illa lex: nihil liceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi à P. Clodio iudicarent, Piso, & Gabinius: eam nullam esse frater P. Clodij, cum de me ad Senatum tecum vnà retulit, iudicauit. sed isti, qui Clodij leges timuerunt: quemadmodum cæteras obseruarunt? Senatus quidem, cu-

ius est grauissimum iudicium de iure legum: quotiensq; cunq; de me consultus est, totiens eam nullā esse iudicauit. quod idē tu Lentule vidisti in ea lege: quā de me tulisti. nam non est ita latum: vt mihi Romam venire liceret, sed vt venirē. non enim voluisti id, quod licebat: ferre vt liceret: sed me ita esse in Republica: magis vt accersitus imperio populi Ro. viderer: quàm ad administrandam ciuitatem restitutus. Hunc tu etiā perniciosa pestis exulem appellare ausus es? cum tantis sceleribus esses, & factis notatus: vt omnē locum, quo adisses, exilij similimum redderes? quid est enim exul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. quando igitur est turpe? re vera, quando est pœna peccati. opinione autem hominum etiamsi est pœna damnati. vtrum igitur peccato meo exilius nomen subeo? an re iudicata? peccato iam neque tu id dicere audes: quem isti satellites tui felicē Catilinam nominant: neq; quisquā eorum qui solebant. non modo iam nemo est tam imperitus: qui ea, quæ gessi in cōsulatu, peccata esse dicat: sed nemo est tam inimicus patriæ: qui non meis consilijs patriam conseruatam esse fateatur. quod enim est in terris communē tantū, tantulūue consilium, quod non de meis rebus gestis ea, quæ mihi essent optatissima & pulcherrima iudicarit? summum est populi Rom. populorumq;, & gentiū omnium, ac regum consilium: senatus decreuit, vt omnes, qui Rempub. saluam esse vellent: ad me vnū defendendum venirent: ostenditq; nec stare potuisse Rempub. si ego non fuissem restitutus: nec futuram esse vllam, si non redijssem. Proximus est huic dignitati ordo Equester: omnes omnium publicanorum societates de meo consulatu, ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima de-

creta

creta fecerunt. Scribæ, qui nobiscum in rationibus, monumentisq; publicis versantur: non obscurum de meis in Rempub. beneficijs suum iudicium decretumq; esse voluerunt. nullum est in hac vrbe Collegium: nulli pagani, aut montani, quoniam plebi quoq; vrbanæ maiores cōuenticula, & quasi concilia quædam esse voluerunt: qui non amplissimè nō modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreuerint. nam quid ego illa diuina, atq; immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiæ decreta commemorem? quibus tanquam gradibus mihi videor in cœlum ascendisse: non solum in patriam reuertisse. ille verò dies quis fuit? cum te P. Lentule legem de me ferentem populus Romanus vidit: sensitq; quantus, & quanta dignitate esses. constat enim nullis vnquā comitijs campū Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominū, ætatum, ordinum floruisse. Omitto ciuitatum, nationum, prouinciarum, regum, orbis deniq; terrarū, de meis in omnes mortales meritis vnum iudiciū, vnumq; consensum, aduentus meus, atque introitus in vrbē qui fuit? vtrum me patria sic accepit, vt lucem, salutemq; redditā sibi, ac restitutam accipere debuit? an vt crudelē Tyrannum? quod vos Catilinæ gregales de me dicere solebatis? itaque ille vnus dies, quo me populus Ro. à porta in Capitoliū, atq; inde domū sua celebritate, lætitiaq; comitatū honestauit: tantæ mihi iucunditati fuit: vt tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. quare illa calamitas, si ita est appellanda, excussit hoc genus totū maledicti: ne quisquā audeat iam reprehendere consulatum meum, tot, tantis, tam ornatis iudicijs, te-

ſtimonijs, authoritatibus comprobatum. Quod ſi in iſto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum obiectas: ſed etiam laudem illuſtras meam: quid te aut fieri aut fingi dementius poteſt? vno enim maledicto bis à me patriam ſeruatam eſſe concedis. ſemel, cum id feci, quod omnes non negent immortalitati, ſi fieri poteſt, mandandum: tu ſupplicio puniendum putaſti. iterum, cum tuum, multorumq;, propter te inflammatum in bonos omnes impetum meo corpore excepi: ne eam ciuitatem, quam ſeruaſſem inermis, armatus in diſcrimen adducerem eſto, non fuit in me pœna vlla peccati: at fuit iudicij. cuius? quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis poſtulauit? quis diem dixit? poteſt igitur damnati pœnam ſuſtinere indemnatus? hoc Tribunitium eſt? hoc populare eſt? quanquam vbi tutè popularem, niſi cum pro populo feciſti, potes dicere? ſed cum hoc iuris à maioribus proditum ſit: vt nemo ciuis Ro. aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe author factus ſit. quod tu ipſe potuiſti in tua cauſa diſcere. credo enim quanquam in illa adoptione legitimè factum eſt nihil: tamen te eſſe interrogatum, author ne eſſes: vt in te P. Fonteius vitæ, necisq; poteſtatem haberet, vt in filio. quæro ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes: ſi tamen id XXX curiæ iuſſiſſent, num id iuſſum eſſet ratum? certè non. quid ita? quia ius à maioribus noſtris, qui non fictè, & fallaciter populares, ſed verè & ſapienter fuerunt: ita comparatum eſt: vt ciuis Ro. libertatem nemo poſſet inuitus amittere. quin etiam ſi Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent: tamē quotienſcunque vellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe voluerunt. ciuitatem verò nemo vnquam vllo

populi

populi iuſſu amittet inuitus. qui ciues Romani in coloniam latinas proficiſcebantur: fieri non poterant Latini, qui non erāt authores facti, nomenq; dederant. qui erant rerum capitalium condemnati: non prius hanc ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti. quo vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſa venerant. id autem vt eſſet faciundum: non ademptione ciuitatis, ſed tecti, & aquæ & ignis interdictione faciebant. Populus Romanus L. Sylla dictatore ferente, comitijs centuriatis municipijs ciuitatem ademit: eisdem agros. de agris ratum eſt, fuit enim populi poteſtas, de ciuitate, ne tam diu quidem valuit, quam diu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hanc verò Volaterranis, cum etiā tum eſſent in armis: L. Sylla victor Republica recuperata comitijs centuriatis ciuitatem eripere non potuit: hodieq; Volaterrani non modo ciues, ſed etiam optimi ciues, fruuntur nobiſcum ſimul hac ciuitate. Conſulari homini P. Clodius euerſa Rep. ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum, Sedulio principe? qui ſe illo die confirmauit Romæ non fuiſſe. quod ſi non fuit, quid te audacius? qui in eius nomen incideris? quid deſperatius? qui ne ementiendo quidem poteris authorē adumbrare meliorem? ſin autem is primus ſciuit: quod facilè potuit propter inopiam tecti in foro pernoctans: cur non iuret ſe Gadibus fuiſſe: cum tu te fuiſſe Interamnæ probaueris? hoc tu igitur homo popularis iure munitam ciuitatem, & libertatem noſtram putas eſſe oportere? vt ſi tribuno pl. rogante, velitis, iubeatis ne: Seduly centum ſe velle & iubere dixerint: poſſit vnusquisq; noſtram amittere ciuitatem? tum igitur maiores noſtri populares non fue-

runt: qui de ciuitate, & libertate ea iura sanxerunt: quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum, nec res iudicata, nec denique vniuersi populi Rom. potestas, quæ cæteris in rebus est maxima, labefactare possit. at tu etiam ereptor ciuitatis, legem de iniurijs publicis tulisti Anagnino nescio cui Menulæ per gratiam: qui tibi ob eam legem statuam in meis ædibus posuit: vt locus ipse in tua tanta iniuria legem, & inscriptionem statuæ refelleret. quæ res municipibus Anagninis ornatissimis multo maiori dolori fuit: quàm quæ illi gladiator scelera Anagninæ fecerat. Quid? si ne scriptum quidē vnquam est in ista ipsa rogatione, quam se Sedulius negat sciuisse: tu huius, vt acta tui præclari Tribunatus hominis dignitate cohonestes: authoritatē amplecteris? sed tamē si nihil de me tulisti: quò minus essem nō modo in ciuium numero: sed etiam in eo loco, in quo me honores populi Rom. collocauerunt: tamen ne eum tua voce violabis? quem post nefarium scelus consulū superiorum tot vides iudicijs Senatus, populi Romani, totius Italiæ honestatum? quem ne tum quidem, cum aberam, negare poteras esse tua lege Senatorem? vbi enim tuleras, vt mihi aqua, & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popilio, Saturninus de Metello tulit. homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis ciuibus, non vt esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt: sed vt interdiceretur. vbi cauisti ne meo me loco Censor in Senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibusdam damnatis interdictū est, scriptum est in legibus. Quære hoc ex Clodio scriptore legum tuarum. iube adesse. latitat omnino. sed si requiri iusseris: inuenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso. Sed si patrem

trem tuum ciuem medius fidius egregium, dissimilem vestri, nemo vnquam sanus exulem appellauit: qui cum de eo Tribunus Pl. promulgasset: adesse propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit: eiq; imperium est abrogatum: si in illo pœna legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum: in me, cui dies dicta non est: qui reus non fui: qui nunquam sum à Tribuno pl. citatus: damnati pœna esse potuit? ea præsertim quæ ne in ipsa quidem rogatione perscripta est. At vide quid interfit inter illum iniquissimum patris tui casum: & hanc fortunam conditionemq; nostram. patrem tuum ciuem optimum clarissimi viri filium, qui, si viueret, qua seueritate fuit: tu profectò non viueres: L. Philippus Censor, auunculum suum præteriyt in recitando senatu. nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quæ erant acta in ea Republica: in qua se illis ipsis temporibus Censorem esse voluisset. me L. Cotta homo Censorius, in senatu iuratus dixit: se, si Censor tum esset, cum ego aberam: meo loco Senatorem recitaturum fuisse. quis in meum locū iudicem subdidit? quis meorum amicorū testamentum discessu meo fecit: qui mihi non idem tribuerit: quod, & si adessem? quis me non modo ciuis, sed socius recipere contra tuam legem & iuuare dubitauit? deniq; vniuersus senatus multo antè, quàm est lata lex, de me gratias agendas censuit ciuitatibus ijs: quæ M. Tullium, tantum ne? immo etiam ciuem optimè de Rep. meritum recepissent. & tu vnus pestifer ciuis, eum restitutum negas esse ciuem: quem eiectum vniuersus senatus non modo ciuem, sed etiam egregium ciuem semper putauit. At verò vt annales populi Ro. & monumenta vetustatis loquuntur: Censor ille Quintius, & M. Furius

rius

rius Camillus, & M. Seruilius Hala, cum essent optimè de Rep. meriti: tamen populi incitati vim iracundiamq; subierunt, damnatiq; comitys centuriatis cum in exiliũ profugissent: rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. quod si ys damnatis non modo non imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam: sed etiam honestauit (nam etsi optabilius est, cursum vitæ conficere sine dolore, & sine iniuria, tamen ad immortalitatem gloriæ plus affert desideratum esse à suis ciuibus: quam omnino nunquam esse violatum) mihi sine vllo iudicio populi profectò, tum amplissimus omnium iudicys restituto, maledicti locum aut criminis obtinebit? fortis & constans in optima ratione ciuis P. Popilius semper fuit. tamen eius in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. quis enim iam meminisset eum bene de Rep. meritum? nisi & ab improbis expulsus esset, & per bonos restitutus? Q. Metelli præclarum imperium in re militari fuit: egregia Censura: omnis vita plena grauitatis: tamen huius viri laudem ad sempiternam memoriam temporis calamitas propagauit. quod si & illis, qui expulsi sunt iniquè, sed tamen legibus, reducti inimicis interfectis, rogationibus Tribunitys, non authoritate senatus, non comitys centuriatis, non decretis Italiæ, non desiderio ciuitatis: inimicorum iniuria probro non fuit: in me, qui profectus sum integer: abfui simul cum Republica: dicam maxima cum dignitate: te viuo fratre tu altero consule reducente, altero prætore petente, tuum scelus meum probrum putas esse oportere? Ac si me populus Ro. incitatus iracundia aut inuidia è ciuitate eiecisset: idemq; postea mea in Remp. beneficia recordatus se collegisset:

temeritatem,

temeritatem atq; iniuriam suam restitutione sua reprehendisset: tamen profectò nemo tã esset amens: qui mihi populi tale iudicium non dignitati potius, quàm dedecori putaret esse oportere. nunc verò cum me in iudicium populi nemo omnium vocarit: condemnari non potuerim, qui accusatus non sim: denique ne expulsus quidem ita sim: vt si contenderem, superare non possem: contraq; à populo Ro. semper sim defensus, amplificatus, ornatus: quid est, quare quisquam mihi se ipsa populari ratione anteponat? An tu populum Romanum esse illum putas? qui constat ex ys, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, vt vim afferant magistratibus? vt obsideant senatum? optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios, præfeceras: Q. speciem dignitatemq; populi Romani: quam Reges, quam nationes exteræ, quã gentes vltimæ pertimescunt: multitudinem hominũ ex seruis conductis, ex facinorosis, ex gentibus congregatam. illa fuit pulchritudo populi Romani: illa forma: quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi contra senatus, totiusq; Italiæ authoritatem & studium, dicendi potestas fuit: ille ille populus est dominus regum, victor, atque imperator omnium gentium: quem illo clarissimo die scelerate vidisti: tum, cum omnes principes ciuitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium, suffragium se non de ciuis, sed de ciuitatis salute ferre censebant: cum deniq; homines in campum, non tabernis, sed municipys clausis venerunt. hoc ego populo, si tum Consules aut fuissent in Republica: aut omnino non fuissent: nullo labore, tuo præcipiti furori, atque impio sceleri restitissem.

sed

sed publicam causam contra vim armatam, sine populi præsidio susciperet nolui: non quo mihi P. Scipionis fortissimi viri vis intima priuati hominis displiceret: sed Scipionis factum statim P. Mutius Consul, qui in gerenda Rep. putabatur fuisse segnior, gesta multis senatus consultis, non modo defendit, sed etiam ornauit. mihi aut te interfecto, cum consulibus, aut te viuo, & tecum, & cum illis armis decertandum fuit. erant eo tempore multa etiam alia metuenda. ad seruos mediusfidius res peruenisset. tantum homines impios ex vetere illa coniuratione inustum nefarijs mentibus bonorum odium retinebat. Hîc tu me etiam gloriari vetas. negas esse ferenda, quæ soleam de me prædicare: & homo facetus inducis etiam sermonem vrbanum, ac venustum: me dicere solere, esse me Iouem: eundem dictitare Mineruam esse sororem meam. non tam insolens sum, qui Iouem esse me dicam: non tam ineruditus: qui Mineruam Iouis sororem, meam esse sororem existimem. sed tamen ego mihi sororem virginem asciscо. tu sororem tuam virginem esse non siuisti. sed vide ne tu te debeas Iouem dicere: quod tu iure eandem sororem, & vxorem appellare possis. Et quoniam hoc reprehendis: quod solere me dicas de meipso gloriosius prædicare: quis vnquam audiuit: cum ego de me nisi coactus ac necessario dicerem? nam si cum mihi furta, largitiones, libidines obijciuntur: ego respondere soleo: meis consilijs, periculis, laboribus patriã esse conseruatam: non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari: quàm de obiectis non confiteri, sed si mihi ante hæc durissima Reipub. tempora nihil vnquam aliud obiectum est: nisi crudelitas illius temporis: cum à patria perniciẽ depuli: quid? me huic maledicto vtrum

non

non respondere, an demisse respondere decuit? Ego verò Reip. semper interesse putaui: me illius pulcherrimi facti, quod ex authoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriæ gessissem: splendorem verbis, dignitatemq; retinere: præsertim cum mihi vni in hac Rep. audiente populo Ro. opera mea hanc vrbem, & hanc Remp. esse saluam iurato dicere fas fuisset. Extinctum est iam illud maledictum crudelitatis: quod me non vt crudelem Tyrannum, sed vt mitissimum parentem omnium ciuium studys desideratum, repetitũ, accersitum vident. aliud exortum est. obijcitur mihi me ille discessus. cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum. quid enim Pontifices debeo dicere? peccati me conscientia profugisse? at id, quod mihi crimini dabatur: non modo peccatum non erat: sed erat res post natos homines pulcherrima. iudiciũ populi pertimuisse? at id nec propositum vllum fuit: & si fuisset, duplicata gloria discessissem. bonorũ mihi præsidium deesse? falsum est. me mortẽ timuisse? turpe est. dicendum igitur est id, quod non dicerem nisi coactus. (nihil enim vnquam de me dixi sublatius asciscendæ laudis causã potius, quàm criminis depellendi) dico igitur, & quàm possum maxima voce dico: cum omnium perditorum, et coniuratorum incitata vis duce tribuno plebis, consulibus authoribus, & afflicto senatu, perterritis Equitibus Romanis, suspensa ac sollicitata tota ciuitate, non tam in me impetum faceret: quàm per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem: tenueis Reip. reliquias: si victus essem nullas futuras. quod cũ iudicassem: defleui coniugis miseræ dissidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subi-

tas

tas fundatissimæ familiæ ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorũ ciuium: Rempublicam condere meo discessu, quam omniũ interitu occidere malui. spteraui id, quod accidit: me iacentem posse à viuis viris fortibus excitari: si vnà cum bonis interijssem, nullo modo posse recreari. accepi Pontifices magnum, atq; incredibilem dolorem: nõ nego: neq; istam mihi asciscо sapientiam: quam nonnulli in me requirebant: qui me animo nimis fracto esse, atque afflicto loquebantur. an ego poteram: cum tot rerum tanta varietate diuellerer, quas iccirco prætereo, quod, ne nunc quidem sine fletu commemorare possum: inficiari me esse hominem, & communem naturæ sensum repudiare? tum verò neq; illud meum factum laudabile, nec beneficium vllum à me in Rempub. profectum dicerem: si quidem ea Reip. causa reliquissem: quibus æquo animo carerem: eamq; animi duriciem, sicut corporis, quod cum vritur, non sentit: stuporem potius, quã virtutem putarem, suscipere tantos animi dolores: atq; ea, quæ capta vrbe accidunt victis: stante vrbe vnũ perpeti: & iam se videre distrahi à complexu suorum: disturbari tecta: diripi fortunas: patriæ deniq; causa patriam ipsam amittere: spoliari populi Romani beneficijs amplissimis: præcipitari ex altissimo dignitatis gradu: videre prætextatos inimicos nondum morte complorata arbitria petentes funeris: hæc omnia subire conseruandorum ciuium causa, atq; ita vt dolenter absis, non tam sapiens, quàm ij qui nihil curant, sed tam amans tuorum, ac tui, quàm communis humanitas postulat: ea laus præclara ac diuina: nam qui ea, quæ nunquam cara atq; iucunda duxit: æquo animo Reipub. causa deserit: nullam benevolentiam insignem in Remp. declarat.

declarat. qui autem ea relinquit Reipub. causa: à quibus cum summo dolore diuellitur, ei patria chara est: cuius salutem caritati anteponit suorum. quare disrumpatur licet ista furia, atq; audiat hæc ex me, quoniã lacessiuit: bis seruaui: vt Consul, togatus armatos vicerim: priuatus, Consulibus armatis cesserim. vtriusq; temporis fructum tuli maximũ: superioris, quod ex Senatus auctoritate, & Senatum, & omnes bonos meæ salutis causa mutata veste vidi. posterioris, quod & Senatus & populus Romanus, & omnes mortales, & priuatim, & publicè iudicarunt, sine meo reditu Rempub. saluam esse non posse. Sed hic meus reditus Pontifices vestro iudicio continetur. nam si vos me in meis ædibus collocatis: id quod in omni mea causa semper studijs, consilijs, authoritatibus, sententijsq; fecistis: video me planè, ac sentio, restitutũ. sin mea domus non modò mihi non redditur: sed etiã monumentũ præbet inimico doloris mei, sceleris sui, publicæ calamitatis: quis erit, qui hunc reditum potius, quàm pœnam sempiternam putet? In conspectu prætereà totius vrbis domus est mea Pontifices. in qua si manet illud non monumentum vrbis, sed sepulchrum inimico nomine inscriptum: demigrandũ potius aliquò est: quàm habitandum in ea vrbe, in qua trophæa, & de me, & de Republica videam constituta. an ego tantam aut animi duriciem habere, aut occulorũ impudentiam possim? vt cuius vrbis seruatorem me esse senatus omniũ assensu totiens iudicarit: in ea possem intueri domum meam euersam non ab inimico meo, sed ab hoste communi: & ab eodem extructã, & positam in oculis ciuitatis: ne vnquam conquiescere possit fletus bonorũ. Sp. Melij regnũ appetentis domus est complanata, ecquid aliud æquum

accidisse Melio popu. Ro. iudicauit: nomine ipso Æquimelij stulticia pœna comprobata est. Sp. Cassij domus ob eandem causam euersa, atque in eodem loco ades posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci: quæ publicata est, & euersa: vt illius facinus memoria & nomine loci notaretur. M. Manlius cum ab ascensu Capitolij Gallorum impetum repulisset: non fuit contentus beneficij sui gloria: regnũ appetisse est iudicatus. ergo eius domum euersam duobus lucis conuestitã videtis. Quã igitur maiores nostri sceleratis, ac nefarijs ciuibus maximã pœnam cõstitui posse arbitrati sunt: eandẽ ego subibo, ac sustinebo? vt apud posteros nostros non extinctor coniurationis, & sceleris, sed author & dux fuisse videar? Hanc verò Pontifices labem turpitudinis, & inconstantiæ poterit populi Romani dignitas sustinere? viuo Senatu? vobis principibus publici consilij? vt domus M. Tulli Ciceronis cum domo Fulvij Flacci ad memoriam pœnæ publicè constitutæ coniuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra salutem Reipub. fecerat: & senatus sententia est interfectus: & eius domus euersa, & publicata est. in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubijs Cymbricis fecit. ista autem fax, ac furia patriæ, cum vrbem Pisone, & Gabinio ducibus cœpisset: occupasset: teneret, vno eodemq; tempore & clarissimi viri mortui monumẽta delebat: & meã domum cum M. Flacci domo coniungebat: vt qua pœna Senatus afficerat euersorem ciuitatis: eadem iste oppresso Senatu afficeret eum: quem P. C. custodem patriæ iudicassent. Hanc verò in Palatio, atq; in pulcherrimo vrbis loco porticum esse patiemini, furoris Tribunitij, sceleris consularis, crudelitatis

tis coniuratorũ, calamitatis Reipublicæ, doloris mei, desixum indictum ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore quem habetis in Rempublicam: & semper habuistis: non modo sententijs, sed si opus esset manibus vestris disturbare cupieretis: nisi quem fortè illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. O rem, quam homines soluti, à cura liberati, ridere non desinant: tristiores autem sine maximo dolore audire non possunt. P. ne Clodius, qui ex Pontificis Maximi domo religionem eripuit: is in meã intulit? hunc inquam etiam vos, qui estis antistites cerimoniarum, & sacrorum, authorem habetis, & magistrum publicæ religionis? O dij immortales, vos enim hæc audire cupio, P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omneis humanas religione vestra contineri putat? hic non illudit authoritati horum omnium, qui assunt, summorum virorum? non vestra Pontifices grauitate abutitur? ex isto ore, religionis verbum excidere, aut elabi potest? cum tu eodem ore accusando Senatum, quod seuerè de religione decerneret, impurissimè te terrimeq; violasti: aspicite, aspicite Pontif. hominem religiosum: & si vobis videtur, quod est bonorum Pontificum, monete eum: modum quendam esse religionis: nimium esse superstitiosum non oportere. quid tibi necesse fuit anili superstitione homo fanatice sacrificium, quod alienæ domi fieret: inuisere? quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit? vt non putares deos satis posse placari: nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? quem vnquam audisti maiorum tuorum? qui & sacra priuata coluerunt, & publicis sacer-

dotijs præfuerunt :cum ſacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuiſſe? neminem: ne illū quidē, qui cæcus factus eſt. ex quo intelligitur multa in vita falsò homines opinari: cū ille qui nihil viderat ſciens, quod nefas eſſet, lumina amiſit: iſtius, qui nō ſolum aſpectu, ſed etiam inceſtu flagitio & ſtupro polluit cerimonias: pœna omnis occulorum ad cæcitatē mentis eſt conuerſa. Hoc authore tā caſto, tam religioſo, tam ſancto, tam pio poteſtis Pont. non commoueri? cum ſuis dicat ſe manibus domum ciuis optimi euertiſſe: & eam ijſdem manibus conſecraſſe. quæ tua fuit conſecratio? tulerā, inquit, vt mihi liceret. quidnam exceperas? vt ſi quod ius non eſſet rogare, ne eſſet rogatum? Ius igitur ſtatuetis eſſe, vniuſcuiusque veſtrum ſedes, aras, focos, deos penates, ſubiectos eſſe libidini Triumunitiæ? in quem quisq; per homines concitatos irruerit: quē impetu perculerit: huius domū non ſolum affligere, quod eſt præſentis inſaniæ, quaſi tempeſtatis repentinæ: ſed etiam in poſterum tempus religione ſempiterna obligare? Equidem ſic accepi Pontifices: in religionibus ſuſcipiendis caput eſſe interpretari, quæ voluntas deorum immortalium eſſe videatur. nec eſt vlla erga deos pietas, niſi honeſta de numine eorum, ac mente opinio: cum expeti nihil ab ijs, quod ſit iniuſtum, ac inhoneſtum, arbitrere. hominē inuenire iſta labes tum, cum omnia tenebat, neminem potuit: cui ſedes meas addiceret: cui traderet: cui donaret. ipſe enim loci illius, cum ædium cupiditate flagraret: ob eamq; cauſam vnā vna iuſta illa rogatione ſua vir bonus, dominum ſe in meis bonis eſſe voluiſſet: tamen illo ipſo in furore ſuo non eſt auſus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, poſſidere. Deos immortales exiſtimatis, cuius labore, & conſilio ſua

ſua ipſi templa tenuerunt: in eius domum afflictam, & euerſam per vnius hominis ſceleratiſſimi nefarium latrocinium immigrare voluiſſe: cuius eſt nemo in tanto populo, extra contaminatam illam, & cruentam P. Clodij manum: qui rem vllam de meis bonis attigerit: qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. at, qui aliqua ſe contagione prædæ, ſocietatis, emptionis, contaminauerunt, nullius neque priuati, neq; publici iudicij pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem vllam attigit: qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur: dij immortales domum meam concupiuerunt? iſta tua pulchra libertas, deos penates, & familiares meos lares expulit: vt à te ipſa tanquam in captiuis ſedibus collocaretur? quid eſt ſanctius? quid omni religione munitius? quàm domus vniuſcuiuſq; ciuium? hic aræ ſunt: hic foci, hic dij penates, hic ſacræ religionis cerimoniæ continentur: hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus: vt inde abripi neminem fas ſit. quo magis eſt furor iſtius ab auribus veſtris repellendus: qui quæ maiores noſtri religionibus tuta nobis et ſancta eſſe voluerunt: ea iſte non ſolum contra religionē labefactauit, ſed etiam ipſius religionis nomine euertit. At quæ dea eſt? bonam eſſe oportet: quandoquidē eſt abs te dedicata. libertas inquit eſt. eam tu igitur domi meæ collocaſti? quā ex vrbe tota ſuſtuliſti? tu, cum Collegas tuos ſumma poteſtate præditos negares liberos eſſe: cū in templum Caſtoris aditus eſſet apertus nemini: cum hunc clariſſimū virum ſummo genere natum, ſummis populi beneficijs vſum, Pontificem, & Conſularem, & ſingulari bonitate, & modeſtia præditum, quem ſatis mirari quibus oculis aſpicere

audeas, non queo: audiente populo Ro. à pedisſequis cõculcari iuberes: cũ indemnatum exturbares priuilegijs Tyrannicis irrogatis: cum principẽ orbis terræ virum inclusum domi contineres: cum forum armatis cateruis perditorum hominum possideres: libertatis simulacrum in ea domo collocabas: quæ domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus: et miserrimæ populi Romani seruitutis? eum ne potissimum libertas domo sua debuit pellere? qui nisi fuisset, in seruorum tempestatem ciuitas tota venisset? At vnde inuenta est ista libertas? quæsiui enim diligenter. Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur. eius non longè à Tanagris simulacrum è marmore in sepulchro positum fuit. hoc quidam homo nobilis non alienus ab hoc religioso libertatis sacerdote, ad ornatum ædilitatis suæ deportauit. etenim cogitarat omneis superiores muneris splendore superare. itaque omnia signa, tabulas ornamentorum quod superfuit in fanis, & cõmunibus locis, tota è Græcia, atq; insulis omnibus, honoris populi Ro. causa, sanè frugaliter domũ suam deportauit. Is posteaquam intellexit, posse se interuersa ædilitate à L. Pisone Consule Prætorem renunciari: si modo eadẽ prima litera competitorem habuisset aliquẽ: ædilitatem duobus in locis, partim in area, partim in hortis suis collocauit. signum de busto meretricis ablatum isti dedit: quod esset signum magis istorum, quàm publicæ libertatis. hanc deam quisquam violare audeat? & imaginem meretricis, ornamentũ sepulchri, à fure sublatam, à sacrilego collocatam? hæc me domo mea pellet? hæc vltrix afflictæ ciuitatis, Reip. spolijs ornabitur? hæc erit in eo monumento: quod positum est, vt esset indicium oppressi senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis?

tudinis? O Q. Catule, patrémne appellem, an filium? recentior enim memoria filij est: & cum rebus meis gestis coniunctior, tantúmne te fefellit? cum mihi summa & quotidiè maiora præmia in Repub. fore putabas. negabas fas esse duos Consules esse in hac ciuitate inimicos Reipub. duo sunt inuenti: qui Senatum Tribuno furenti constrictum traderent: qui pro me Patres Conscriptos deprecari, & populo supplices esse, edictis atq; imperio vetarent: quibus spectantibus domus mea disturbaretur, diriperetur: qui deniq; ambustas fortunarũ mearum reliquias suas in domos comportarent. Venio nunc ad patrem, tu Q. Catule M. Fuluij domum, cum is fratris tui socer fuisset: monumentũ tuarum manubiarum esse voluisti: vt eius qui pernicioſa Reipublicæ consilia cœpisset: omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. hoc si quis tibi ædificanti illã porticum diceret: fore tempus, cum is Tribunus plebis, qui authoritatem senatus, iudicium bonorum omnium neglexisset: tuum monumentum consulibus non modo in spectantibus, verum adiuuantibus disturbaret, euerteret: idq; cum eius ciuis, qui Rempublicam ex Senatus authoritate Consul defendisset, domo coniungeret: nonne responderes, id nisi euersa ciuitate accidere non posse? At videte hominis intolerabilem audaciam, cum proiecta quadam & effrenata cupiditate. monumentum iste nunquam, aut religionem vllam excogitauit: habitare laxè, & magnificè voluit: duasq; & magnas, & nobiles domos coniungere. eodem puncto temporis, quo me discessus isti causam cædis eripuit: à Q. Seio contendit, vt Q. Posthumius sibi domum venderet. cum ille id negaret: primò se luminibus eius esse

obstructurum minabatur. affirmabat Posthumius si viuo illam domum istius nunquam futurã. acutus adolescens ex ipsius sermone intellexit, quid fieri oporteret. hominem veneno apertissimè sustulit. emit domum litigatoribus defatigatis propè dimidio carius quàm æstimabat. Quorsum igitur hæc oratio pertinet? domus mea illa propè tota vacua est: vix pars ædium mearum decima ad Catuli porticũ accessit. causa fuit ambulatio, & monumentum, & ista Tanagræa oppressa Libertate libertas. in Palatio pulcherrimo prospectu porticũ cum conclauibus pauimentatam trecentum pedum concupierat: amplissimum peristylum: cætera eiusmodi: facilè vt omnium domos, & laxitate, & dignitate superaret. Et homo religiosus, cum ædes meas idem emeret, & venderet: tamen illis tantis tenebris non est ausus suum nomen emptioni illi ascribere. posuit scilicet Statonem illum hominem sua virtute egentem: vt is qui in Marsis, vbi natus est, tectum, quod imbris vitandi causa succederet: nullum haberet: ædes in Palatio nobilissimas emisse se diceret. inferiorem ædium partem assignauit, non suæ genti Fonteiæ, sed Clodiæ, quam reliquit. quem in numerum ex multis Clodijs nemo nomen dedit: nisi aut egestate, aut scelere perditus. Hanc vos Pontifices tam variam, tam nouam in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem, comprobabitis? Pontifex inquit affuit. non te pudet: cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere te, non Collegium Pontificum affuisse? præsertim cum Tribunus pl. vel denunciare potueris, vel etiã cogere? esto: Collegium non adhibuisti. quid? de Collegio quis tandem affuit? posuerat enim authoritatem in vno, quæ est in his

omnibus.

omnibus. sed tamen auget, & ætas, & honos dignitatem, opus erat etiam scientia: quam etsi omnes consecuti sunt: tamẽ certè peritiores vetustas facit. quis ergo affuit: frater inquit vxoris meæ sed authoritatem quærimus, & si id est ætatis, vt nondum consecutus sit: tamen quanta est in adolescente authoritas, ea propter tantam coniunctionem affinitatis, minor est putanda. Sin autem scientia est quæsita: quis erat minus peritus, quàm is, qui paucis illis diebus in Collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti: cum se fratrem vxoris tuæ, fratri tuo germano antelatum videbat: & si in eo prouidisti, ne frater te accusare posset. hanc tu igitur dedicationem appellas? ad quam non Collegium, non honoribus populi Romani ornatum Pontificem, non denique adolescentem quenquam, cum haberes in Collegio familiarissimos, adhibere potuisti? affuit is, si modo affuit: quem tu impulisti: soror rogauit: mater coëgit. videte igitur Pontif. quid statuatis in mea causa de omnium fortunis. verbo ne Pontifices putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit: domum vniuscuiusq; consecrari posse? an istæ dedicationes, & templorum, & delubrorum religiones ad honorem deorum immortalium sine vlla ciuium calamitate à maioribus nostris constitutæ sunt? est inuentus Tribunus plebis: qui consularibus copijs instructus, omni impetu sororis in eum ciuem irruerit: quem percussum ipsa Respublica suis manibus extolleret. quid? si quis similis istius, neque enim iam deerunt qui imitari velint: aliquem mei dissimilem, cui Respublica non tantum debeat: per vim afflixerit: domum eius per Pontificẽ dedicarit: id vos ista authoritate constituetis ratum esse oportere? dici is, quẽ

reperiet Pontificem: quid? & Tribunus pl. idem esse non potest Pontifex? M. Drusus ille clarissimus Tribunus pl. Pontifex fuit. ergo, si is Q. Cepionis inimici sui postem ædium tenuisset, & pauca verba fecisset: ædes Cepionis essent dedicatæ? nihil loquor de Pontificio iure: nihil de ipsius verbis dedicationis: nihil de religione, cærimonijs: non dissimulo me nescire ea, quæ etiam, si scirē, dissimularem: ne alijs molestus, vobis etiam curiosius viderer: et si effluunt multa ex vestra disciplina, quæ etiam ad nostras aures sæpe permanant. Postem teneri in dedicatione oportere, videor audisse, templi. ibi enim postis est, vbi templi aditus est, & valuæ ambulationis. postes nemo vnquam tenuit in dedicando. simulacrum autē, aut aram si dedicasti, sine religione loco moueri potest. Sed iam hoc dicere tibi non licebit: quoniam pontificem postem tenuisse dixisti. quanquam quid ego de dedicatione loquar? aut quid de vestro iure, & religione contra quàm proposueram disputabo? Ego verò, si omnia solennibus verbis, veteribus, & priscis institutis acta esse dicerem: tamen me Reip. iure defenderem. At cum tu eius ciuis discessu, cuius vnius opera senatus atque omnes boni ciuitatem esse incolumen totiens iudicassent: oppressam teterrimo latrocinio cum duobus sceleratissimis consulibus Remp. teneres: domum eius, qui patriā à se seruatam perire suo nomine noluisset: per Pontificem aliquem dedicasses: posset recreata Resp. sustinere? date de hac religione aditum Pontifices: tam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An si postem tenuerit Pontifex: & verba ad religionem deorum immortalium composita, ad perniciem ciuium transtulerit: valebit ad iniuriam nomen sanctissimum religionis?

nis? si Tribunus pl. verbis non minus priscis, & penè solennibus bona ciuis cuiuspiam consecrarit, non valebit? Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex senatu Censor reiecerat: aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio consecrauit foculo posito in rostris, adhibitoq; tibicine. quid tum? num ille furor tribuni plebis ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis fraude Metello fuit summo illi & clarissimo viro? certè non fuit. Vidimus hoc idem Cn. Lentulo Censori Tribunum pl. facere. nunquid igitur is bona Lentuli religioni obligauit? sed quid ego cæteros? tu, tu inquam capite velato, concione aduocata, foculo posito, bona tui Gabinij, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumq; donaras, consecrasti. Quod si tum nihil est actum: quid in meis bonis agi potuit? sin est ratum, cur ille gurges helluatus tecum simul Reip. sanguinem, ad cœlum tamen extruxit villam in Tusculano visceribus ærarij? mihi meas ruinas, quarum ego similem totam vrbem esse passus non sum: aspicere non licuit? Omitto Gabinium. quid? exemplo tuo bona tua nónne L. Mummius vir fortissimus, atq; optimus consecrauit? quod si, quia ad te pertinet, ratū esse negas oportere: ea iura constituisti in præclaro Tribunatu tuo: quibus in te conuersis, recusares, alios euerteres. sin ista consecratio legitima est: quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit? an consecratio nullum habet ius, dedicatio est religiosa? quid ergo illa tua tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem quid voluisti? nam si est illud ratum: mitto Gabinium: tua domus certè, & quicquid

quid habes aliud, est Cereri consecratum. sin ille ludus fuit, quid te impurius? qui religiones omnes pollueris aut ementiendo, aut stuprando. Iam fateor inquit in Gabinio me nefarium fuisse. quippe fides pœnam illam à te in alium institutam, in te ipsum esse conuersam. Sed homo omnium scelerum flagitiorumq; documentum quod in Gabinio fateris: cuius impudicitiam pueritiæ, libidines adolescentiæ, dedecus & egestatem reliquæ vitæ, latrocinium consulatus vidimus: cui ne ista quidem ipsa calamitatis iniuria potuit accidere, id in me infirmas, & grauius esse dicis, q̃ quod vno adolescẽte, quàm quod concione tota teste feceris. dedicatio magnã, inquit, habet religionem. nónne vobis Numa Pompilius videtur loqui? discite orationem Pont. & vos Flamines etiam, tu Rex disce à gentili homine tuo: quanqã ille gentem istã reliquit: sed tamẽ disce ab homine religionibus dedito, iusto, tum omnium religionum perito. quid? in dedicatione nõ ne & quis dicit? & quid? & quomodo quæritur? an tu hæc ita confundis, & perturbas? vt quicunq; velit, quod velit, quomodo velit, possit dedicare? quis eras tu, qui dedicabas? quo iure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? vbi te isti rei populus Ro. præfecerat? video enim esse legem veterem Tribunitiã: quæ vetet iniussu plebis ædes, terram, aram consecrare. neque tum hoc Q. Papirius, qui hanc legem rogauit, sensit, neq; suspicatus est: fore periculum ne domicilia, aut possessiones indemnatorum ciuium consecrarentur. neque enim id fieri fas erat: neq; quisquam fecerat: neq; erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quàm admonere. sed quia consecrabantur ædes, non priuatorum domicilia, sed quæ sacræ nominantur: consecrabantur agri: non ita vt nostra

stra prædia, si quis vellet: sed vi imperator agros de hostibus captos consecraret: statuebantur aræ, quæ religionem afferrent: ipso si loco essent consecratæ hæc nisi plebs iussisset, fieri vetuit. quæ si tu interpretaris de nostris ædibus, atque agris scripta esse, non repugno. sed quæro, quæ lex lata sit? vt tu meas ædeis consecrares? vbi tibi hæc potestas data sit? quo iure feceris? neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrorum, nec de pontificio, sed de iure publico disputo. Lex Papiria vetat ædeis iniussu plebis consecrari. sit sanè hoc de nostris ædibus, ac non de publicis templis. vnum ostende verbum consecrationis in ipsa tua lege: si illa lex est, ac non vox sceleris & crudelitatis tuæ. quod si tibi tum in illo Reip. naufragio omnia in mentem venire potuissent: aut situus scriptor in illo incendio ciuitatis non syngraphas cum Byzantijs exulibus, & cum legatis regys faceret: sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet: esses omnia si minus re, at verbis legitimis consecutus. sed vno tempore cautiones fiebant pecuniarum: fœdera feriebantur prouinciarum: regum appellationes venales erant: seruorum omnium vicatim celebrabatur tota vrbe descriptio: inimici in gratiam reconciliabantur: imperia ascribebantur nouæ iuuentuti: Q. Seio venenum misero parabatur: de Cn. Pompeio propugnatore, & custode imperij interficiendo consilia inibantur: Senatus nequid esset, vt lugerent boni semper: vt capta Resp. consulũ proditione, vi Tribunitia teneretur. hæc cum tot tantaq; agerentur: non mirum est, præsertim in furore animi, & cæcitate, multa illum & te fefellisse. at videte quanta sit vis huius Papiriæ legis in ea tali, non qualem tu affers sceleris plenam & furoris,

ris Q. Martius Censor signum Concordiæ fecerat: idq; in publico collocarat. hoc signum C. Cassius Censor cum in curiam transtulisset: Collegium vestrum consuluit, nunquid esse causa videretur: quin id signum Curiamq; Concordiæ dedicaret? quæso Pontif. & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat summa modestia, & grauitate Censor. hic tribunus pl. scelere & audacia singulari. tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione positum senatus. tuum porrò tempus libertate populi Ro. oppressa, senatus authoritate deleta. res illa plena iustitiæ, sapientiæ, dignitatis. Censor enim, penes quem maiores nostri, id quod tu sustulisti, iudicium senatus de dignitate esse voluerunt: Concordiæ signum volebat in Curia, Curiamq; ei Deæ dedicare. præclara voluntas, atq; omni laude digna. præscribere enim se arbitrabatur: vt sine studys dissensionis sententiæ dicerentur: si sedem ipsam ac templum publici consilij religione Concordiæ deuinxisset. tu cum ferro, cum metu, cum edictis, cum priuilegys, cum præsentibus copys perditorum, absentis exercitus terrore, & minis, Consulum societate, & nefario fœdere, seruitute oppressam ciuitatem teneres: libertatis signum posuisti magis ad ludibrium impudentiæ, quã ad simulationem religionis, ille in Curia, quæ poterat, sine cuiusquam incommodo dedicabat: tu in ciuis optimè de Rep. meriti cruore ac penè ossibus simulacrum non libertatis publicæ, sed licentiæ collocasti. atq; ille tamen ad Collegium retulit. tu ad quẽ retulisti? si quid deliberares, si quid tibi aut piandum, aut instituendum fuisset religione domestica: tamẽ instituto caterorũ vetere, ad Pontificem detulisses. nouũ

delubrum

delubrum cum in vrbis clarissimo loco, nefando quodã atq; inaudito instituto inchoares: referendum ad sacerdotes publicos non putasti. At si Collegium pontificum adhibendum non videbatur: nemo ne horum tibi idoneus visus est? qui ætate, honore, authoritate antecellũt: vt cum eo dedicationem communicares? quorum quidẽ tu non contempsisti. sed pertimuisti dignitatem. An tu auderes quærere ex P. Seruilio? aut ex M. Lucullo? quorum ego consilio atq; authoritate Remp. Consul ex vestris manibus, ac faucibus eripui: quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, ciuis domum consecrares: deinde ciuis eius, cui princeps senatus, cui etiam ordines omnes, deinde Italia tota, post cunctæ gentes testimonium huius vrbis, atq; imperij conseruati dedissent. quid diceres, O' nefanda, & perniciosa labes ciuitatis? ades, ades Lucculle, Seruili, dum dedico domum Ciceronis, vt mihi præeatis, postemq; teneatis. Es tu quidem cum audacia, tum impudentia singulari: sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent: cum te viri, qui sua dignitate personam populi Ro. atq; authoritatem imperij sustinerent: verbis grauissimis perterruissent: neq; sibi fas esse dixissent, furori interesse tuo, atque in patriæ parricidio & scelere. quæ cum videres: tum te ad tuum affinem non delectum à te, sed relictum à cæteris contulisti. quem ego tamen credo, si est ortus ab illis: quos memoriæ proditum est, ab ipso Hercule perfuncto iam laboribus sacra dedicasse: in viri fortis ærumnis, non ita crudelem fuisse: vt in viui & iam spirantis caput bustum suis manibus imponeret, qui aut nihil dixit, aut si fecit: omnino pœnam hanc maternæ temeritatis tulit: vt mutam in delicto personam, nomenq; præberet. aut si dixit ali-

quid

quid verbis hæsitantibus, postemq́; tremebunda manu tetigit: certè nihil ritè, nihil caſtè, nihil more inſtitutoq́; perfecit. viderat ille Murenam vitricum ſuum conſulē deſignatum, ad me conſulem cum Allobrogibus cōmunis exitij indicia afferre: audierat ex illo ſe à me bis ſalutem accepiſſe: ſeparatim ſemel: iterum cum vniuerſis. Quare quis eſt? qui exiſtimare poſſit, huic nouo Pontifici primam hanc poſt ſacerdotium initum, religionem inſtituenti, vocemq́; mittenti, non & linguam obmutuiſſe? & manum obtorpuiſſe? & mentem debilitatam metu concidiſſe? præſertim cum ex Collegio tanto, non Regem, non Flaminem, non Pontificem videret: fieriq́; particeps alieni ſceleris inuitus cogeretur: & grauiſſimas pœnas affinitatis impuriſſimæ ſuſtineret. Sed vt reuertar ad ius publicum vindicandum: quod ipſi Pont. ſemper non ſolum ad ſuas ceremonias, ſed etiam ad populi iuſſa accomodauerunt: habetis in commentarijs veſtris C. Caſſium Cenſorem de ſigno Concordiæ dedicando ad Pontificum Collegium retuliſſe: eiq́; M. Æmiliū Pont. Maximū pro Collegio reſpondiſſe: niſi eum populus Ro. nominatim præfeciſſet, atq; eius iuſſu faceret: non videri ea rectè poſſe dedicari. quid? cum Licinia virgo Veſtalis ſummo loco nata, ſanctiſſimo ſacerdotio prædita, T. Flaminio, Q. Metello Cons. aram & ædiculam & pului nar ſub ſaxo ſacro dedicaſſet: non eam rem ex authoritate ſenatus ad hoc Collegium Sex. Iulius Prætor retulit? cum P. Scæuola Pont. Max. pro collegio reſpondit: quod in loco publico Licinia C. F. iniuſſu populi dedicaſſet: ſacrum non videri eſſe. quam quidem rem quanta ſeueritate, quantaq́; diligentia ſenatus ſuſtulerit, ex ipſo S. C. facil cognoſcetis. Videtis ne Prætori vrbano negocium

tium datum, vt curaret, ne id ſacrum eſſet: & vt ſi quæ eſſent inciſæ aut inſcriptæ literæ, tollerentur? O tempora: O mores, tum Cenſorem hominem ſanctiſſimū, ſimulacrum Concordiæ dedicare Pontifices in templo inaugurato prohibuerunt. poſt autē Senatus in loco auguſto conſecratam eam aram tollendam, ex authoritate Pontificum cenſuit: neq; vllū eſt paſſus ex ea dedicatione literarum extare monumentū. tu procella patriæ, turba, ac tempeſtas pacis, atq; ocy, quod in naufragio Reip. tenebris offuſis, demerſo populo Ro. euerſo atq; eiecto ſenatu diruueris, ædificaris, religione omni violata, Reip. tantum nomine cōtaminaris: in ciuis huiuſce ædibus, & in vrbe quā ſuis laboribus ac periculis conſeruaſſet: monumentū deletæ Reip. collocaris ad Equitū notam, ad dolorē bonorum omniū: ſublatoq́; Q. Catuli nomine incideris: id ſperaſti Remp. diutius, quàm quoad mecū ſimul expulſa careret his mœnibus, eſſe laturā? At ſi Pōt. neq; is cui licuit, neq; id quod fas fuit dedicauit: quid me attinet iam illud tertiū, quod propoſueram docere? non his inſtitutis, ac verbis, quibus cerimoniæ poſtulant, dedicaſſe. Dixi à principio nihil me de ſcientia veſtra, nihil de ſacris, nihil de abſcondito iure pontificū dicturū. quæ ſunt adhuc à me de iure deducendi diſputata: non ſunt quæſita ex occulto aliquo genere literarum: ſed ſumpta de medio ex rebus palàm per magiſtratus actis, ad collegiūq́; delatis ex S. conſulto, ex lege. illa interiora iā veſtra ſunt. quid dici, quid præcipere, q̄d tangi, q̄d teneri ius fuerit. quæ ſi omnia ex Coruncani ſcientia, qui peritiſſimus Pontifex fuiſſe dicitur: acta eſſe cōſtarēt. aut ſi M. Horatius ille Pulullus, qui cū eius dedicationē multi ꝓpter inuidiā fictis religionibus impedirent: reſtitit, & cōſtantiſſima mente

Capitolium dedicauit : huiusmodi alicui dedicationi præfuisset: tamẽ in scelere religiõ valeret: nedũ valeat id quod imperitus adolescens, nouus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, inuitus, sine collegis, sine libris, sine authore, sine scriptore, furtim mente ac lingua titubante feciſſe dicatur. præsertim cũ iſte impurus atq; impius hostis omniũ religionũ, qui cõtra fas, & inter viros sæpe mulier, & inter mulieres vir fuisset: ageret illã rem ita raptim, & turbulentè : vt neq; mens, neq; vox, neq; lingua consisteret. delatũ tum est ad vos Pont. & pòst omniũ sermone celebratũ: quemadmodum iſte præposteris verbis, ominibus obscœnis, identidẽ se ipse reuocando, dubitans, timens, hæsitans, omnia aliter ac vos in monumentis habetis, & pronuntiarit, & fecerit. Quod quidẽ minimè mirum est in tanto scelere, tantaq; dementia, ne audaciæ quidẽ locum ad timorem cõprimendum fuisse. etenim si nemo vnquam prædo tam barbarus, atq; immanis fuit: qui cum fana spoliasset: deinde aram aliquã in littore deserto somnijs stimulatus aut religione aliqua consecraret: non horreret animo: cũ diuinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur. qua tandẽ istum perturbatione mentis omnium templorũ atq; tectorum, totiusq; vrbis prædonẽ fuisse cẽsetis? cũ pro detestatione tot scelerum vnã aram nefariè consecraret. non poterat vllo modo (quanquam & insolentia dominatus extulerat animos: & erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac sæpe peccare. præsertim illo pontifice & magistro, qui cogeretur docere: ante quã ipse didicisset. Magna vis est cum in deorum immortalium numine, tum verò in ipsa Republica. Dy immortales suorũ templorum custodẽ ac præsidem scele-

sceratissimè pulsum cum viderent : ex suis templis in eius ædes immigrare nolebant: itaq; istius vecordissimi mentem cura metuq; terrebant. Res verò publica, quanquam erat exterminata mecum: tamen obuersabatur ante oculos exterminatoris sui: & ab istius inflammato atq; ignito furore iam tum me seq; repetebat. Quare quid est mirum? si iste metu, si furore instinctus, scelere præceps, neque institutas cerimonias persequi, neq; verbum vllum solenne potuit effari? quæ cum ita sint Pontifices: reuocate iã animos vestros ab hac subtili nostra disputatione ad vniuersam Rempublicã: quam antea cum viris fortibus multis, in hac verò causa solis vestris cernicibus sustinetis. vobis vniuersi senatus perpetua authoritas, cui vosmetipsi præstantissimi semper in mea causa præfuistis : vobis Italiæ magnificentissimus ille motus, municipiorũq; concursus, vobis campus, centuriarumq; vna vox omniũ, quarum vos principes, atq; authores fuistis: vobis omnes societates, omnes ordines, omnes qui aut re, aut spe deniq; sunt boni: omnes tũ erga meã dignitatẽ studium, & iudicũ non modo commissum, verũ etiam cõmendatum esse arbitrabantur. deniq; ipsi dij immortales, qui hanc vrbẽ, atq; hoc imperiũ tuentur: vt esset omnibus gentibus posteritatiq; perspicuũ, diuino me numine esse Reip. redditũ : iccircò mihi videntur fructum ipsum reditus & gratulationis meæ ad suorum sacerdotum potestatẽ iudiciũq; reuocasse. Hic est enim reditus pontifices: hæc restitutio: in domo, in sedibus, in aris, in focis, in dys penatibus recuperandis. quorũ si iste suis sceleratissimis manibus tecta sedesq; conuellit: ducibusq; consulibus tanquam vrbe capta hanc vnam domum quasi acerrimi propugnatoris sibi delendam putauit : tan ea

illi diÿ penates, ac familiares mei per vos in meã domum mecum erunt restituti. Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Ro. Optimũ, propter vim, Maximum nominauit: teq; Iuno regina, & te custos vrbis Minerua, quæ semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborũ extitisti, precor, ac quæso: vosq; qui maximè me repetistis, atq; reuocastis: quorũ de sedibus hæc mihi proposita est cõtentio, patrÿ penates, familiaresq; : q; huic vrbi & Reip. præsides estis: vos obtestor: quorũ ego à templis, ac delubris pestiferam illã & nefariam flammam depuli: teq; Vesta mater, cuius castissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore, & scelere defendi: cuiusque ignem illũ sempiternum non sum passus aut sanguine ciuium restingui, aut cum totius vrbis incendio cõmisceri: vt si in illo penè fato Reip. obieci meum caput pro vestris cerimonÿs, atq; templis perditissimorũ ciuium furori, atque ferro: & si iterum cum ex mea contentione interitus bonorum omniũ quæreretur: vos sum testatus: vobis me ac meos cõmendaui: meq; ac meum caput ea conditione deuoui: vt si & eo ipso tempore, & antè in consulatu meo cõmodis meis omnibus, emolumẽtis, præmÿs prætermissis, cura, cogitatione, vigilÿs omnibus, nihil nisi de salute meorũ ciuium laborassem: tum mihi Rep. aliquando restituta liceret frui: sin autem mea consilia Patriæ non profuissent: vt perpetuum dolorem auulsus à meis sustinerẽ: hanc ego deuotionem capitis mei, cum ero in sedes meas restitutus: tũ deniq; conuictam esse, & commissam putabo. Nam nunc quidẽ Pont. non solum domo, de qua cognoscitis: sed tota vrbe careo, in quã videor esse restitutus. Vrbis enim celeberrimæ & maximæ partes aduersum illud non monumentũ, sed vulnus patriæ contuentur.

tur. quem cum mihi conspectũ morte magis vitandum fugiendumq; esse videatis: nolite quæso eum, cuius reditu restitutam Remp. fore putastis: non solũ dignitatis ornamentis, sed etiam vrbis partibus velle esse priuatum. Non me bonorum direptio, non tectorũ excisio, non depopulatio prædiorum, non præda consulum ex meis fortunis crudelissimè capta permouet. caduca semper & mobilia hæc esse duxi, nõ virtutis, atq; ingenÿ, sed fortunæ, & temporum munera: quorum ego non tam facultatẽ vnquam & copiã expetandam putaui: quam & in vtendo rationem, & in carendo patientiã. etenim ad nostrum vsum propemodum iam est definita moderatio rei familiaris: liberis autẽ nostris satis amplum patrimonium paterni nominis, ac nostræ memoriæ relinquemus. Domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam ædificata, quam euersa, carere sine maxima ignominia Reip. meo dedecore, ac dolore non possum. Quapropter si dÿs immortalibus, si Senatui, si populo Romano, si cunctæ Italiæ, si prouincÿs, si exteris nationibus, si vobismetipsis, qui in mea salute principem semper locum authoritatemq; tenuistis, gratum & iucundum meum reditum intelligitis esse: quæso, obtestorq; vos Pontifices: vt me, quem authoritate, studio, sententÿs restituistis: nunc, quoniam Senatus ita vult, manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis.

DE ARVSPICVM RESPONSIS IN SENATV.

ORATIO XXXI.

HEsterno die P. C. cum me & vestra dignitas, & frequentia equitũ Romanorum quibus Senatus dabatur: magnopere cõmouisset: putaui mihi reprimendã esse P. Clodij impudicam impudentiã: cum is publicanorũ causam stultissimis interrogationibus impediret: & P. Tullioni Syro nauaret operam: atque ei sese, cui totus venierat, etiã vobis inspectantibus venditaret. Itaq; hominum furentiẽ, exultantemq; continui: simulac periculũ iudicij intendi duobus incœptis verbis omnẽ impetum gladiatoris, ferociamq; compressi. attamen ignarus ille, qui consules essent, exanguis atq; æstuans se è curia repentè proripuit, cum quibusdã fractis iam, atque inanibus minis, & cum illius Pisõniani temporis Gabinianiq; terroribus. Quem cũ egredientẽ insequi cœpissem: cœpi equidẽ fructum maximũ & ex consurrectione omniũ vestrum, & ex comitatu Publicanorum. Sed vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit: deinde respexit, & simul ac Cn. Lentulum cons. aspexit: concidit in Curiæ penè limine: recordatione credo Gabinij sui, desiderioq; Pisõnis. cuius ego de effrenato, & præcipiti furore quid dicam? haud potest grauioribus à me verbis vulnerari: quam est statim in facto ipso, à grauissimo viro P. Seruilio confectus, ac trucidatus. cuius si etiã vim, & grauitatẽ illam singularẽ, ac penè diuinẽ assequi possem: tamen non dubito, quin ea tela,

ea tela, quæ coniecerit inimicus, quàm ea, quæ Collega patris emisit: leuiora atq; hebetiora esse videantur. Sed tamen mei facti rationem exponere illis volo: qui hesterno die dolore me elatum, & iracundia longius propè digressum arbitrabantur, quàm sapientis hominis cogitata ratio postularet. nihil feci iratus: nihil impotenti animo: nihil non diu consideratum, ac multò antè meditatum. Ego enim P. C. inimicum me semper esse professus sum duobus: qui me, qui rẽ meã, cum defendere deberent, seruare possent: cumq; ad consulare officium, ipsis insignibus illius imperij, ad meã salutem, non solum authoritate, sed etiam precibus vestris vocarentur: primò reliquerunt: deinde prodiderunt: postremò oppugnauerunt: præmijsq; nefariæ pactionis funditus vnà cũ Repub. oppressum extinctumq; voluerunt: quiq; suo ductu & imperio cruento illo atque funesto, supplicia neq; à sõciorum mœnibus prohibere, neq; hostium vrbibus inferre potuerunt: excisionem, inflammationem, euersionem, depopulationem, vastitatẽ eam sua cum prædã eis omnibus tectis, atque agris intulerunt. cum his furijs, & facibus, cum his inquam exitiosis prodigijs, ac penè huius imperij pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum: neq; id tamen ipsum tantũ quantum meus, ac meorum: sed tantum, quantum vester atque omnium honorum dolor postulauit. In Clodium verò non est hodie meum maius odium: quàm illo die fuit, cum illum ambustũ religiosissimis ignibus, cognoui muliebri ornatu ex incesto stupro, atq; ex domo Pontificis maximi emissum: tũ inquam, tũ vidi: ac mulò anìè prospexi: quanta tempestas excitaretur: quanta impẽ-

deret procella Reipublicæ. videbam illud scelus tam importunum, audaciã tam immanem adolescentis furentis, nobilis, vulnerati, nõ posse arceri ocij finibus: erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem ciuitatis. non multum mihi sanè post ad odium accessit: nihil enim cõtra me fecit odio mei: sed odio seueritatis, odio dignitatis, odio Reipublicæ: non me magis violauit, quã senatum, quàm equites Romanos, quã omnes bonos, quàm Italiam cunctam. non denique in me sceleratior fuit: quàm in ipsos deos immortales. etenim illos eos scelere violauit: quo nemo antea in me fuit eodem animo: quo etiam eius familiaris Catilina, si vicisset, fuisset. Itaq; eum nunquã à me esse accusandum putaui: non plus quam stipitem illum: qui quorum hominum esset, nesciremus: nisi se Ligurem ipse esse diceret. quid enim hunc persequar pecudẽ ac beluam pabulo inimicorum meorũ & glande corruptũ? qui si sensit quo se scelere deuinxerit: non dubito, quin sit miserrimus. sin autem id non videt: periculum est, ne se stuporis excusatione defendat. Accedit etiam, quod expectatione omniũ, fortissimo, & clarissimo viro T. Annio deuota, & constituta ista hostia esse videtur. cui me præripere desponsam iam, & destinatam laudẽ, cum ipse eius opera & dignitatem, & salutem recuperarim, valdè esset iniquum. etenim vt P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumq; Carthaginis: qui illam à multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, penè captam, aliquando quasi fatali euentu solus euertit: sic T. Annius ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus esse videtur: & quasi diuino munere donatus Reipublicæ,

solus

solus ille cognouit, quemadmodũ armatum ciuem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contineret, qui vrbem totam, qui Curiam, qui forum, qui templũ, omnia cæde, incendys terreret, non modo vinci, verum etiam vincere oporteret. Huic ego, & tali, & ita de me, ac de patria merito vno, nunquam mea voluntate præripiam, eum præsertim reum: cuius ille inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetiuit. sed si etiam nunc illaqueatus iam omniũ legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, expectatione supplicij iam non diuturna implicatus, feretur tamen hæsitans: & in me impetum impeditus facere conabitur, resistam: & aut concedente, aut etiam adiuuante Milone, eius conatum refutabo, velut hesterno die, cum mihi stanti tacens minaretur: voce tantum attigi legum initium, & iudicij. consedit ille. conticui. diem dixisset, vt fecerat: fecissem, vt ei statim tertius à Prætore dies diceretur. atq; hoc sic moderetur, & cogitet: si contentus sit his sceleribus, quæ commisit: iam se esse consecratum Miloni: si quod in me telum intorserit: statim me esse arrepturum arma iudiciorum, atq; legum. Atq; paulo antè P. C. concionem habuit: quæ est ad me tota delata. cuius concionis primum vniuersum argumentum sententiamq; audite. cum riseritis impudentiã hominis, tum à me de tota concione audietis. De religionibus sacris, & cerimonijs est concionatus Patres Conscripti Clodius: P. inquam Clodius sacra & religiones negligi, violari, pollui, questus est. non mirũ, si hoc vobis ridiculũ videtur. etiã sua concio risit hominẽ, quomodo ipse gloriari solet: ducentis confixũ senatus consultis, quæ sint omnia contra illum pro religionibus facta: hominemq; illum, qui

puluinaribus Bonæ deæ ſtuprum intulerit: eaq; ſacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem aſpici fas eſt: non ſolum aſpectu virili, ſed flagitio, ſtuproq; violarit: in concione de religionibus neglectis cõqueri. itaq; nunc proxima concio eius expectatur de pudicitia. quid enim intereſt? vtrum ab altaribus religioſiſſimis fugatus, de ſacris & religionibus queratur? an ex ſororum cubiculo egreſſus, pudorem pudiciamq; defendat? Reſponſum Aruſpicum hoc recens de fremitu, in concione recitauit: in quo cum alijs multis ſcriptum etiam illud eſt, id quod audiſtis, loca ſacra & religioſa, profana haberi. in ea cauſa eſſe dixit domum meam à religioſiſſimo ſacerdote P. Clodio conſecratam. Gaudeo mihi de toto hoc oſtento, quod haud ſcio, an grauiſſimum multis his annis huic ordini nunciatum ſit: datam non modo iuſtam, ſed etiam neceſſariam cauſam eſſe dicendi. reperietis enim ex hoc toto prodigio, atq; reſponſo, nos de iſtius ſcelere, ac furore, ac de impendentibus periculis maximis, propè iam vocè Iouis Optimi maximi præmoneri. Sed primum expiabo religionem ædium mearum: ſi id facere verè, ac ſine cuiuſquam dubitatione potero. ſin ſcrupulus tenuiſſimus reſidere aliquis videbitur: non modo patienti, ſed etiã libenti animo portentis deorũ immortalium religioniq; parebo. Sed quæ tandem eſt in hac vrbe tanta domus, ab iſta religionis ſuſpicione tam vacua, atq; pura? quanquã veſtræ domus. P. C cæterorumq; ciuium multo maxima ex parte ſunt liberæ religione: tamen vna mea domus iudicijs omnibus liberata, in hac vrbe ſola eſt. Te enim appello Lentule & te Philippe. ex hoc Aruſpicum reſponſo decreuit ſenatus: vt de locis ſacris, religioſis, ad hunc ordinem referretis.

poteſtis

poteſtis ne referre de mea domo? quæ, vt dixi, ſola in hac vrbe omni religione, omnibus iudicijs liberata eſt? quã primum inimicus ipſe in illa tempeſtate ac nocte Reip. cum cætera ſcelera ſtylo illo impuro Sex. Clodius conſcripſiſſet: ne vnà quidem attigit litera religionis. Deinde eandem domũ populus Romanus, cuius eſt ſumma poteſtas omnium rerum: comitijs Centuriatis omnium ætatum, ordinumq; ſuffragijs, eodem iure eſſe iuſſit, quo fuiſſet. Poſtea vos P. C. non quod dubia res eſſet: ſed vt huic furiæ, ſi diutius in hac vrbe, quam delere cuperet, maneret, vox interdiceretur: decreuiſtis, vt de mearũ ædium religione ad Pontificum collegium referretur. quæ tanta religio eſt? quæ non in noſtris dubitationibus, atq; in maximis ſuperſtitionibus, vnius R. Seruilij, ac M. Luculli reſponſo, ac verbo liberemur? de ſacris publicis, de Ludis maximis, de deorum Penatiũ, Veſtæq; matris cerimonijs, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Romani: quod poſt Romam conditam, huius vnius caſti tutoris religionũ, ſcelere violatum eſt: quod tres Pontifices ſtatuiſſent: id ſemper populo Romano, ſemper ſenatui, ſemper ipſis dijs immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtũ, ſatis religioſum eſſe viſum eſt. At verò meã domum P. Lentulus Conſ. & Pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, L. Lentulus flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius Rex ſacrorũ, M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Cæſar flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terẽtius, Pontifices minores, cauſa cognita duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorũ, ac ſapientiſſimorũ ciuiũ aſtantè, omni religione vna mente omnes liberauerunt.

Nego

Nego vnquam post sacra constituta, quorum eadem est antiquitas, quæ ipsius vrbis: vlla de re, ne de capite quidem virginum Vestalium, tam frequens collegium iudicasse. quanquã ad facinoris disquisitionem interest adesse quam plurimos. ita est enim interpretatio illa Pontificum: vt ijdem potestatem habeant iudicum. religionis explanatio vel ab vno Pontifice perito fieri potest. quod idem in iudicio capitis durum atq; iniquum est: tamen sic reperietis, frequentiores Ponti. de mea domo, quam vnquam de cerimonijs virginũ iudicasse. Postero die frequentissimus senatus te Consule designato Lentule sententiæ principe P. Lentulo, & Q. Metello Cõss. referentibus, statuit: cũ omnes Pontifices, qui erant huius ordinis, adessent: cumq; alij qui honoribus populi Rom. antecedebant: multa de collegij iudicio verba fecissent: omnesq; ij dẽ scribendo adessent: domum meam iudicio Pontificum religione liberatam videri. de hoc igitur loco sacro potissimũ videntur Aruspices dicere: qui locus solus ex priuatis locis omnibus hoc præcipuè iuris habet: vt ab ipsis, qui sacris præsunt, sacer non esse iudicatus sit. Verum referte, quod ex S. C. facere debetis. aut vobis cognitio dabitur: qui primi de hac domo sententiã dixistis, & eam religione omni liberastis: aut senatus ipse iudicabit: qui vno solo illo Antistite sacrorum dissentiente frequentissimus antea iudicauit. aut id quod certè fiet: ad Pont. reijcietur: quorum authoritati, fidei, prudentiæ maiores nostri sacra religionesq; & priuatas, & publicas commendarunt. quid ergo hi possunt aliud iudicare, ac iudicauerunt? Multæ sunt domus in hac vrbe, P. C. atq; haud scio an pene cunctæ iure optimo: sed tamen iure priuato, iure hæreditario, iure authoritatis,

thoritatis, iure mancipij, iure nexi: nego esse vllam domum aliam, priuato eodem quoq; optima lege: publico verò omni præcipuo & humano & diuino iure munitam. quæ primum ædificatur ex authoritate senatus pecunia publica: deinde contra vim nefariam huius gladiatoris tot senatus consultis munita, atq; septa est. Primum negocium ijsdem magistratibus est datum anno superiore, vt curarent, vt sine vi mihi ædificare liceret: quibus in maximis periculis vniuersa Respublica commendari solet. deinde cum illo saxis, & ignibus, & ferro vastitatem meis ædibus intulisset: decreuit senatus eos qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos qui vniuersam Rempublicam oppugnassent, teneri. vobis verò referentibus ô post hominum memoriam fortissimi atque optimi Consules, decreuit idem senatus frequentissimus, qui meam domum violasset, contra Remp. esse facturum. nego vllo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus extare consulta, quot de mea domo: quam senatus vnam, post hanc vrbem constitutam, ex ærario ædificandam, à pontificibus liberandam, à magistratibus defendendã, à iudicibus puniendam putaret. P. Valerio pro maximis in Remp. beneficijs data domus est in villa publica. at mihi in palatio restituta. illi locus, at mihi parietes atq; tectum. illi quam ipse priuato iure tueretur: mihi quam publicè magistratus omnes defenderent. quæ quidem ego si aut per me, aut ab alijs haberẽ: non predicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer, sed cum sint mihi data à vobis: cum ea attententur eius lingua: cuius antea manu euersa vos mihi & liberis meis, manibus vestris reddidistis: non ego de meis, sed de factis vestris loquor: nec vereor, ne hæc mea vest ro

rum

rum beneficiorum prædicatio non grata potius, quàm arrogans videatur. quanquã si me tantis laboribus pro communi salute perfunctũ, efferret aliquando ad gloriã in refutandis maledictis improborum hominum animi quidam dolor, quis non ignosceret? vidi enim hesterno die quendam murmurantem: quem aiebant negare, ferre me posse: quia cum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem ciuitatis: respondi me probantibus & vobis & equitibus Ro. eius esse: quæ carere me non potuisset. ille, vt opinor, ingemuit. quid igitur Responderem? quæro ex eo ipso, qui ferre me non potest, me ciuem esse Romanum? literatè respondissem. an tacuissem? desertum negocium. potest quisquam vir in rebus magnis cum inuidia versatus, satis grauiter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? At ipse non modo respondet quicquid potest, cum est lacessitus: sed etiam gaudet, se ab amicis quid respondeat, admoneri. Sed quoniã mea causa expedita est: videamus nunc, quid aruspices dicant. ego enim fateor me magnitudine ostenti, & grauitate responsi, & vna, atq; constanti aruspicum voce vehementer esse permotũ. neque is sum, qui, si cui fortè videor plus quam cæteri, qui æquè atq; ego, sunt occupati: versari in studio literarum: his delecter, aut vtar omnino literis: quæ nostros animos deterrent, atq; auocant à religione. Ego verò primũ habeo authores, ac magistros religionum colendarum maiores nostros: quorum mihi fuisse tanta sapientia videtur: vt satis superq; prudentes sint: qui illorum prudentiam non dicam assequi, sed quanta fuerit, perspicere possint. qui status solenneis q; cerimonias, pontificatu, rerum bene gerendarum authoritates, augurio, fatorum veteres prædictiones:

dictiones Apollinis, vatum libris: portentorum explanationes, Hetruscorum disciplina contineri putarunt: quæ quidem tanta est: vt nostra memoria primum Italici belli funesta principia, post Syllani, Cinnaniq; temporis extremũ penè discrimen, tum hanc recentem vrbis inflammandæ, delendiq; imperij coniurationem, non obscurè nobis paulo antè prædixerint. Deinde etiam cognoui multa homines doctissimos sapientissimosq;, & dixisse: & scripta de deorum immortalium numine reliquisse: quæ quanquam diuinitus perscripta video: tamen eiusmodi sunt: vt ea maiores nostri docuisse illos, non ab illis didicisse videantur. Etenim quis est tam vecors, qui aut cum suspexerit in cœlum, deos esse non sentiat? & ea quæ tanta mente fiunt: vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum ac vicissitudinem perfequi possit, casu fieri putet? aut cum deos esse intellexerit, non intelligat eorum nomine hoc tantum imperium esse natum, & auctum, & retentum? quàm volumus P. C. licet ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denig; hoc ipso huius gentis ac terræ domestico natiuoq; sensu Italos, ac ipsos Latinos, sed pietate, ac religione, atq; hac vnà sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi, gubernariq; perspeximus, omnes gentes nationesq; superauimus. Quare ne plura de re minimè loquar dubia: adhibite animos: & mentes vestras, non solum aures, ad Aruspicum vocem admouete. quod in agro Latinensi auditus est strepitus cum fremitu. mitto Aruspices: mitto illam veterem ab ipsis dijs immortalibus, vt hominum fama est, Hetruriæ datam disciplinam: nos non ne Aruspices esse possumus?

possumus? Exauditus in agro propinquo, & suburbano est strepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum. quis est ex gigantibus illis, quos poëtæ ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam nouo tantoq; motu non magnum aliquid deos populo Ro. præmonstrare, & præcinere fateatur? de eare scriptum est, postulationes decretas esse Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, dys cœlestibus. audio quibus dys violatis expiatio debeatur: sed hominũ quæ ob delicta, quæro: ludos minus diligenter factos, pollutosq; quos ludos? te appello Lentule: tui sacerdotij sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæq; ludorum publicorum: P. C. vosq; Pontifices, ad quos Epulones Iouis Optimi Max. si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt: quorũ de sententia illa eadẽ renouata, atq; instaurata celebrãtur: qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro Pontificum collegio: nihil cuiusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutũ: omnia sõlennia ac iusta ludorum, omnibus rebus obseruatis, summa cũ cerimonia esse seruata. quos igitur Aruspices ludos minus diligenter factos pollutosq; esse dicunt? eos, quorũ ipsi dy immortales, atq; illa mater dea, te te Cn. Lentule, cuius ab auia manibus esset accepta, spectatorem esse voluit: quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses: haud scio an viuere nobis atq; his de rebus iam queri liceret. vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis collecta seruorum, ab hoc ædili religioso repentè fornicibus, hostijsq; omnibus in scenam signo dato immissa irrupit. tua tum, tua Cn. Lentule eadẽ virtus fuit: quæ in priuato quondam tuo proauo.

auo. te, nomen, imperium, vocẽ, aspectum, impetum tuum stans Senatus, equites Romani, & omnes boni sequebantur: cũ ille seruorũ & ludiorũ multitudini S. Pq; R. vinctum ipso consessu, & constrictum spectaculis, atq; impeditũ turba & angustijs tradidisset. An si ludius cõstitit, aut tibicen repentè conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus si terrã non tenuit, aut tensem, aut lorũ omisit, aut si ædilis verbo, aut si nutu aberrauit, ludi sunt non ritè facti? eaq; errata expiantur? & mentes deorum immortaliũ ludorum instauratione placantur? si ludi ab lætitia ad metum traducti: si non intermissi, sed perempti, atq; sublati sunt: si ciuitati vniuersæ scelere eius, qui ludos ad luctũ conferre voluit: extiterunt dies illi festi penè funesti: dubitabimus quos ludos ille fremitus nunciet esse pollutos? Ac si volumus ea, quæ de quoq; deo nobis tradita sunt, recordari: hanc Matrẽ magnam, cuius laudi violati, polluti, penè ad cædẽ & ad funus ciuitatis conuersi sunt: hanc inquã accepimus agros & nemora cum quodam strepitu fremituq; peragrare: hæc igitur vobis, hæc populo Romano & scelerum indicia ostendit: & periculorum signa patefecit. nam quid ego de illis ludis loquar? quos in Palatio nostri maiores ante templũ, in ipso Matris magnæ conspectu Megalensibus fieri celebrariq; voluerunt: qui sunt more institutisq; maximè casti, sõlennes, religiosi. quibus ludis primum ante populi consessum Senatui locum. P. Africanus iterum Consul ille maior dedit: vt eos ludos hæc lues impura pollueret? quo si quis liber aut spectandi, aut etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur. quò matrona nulla adyt propter vim consessumq; seruorum. Ita ludos eos, quorum religio-

tanta est: vt ex vltimis terris accersita in hac vrbe consederit: qui ludi ne vno quidē verbo appellantur Latino, vt vocabulo ipsō, & appetita religio externa, & Matris magnæ nomine susceptа declaretur: hos ludos serui fecerunt: serui spectauerunt: tota denique hoc ædile seruorum Megalesia fuerunt. Prò dy immortales, qui magis nobiscum loqui posseris? si essetis, verseareminiq; nobiscum? ludos esse publicos pollutos significatis, ac planè dicitis. quid magis deformatum, inquinatum, peruersum, conturbatum dici potest? quàm omne seruitium permissu magistratus liberatū in alteram scenā immissum: alteri præpositum: vt alter confessus potestati seruorum obiceretur: alter seruorum totus esset? Si examen apum ludis in scenā venisset: Aruspices acciendos ex Hetruria putaremus. videmus vniuersi repentè examina tanta seruorū immissa in populū Romanum septum atq; inclusum, & non cōmouemur? Atq; in apum fortasse examine, nos ex Hetruscorum scriptis Aruspices, vt à seruitio caueremus monerent. quod igitur ex aliquo disiuncto, diuersoq; monstro significatum caueremus: id cum monstrum sibi ipsum est, & cum in eo ipso periculum est: ex quo periculum portenditur, non pertimescemus? Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit: cum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit: quàm C. aut Appij Claudiorum Illi cum ludos facerent: seruos de cauea exire iubebant. tu in alteram seruos immisisti: ex altera liberos eiecisti. Itaque qui antea voce præconis à liberis semouebantur: tuis ludis non voce, sed manu liberos à se segregabant, ne hoc quidem tibi in mentem veniebat Sybillino sacer-

no sacerdoti: hæc sacra maiores nostros ex vestris libris expetisse, si illi sunt vestri: quos tu impia mente conquiris, violatis oculis legis: cōtaminatis manibus attrectas: hac igitur vate suadente quondā, defessa Italia punico bello, atq; ab Annibale vexata, sacra ista maiores nostri ascita ex Phrygia Romæ collocauerūt: quæ vir is accepit, qui est optimus à P. R. iudicatus, P. Scipio: fœmina autē quæ matronarū castissima putabatur, Q. Claudia: cuius priscā illā seueritatē sacrificij tua soror mirificè existimatur imitata. nihil te igitur, neq; maiores tui cōiuncti cum his religionibus, neq; sacerdotium ipsum, quo est hæc tota religio cōstituta: neq; curulis ædilitas, quæ maximè hanc tueri religionē solet, permouit: quo minus castissimos ludos omni flagitio pollueres: dedecore maculares: scelere obligares? Sed quid ego id admiror? qui accepta pecunia Pessinuntē ipsum, sedem domicilium q; matris deorum, vastaris: & Brogitaro Gallogræco, impuro homini, ac nefario, cuius legati te Tribuno diuidere in Aede Castoris tuis operis nummos solebant, totū illū locū fanūq; vendideris: sacerdotem ab ipsis aris puluinaribusq; detraxeris: omnia illa, quæ vetustas, quæ Persæ, quæ Syri, quæ reges omnes, qui Europā Asiamq; tenuerunt, semper summa religione coluerunt, peruerteris? quæ deniq; nostri maiores tā sancta duxerūt: vt cū refertā vrbē atq; Italiā fanorū haberemus: tamen nostri Imperatores maximis & periculosissimis bellis huic deæ vota facerent: eaq; in ipso Pessinunte, ad illam ipsam principē aram, & in illo loco fanoq; persoluerent. Quod cū Deiotarus religione sua castissimè tueretur: quē vnū habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atq; amantissimū nostri nominis: Brogitaro, vt anìè dixi addictum pecu-

nia tradidisti. Atq; hunc tamen Deiotarum sæpe à Senatu regali nomine dignum existimatũ, clarissimorum Imperatorum testimonijs ornatũ, tu etiã regem appellari cũ Brogitaro iubes. Sed alter est Rex iudicio Senatus per nos, pecunia Brogitarus per te appellatus, alterum putabo regem: si habuerit, vnde tibi soluat: quod ei per syngraphã credidisti. nã cum multa regia sunt in Deiotaro, tum illa maximè: quod tibi nummum nullum dedit: quod eam partem legis tuæ, quæ congruebat cum iudicio Senatus: vt ipse Rex esset: non repudiauit: quod Pessinuntem per scelus à te violatum, & sacerdote sacrisq; spoliatum recuperauit: vt in pristina religione seruaret: quod cerimonias ab omni vetustate acceptas, à Brogitaro pollui non sinit: maunltq; generum suum munere tuo, quàm illud fanum antiquitate religionis carere. sed vt ad hæc Aruspicum responsa redeam: ex quibus est primum de ludis: quis est, qui id non totum in istius ludos prædictum, & responsum esse fateatur?

Sequitur de locis sacris, religiosis. O' impudentiam miram. de mea domo dicere audes? committe vel Consulibus, vel Senatui, vel collegio Pontificũ tuam. At mea quidem his tribus omnibus iudicijs, vt dixi antea liberata est. At in his ædibus, quas tu Q. Scio equite Romano, viro optimo per te apertissimè interfecto tenes: sacellum dico fuisse, aras, tabulis hoc censorũ, memoria multorum firmabo, ac docebo. agatur modo hæc res: quod ex eo S. C. quod nuper est factum, referri ad vos necesse est: habeo quæ de locis religiosis velim dicere: cum de domo tua dixero. in qua tamen ita est inædificatũ sacellum: vt alius fecerit: tibi tantummodo sit demoliendum. tum videbo, num mihi necesse sit de alijs etiam aliquid dicere.

cere. putant enim nonnulli ad me pertinere armamentarium Telluris aperire. nuper id patuisse dicunt: & ego recordor. nunc sanctissimã partem, ac sedem maximæ religionis priuato dicunt vestibulo contineri. multa me mouent, quod ædes Telluris est curationis meæ: quod is, qui illud armamentariũ sustulit, meam domũ Pontificũ iudicio liberatam, secundũ fratrem suum iudicatam esse dicebat. mouet me etiam in hac caritate annonæ, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris: & eò magis: quod eodẽ ostento Telluri postulatio deberi dicitur. Vetera fortasse loquimur: quanquam hoc si minus ciuili iure perscriptum est: lege tamen naturæ, communi iure gentium sancitum est: vt nihil mortales à dijs immortalibus vsucapere possint. veruntamen antiqua negligimus. etiam ne ea negligemus, quæ fiunt maximè, quæ videmus? L. Pisonem quis nescit his ipsis temporibus maximum & sanctissimum Dianæ sacellum in Cœliculo sustulisse? adsunt vicini eius loci: multi sunt etiam in hoc ordine: qui sacrificia gentilitia illo ipsõ in sacello, statuto loco anniuersaria facilitarint. & conquirimus dij immortales, quæ loca desiderent: quid significent: de quo loquantur? A Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, summa demiq; turpitudine esse fœdata nescimus? tu meã domum religiosam facere potuisti? ecqua mente? qua inuaseras. qua manu? qua disturbaras. qua voce? qua incendi usseras. qua lege? quãne in illa quidem impunitate tua scripseras. quo puluinari? quod stupraras. quo simulacro? quod ereptum ex meretricis sepulchro in imperatoris monumento collocaras. quid habet mea domus religiosi? nisi quod impuri & sacrilegi parietem tangit?

itaq; ne quis meorum imprudẽs introspicere possit tuam domum: ac te sacra illa tua facientẽ videre: tollam altius tectum: non vt ego te despiciam: sed tu ne aspicias vrbem eam: quam delere voluisti. Sed iam Aruspicum reliqua responsa videamus. Oratores contra ius fasq; interfectos. quid est hoc? de Alexandrinis video esse sermonem. quem ego non refuto. sic enim sentio: ius legatorum cum hominum præsidio munitũ sit: tum etiã diuino iure esse vallatum. sed quæro ab illo, qui omnes iudices Tribunus è carcere in fõrum effudit: cuius arbitrio sicæ omnes nunc, atq; omnia venena tractantur. qui cum Hermacho Chio syngraphas fecit: ecquid sciat vnum acerrimũ aduersarium Hermachi Theodosium Legatum ad Senatum à ciuitate libera missum sica percussum? quod non minus quàm de Alexandrinis indignum dijs immortalibus esse visum certè scio. nec cõfero, nunc in te vnũ omnia. spes maior esset salutis: si præter te nemo esset impurus. plures sunt. hoc & tu tibi confidis magis: & nos propè iure diffidimus. quis Platonẽ ex Oreste ide, quæ pars Macedoniæ libera est: hominem in illis locis clarum, ac nobilem, legatum Thessalonicam ad nostrum, vt seipse appellauit, Imperatorem venisse nescit? quem ille propter pecuniam, quã ab eo extorquere non poterat, in vincula coniecit: & medicũ intromisit suum: qui legato, socio, amico, libero fœdissimè & crudelissimè venas incideret. secures suas cruentari scelere noluit. nomen quidem populi Ro. tanto scelere contaminauit: vt id nulla re possit, nisi ipsius supplicio expiari. Quales hũc carnifices putamus habere? qui etiã medicis suis non ad saluti, sed ad necẽ vtatur? Sed recitemus qd sequatur. fidem & iusiurandum neglectum. hoc quid sit,

sit, per seipsum non facilè interpretor: sed ex eo, quod sequitur, suspicor de tuorum iudicũ manifesto periurio dici. quibus olim erepti essent nummi: nisi à senatu præsidiũ postulassent. quare autẽ de his dici suspicer, hæc causa est, quod sic statuo: & illud in hac ciuitate esse maximè illustre, atque insigne periurium: & teipsum tamen in periurij pœnam ab his quibuscum coniurasti, non vocari: & video in Aruspicum responsis hæc esse subiuncta. Sacrificia vetusta, occultaq; minus diligenter facta, pollutaq;. Aruspices hæc loquuntur? an patrij. penatesq; dij? multi sunt enim credo: in quos huius maleficij suspicio cadat. quis præter hunc vnum? obscurè dicitur, quæ sacra polluta sint? quid planius? quid grauius? quid religiosius dici potest? vetusta, occultaq;. nego vlla verba Lentulum grauem oratorem, ac disertum sapius, cum te accusaret, vsurpasse: quàm hæc, quæ nunc ex Hetruscis libris in te conuersa atque interpretata dicuntur. Etenim quod sacrificium tam vetus est, quàm hoc? quod à regibus æquale huic vrbi accepimus? quod autem tam occultum, quàm id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quò non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium omni memoria violauit: nemo vnquam adijt: nemo neglexit: nemo vir aspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales: fit p populo Romano: fit in ea domo, quæ est in imperio: fit incredibili cerimonia: fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros scire fas est: quàm iste iccircò Bonam ducit: quod in tanto sibi scelere ignouerit. non ignouit, mihi crede, non. nisi fortè tibi esse ignotũ putas: quod te iudices dimiserunt excussum, & exhaustum,

ſuo iudicio abſolutum, omnium condemnatũ. aut quod oculos, vt opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. quis enim ante te, ſacra illa vir ſciens viderat? vt quiſquam pœnam, quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet? An tibi luminis obeſſet cæcitas plus, quàm libidinis? ne id quidẽ ſentis: conniuenteis illos oculos abaui tui magis optandos fuiſſe: quàm hos flagranteis ſororis? tibi verò ſi diligenter attenderis: intelliges hominum pœnas deeſſe adhuc, non deorum. homines te in re fœdiſſima defenderunt: homines turpiſſimum nocentiſſimumq; laudarunt: homines propè confitentem iudicio liberauerunt: hominibus iniuria tui ſtupri illata, in ipſos dolori non fuit: homines tibi arma, alij in me, alij poſt in illum inuictum ciuem dederunt: hominum beneficia prorſus concedo tibi: ac maiora non eſſe quærenda. A dijs quidem immortalibus, quæ poteſt homini maior eſſe pœna, furore, atque dementia? niſi fortè in tragœdijs, quos vulnere ac dolore corporis cruciari, ac conſumi vides: grauiores deorum immortalium iras ſubire, quàm illos, qui furentes inducuntur, putas. non ſunt illi eiulatus & gemitus Philoctetæ tam miſeri, quanquam ſunt acerbi, quàm illa exulatio Athamantis, & quàm ſomnium matricidarũ. tu, cum furiales in concionibus voces mittis: cum domos ciuium euertis: cum lapidibus optimos viros foro pellis: cum ardenteis faces in vicinorum tecta iactas: cum ædes ſacras inflammas: cum ſeruos concitas: cum ſacra ludosq; conturbas: cum vxorem ſororemq; nõ diſcernis: cum, quod ineas cubile, non ſentis: cum baccharis: cum furis, tum das eas pœnas: quæ ſunt ſolæ hominum ſceleri à dijs immortalibus conſtitutæ. nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus

ſus per ſe. denicq; ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſa conficitur. deorum tela in impiorum mentibus figuntur. quare miſerior es, cum in omnem fraudem raperis oculis: quàm ſi omnino oculos non haberes. Sed quoniam de his omnibus, quæ Aruſpices commiſſa eſſe dicunt, ſatis eſt dictum: videamus, quid ydem Aruſpices à dijs iam immortalibus dicant moneri. Monent, ne per optimatium diſcordiam, diſſenſionemq;, patribus, principibusq; cædes, periculaq; creentur: auxilioq; diminuti deficiantur: quare ad vnum imperium prouinciæ rę deant: exercitusq; pulſus, diminutioq; accedat. Aruſpicum verba ſunt hæc omnia, nihil addo de meo. Quis igitur hanc optimatium diſcordiam molitur? idem iſte. nec vlla vi ingenij, aut conſilij ſui, ſed quodam errore noſtro: quem quidem ille, quod obſcurus non erat, facilè perſpexit. hoc enim etiam turpius afflictatur Reſpublica: quod ne ab eo quidem vexatur: vt, tanquam fortis in pugna vir, acceptis à forti aduerſario vulneribus aduerſis & honeſtis cadere videatur. T. Gracchus conuellit ſtatum ciuitatis: qua grauitate vir? qua eloquentia? qua dignitate? nihil vt à patris, auiq; Africani præſtabili inſigniq; virtute, præterquã quod à ſenatu deſciuerat, deflexiſſet. ſecutus eſt C. Gracchus, quo ingenio? quanta vi? quanta grauitate dicendi? vt dolerent boni omnes: nõ illa tanta ornamenta ad meliorẽ mentem, voluntatemq; eſſe conuerſa. ipſe L. Saturninus ita fuit effrenatus, & penè demens: vt author eſſet egregius: & ad animos imperitorũ excitandos inflammandos q; perfectus. Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo grauitas, tanta iucunditas, tanta breuitas fuit: vt poſſet, vel vt prudentes errarent: vel vt boni minus

benè sentirent, perficere dicendo. Cum his conflictari, & pro salute patriæ quotidie dimicare: erat omnino illis, qui tum Rempub. gubernabant, molestum. sed habebat ea molestia quandam tamen dignitatem. Hic verò, de quo ego ipse tam multa nunc dico, prò dij immortales quid est? quid valet? quid affert? vt tanta ciuitas si caderet, quod dij omen obruant, à viro tamen confecta videatur. qui post patris mortem primam illam ætatulam suam ad scurrarũ locupletum libidines detulit. quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris volutatus. deinde iam robustus, prouinciæ se ac rei militari dedit: atq; ibi piratarum contumelias perpessus etiam Cilicum libidines Barbarorumq; satiauit. post, exercitu L. Luculli sollicitato, per nefandum scelus fugit illinc: Romæq; recenti aduentu suo cũ propinquis suis decidit: ne reos faceret: à Catilina pecuniam accepit: vt turpissimè præuaricaretur. inde cũ Murena se in Galliã contulit: in qua prouincia mortuorũ testamenta conscripsit: pupillos necauit: nefarias cum multis scelerum pactiones societatesq; conflauit. inde vt rediit, Quæsturam illam maximè fœcũdam, vberemq; campestrem, totum ad se ita redegit: vt homo popularis fraudaret improbissimè populum: idemq; vir clemens diuisores omnium tribunum domi ipse sua crudelissima morte mactaret. Exorta est illa Reipublicæ, sacris religionibus, authoritati vestræ, iudicys publicis funesta Quæstura: in qua idem iste deos, homines q; pudorem, pudicitiam, Senatus authoritatem, ius, fas, leges, iudicia, violauit. Atq; hi ei gradus (ô misera tempora stultasq; nostras discordias) P. Clodio gradus ad Rempublicam, hic primus est aditus ad popularem iactationem atq; ascensus.

sus. Nam T. Graccho inuidia Numantini fœderis, cui feriendo Quæstor C. Mancini Cons. cum esset, interfuerat: & in eo fœdere improbando Senatus seueritas dolori, & timori fuit: istaq; res illum fortem & clarum virum à grauitate patrum desciscere coëgit. C. autẽ Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi, ad expetendas domestici sanguinis pœnas excitauit. Saturninum quod in annonæ caritate Quæstorem à sua frumẽtaria procuratione Senatus amouit: eiq; rei M. Scaurum præfecit: scimus, dolore factum esse popularem. Sulpicium ab optima causa profectum, Caioq; Iulio consulatum contra leges petenti, resistentem, longius quam voluit popularis aura prouexit. Fuit in his omnibus causa, & si non iusta, nulla enim potest cuiquam malè de Rep. merenti iusta esse causa, grauis tamen, & cum aliquo animi & iuris dolore coniuncta. P. Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus soleis, purpureisq; faceolis, à strophio, à psaltrio, flagitio, à stupro est factus repentè popularis. nisi eum mulieres exornatum ita reprehendissent: nisi ex eo loco, quo eum adire fas non fuerat: ancillarum beneficio emissus esset: populari homine populus Romanus, Respublica ciue tali careret. Hanc ob amentiam in discordijs nostris, de quibus in ipsis, his prodigijs recentibus à dijs immortalibus admonemur, arreptus est, vnus ex patricijs: cui tribunum pl. fieri non liceret. quod anno antè frater Metellus, & concors etiam tum senatus principi Cn. Pompeio sententiam dicenti, excluserat: acerrimeq; vna voce ac mente restiterat: id post dissidium optimatum, de quo ipsõ nunc monemur: ita perturbatum: itaq; permutatum est: vt quod frater consul ne fieret, obstiterat. quod affinis, &

& sodalis clarissimus vir, qui illum reum non laudarat, excluserat: id is Consul efficeret in discordijs principum: qui illi vnus inimicissimus esse debuerat: & eo fecisse authore se diceret: cuius authoritatis neminem posset pœnitere. iniecta est fax fœda, ac luctuosa Reipublicæ: petita est authoritas vestra, grauitas amplissimorum ordinum, censensio bonorum omnium, totus denique ciuitatis status. hæc enim certè repetebantur: cum in me cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum coniyciebatur. excepi, & pro patria solus exarsi. sic tamen, vt vos ijsdem ignibus circumsepti, me primũ ictum pro vobis, & fumantem videretis. non sedabantur discordiæ: sed etiam crescebat in eos odiũ: à quibus nos defensi putabamur. ecce ijsdem authoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, populum Romanum desiderantem, flagitantes vos, non authoritate sua solum, sed etiam precibus ad meam salutem excitauit, restituti sumus. sit discordiarũ finis aliquando: à diuturnis dissensionibus conquiescamus. non sinit eadẽ ista labes: ea habet cõciones: ea miscet, ac turbat: vt modo vendat illis: nec tamen ita, vt se quisquã, si ab isto laudatus sit, laudationem putet: sed vt eos, quos non amant: ab eo dẽ gaudeant vituperari. Atq; ego nunc non miror. quid enim faciat aliud? illos homines sapientissimos, grauissimosq; miror. primum quod quenquam clarum hominem, atq; optimè de Republica sæpe meritũ, impurissimi voce hominis violari facilè patiuntur. deinde quod existimant perditi hominis profligatiq; maledictis posse id quod minimè conducit ipsis, cuiusquam gloriam dignitatemq; violari. postremò quod non sentiunt id, quod tamen mihi iam suspicari videntur: illius furentes, ac

violentos

violentos impetus in se ipsos posse conuerti. atq; ex hac nimia nonnullorum alienatione, & quibusdam hærentia tela in Republica: quæ quamdiu hærebãt in vno me, grauiter equidem, sed aliquanto leuius ferebam. An iste, nisi primo se dedidisset ijs, quorũ animos à vestra authoritate seiunctos esse arbitrabamur: nisi eos in cœlum suis laudibus præclarus author extolleret: nisi exercitum C. Cæsaris, in quo fallebat multos: sed eum nemo redarguebat: nisi eum inquam exercitum signis infestis in curiã se immissurum minitaretur: nisi Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso authore, quæ faciebat, facere clamaret: nisi consules causam coniunxisse secum, in quo vno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam sceleratus Reipublicæ vexator esse potuisset? Idem, posteaquam respirare vos à metu cœpit, emergere authoritatem vestrã, à fluctibus illis seruitutis, reuiuiscere memoriam ac desiderium mei vidit: vobis se cœpit subitò fallacissimè venditare. tum, leges Iulias contra auspicia latas, & hic, & in concionibus dicere: in quibus legibus inerat Curiata illa lex: quæ totum eius Tribunatum continebat: quam cæcus amentia non videbat. producebat fortissimum virum M. Bibulum: quærebat ex eo, C. Cæsare leges ferente, de cœlo semper ne seruasset? semper se ille seruasse dicebat. Augures interrogabat: quæ ita lata essent, rectè ne lata essent? illi vitio lata esse dicebant. ferebant in oculis hominem quidam boni viri, & de me optimè meriti: sed illius, vt ego arbitror, furoris ignari. longius processit. in ipsum Cn. Pompeium authorem, vt prædicare est solitus, consiliorũ suorum inuehi cœpit. iniebat gratiam à nonnullis. tum verò est ratus, se posse, quoniam togatum domestici belli extinctorẽ nefario scelere

fœdasset:

fœdasset: illum etiam: illum externorum bellorum, hostiumq; victorem affligere. tum est illa in templo Castoris scelerata et penè deletrix huius imperij, sica deprehẽsa. tum ille, cui nulla hostium diutius vrbs vnquã fuit clausa: qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium obiecta tela, semper vi & virtute perfregit: obsessus ipse est domi: meq; nonnulla imperitorum vituperatione, timiditatis meæ, consilio, & facto suo liberauit. Nam si Cn. Pompeio viro vno omnium fortissimo, quicunq; nati sunt, miserrimum magis fuit, quàm turpe: quàm diu ille tribunus pl. fuit: lucem non aspicere: carere publico: minas eius perferre: cum in concionibus diceret: velle se in Carinis ædificare alteram porticum, quæ palatio respondet: certè mihi exire domo mea ad priuatum dololorem fuit luctuosum: ad rationem Reipublicæ, gloriosum. Videtis igitur hominem per seipsum iam pridem afflictum, ac iacentem, pernicioſis optimatum discordijs excitari. cuius initia furoris, dissensionibus eorum, qui tum à vobis seiuncti videbantur, sustentata sunt. reliqua iam præcipitantis tribunatus, etiam post tribunatum obtrectatores eorum, atq; aduersary defenderunt: ne à Republica Reipub. pestis remoueretur. restiterunt etiam ne causam diceret, etiam ne priuatus esset. etiam ne in senatu atq; in delitijs quidam optimi viri viperam illam venenatam ac pestiferam habere potuerunt? quo tandem decepti munere? volo inquiunt esse, qui in concione detrahat de Pompeio. detrahat ille vituperando? velim sic hoc vir summus, ac de mea salute optimè meritus accipiat. vt à me dicitur. dicam quidem certè quod sentio. mihi medius fidius tum de illius amplissima dignitate detrahere, cum maximis laudibus efferebat, videbatur.

batur. vtrum tandẽ C. Marius splendidior? cum eũ C. Glaucia laudabat: an cum eundem iratus postea vituperabat? an ille demens, & iam pridem ad pœnam, exitiumq; preceps, fœdior, atq; inquinatior in Cn. Pompeio accusando, quam in vniuerso senatu vituperando fuit? quod quidem miror, cum alterum gratum sit iratis: alterum esse tam bonis ciuibus non acerbum. Sed ne id vitros optimos diutius delectet: legant hanc eius concionem, de qua loquor, in qua Pompeium ornat, an potius deformat? certè laudat, & vnum esse in hac ciuitate dignum huius imperij dicit: & significat se illi amicissimum esse: & reconciliationem esse gratiæ factam. quod ego quanquam quid sit, nescio: tamen hoc statuo: hunc si amicus esset Pompeio: laudaturũ illum non fuisse. quid enim, si illi inimicissimus esset: amplius ad eius laudem minuendam facere potuisset? Videant ij, qui illum Cn. Pompeio inimicum esse gaudebant: ob eamq; causam in tot tantisq; sceleribus conniuebant: & nonnunquam eius indomitos atq; effrenatos furores plausu etiam suo prosequebantur, quam se cito inuerterit. nunc enim iam laudat illum: in eos inuehitur, quibus se antea venditabat. quid existimatis eum, si reditus ei gratiæ patuerit, esse facturum? qui tam libenter in opinionem gratiæ irrepat? Quas ego alias optimatum discordias à dijs immortalibus definiri putem? nam hoc quidem verbo neq; P. Clodius, neq; quisquam de gregalibus eius, aut de consiliarijs designatur. habent Hetruſci libri certa nomina: quæ in id genus ciuium cadere possunt. deteriores, repulsos, quod iam audietis, hos appellant: quorum & mentes & res sunt perditæ, longeq; à communi salute disiunctæ. Quare cum dij immortales monent

nent de optimatium discordys: de clarissimorum & optimè meritorum ciuium dissensione prædicunt. cũ principibus periculum, cædemq; portendunt: in tuto collocant Clodium: qui tantum abest à principibus: quantum à puris, quantũ à religiosis. vobis ô clarissimi atq; optimi ciues, & vestræ saluti consulendum, & prospiciendum videnr. cædes principum ostenditur: id quod interitum optimatium sequi necesse est, adiungitur: etiam, ne in vnius imperium res decidat, admonemur. ad quem metum si deorum monitis non duceremur: tamen ipsi nostro sensu, coniecturaq; raperemur. Neq; enim vllus alius discordiarum solet esse exitus inter claros & potentes viros: nisi aut vniuersus interitus: aut victoris dominatus, aut regnum. Dissensit cum Mario clarissimo ciue, consũl nobilissimus & fortissimus L. Sylla. horum vterque ita cecidit victus: vt victor idem regnauerit. cum Octauio collega Cinna dissensit. vtrisq; horum secunda fortuna regnum est largita: aduersa mortem. idem iterum Sylla superauit. tum sine dubio habuit regalem potestatem, quanquam Rempub. recuperauit. Inest hoc tempore haud obscurum odiũ, atq; id insitum penitus, & inustum animis hominum amplissimorum: dissident principes: captatur occasio: qui non tantum opibus valent, nescio quam fortunam tamen ac tempus expectant: qui sine controuersia plus possunt, hi fortasse nonnunquam consilia, ac sententias inimicorum suorum eximescũt. Tollatur hæc è ciuitate discordia: iam omnes isti qui portenduntur metus, extinguentur: iam ista serpens, quæ tum hic delitescit, tum sẽ emergit, & fertur illuc: compressa, atq; illisa morietur. Monent enim ijdẽ, ne occultius consilijs Resp. lædatur. quæ sunt occultiora, quam

eius,

eius, qui ausus in concione est dicere: iustitium edici oportere: iurisdictionem intermitti: claudi ærarium: iudicia tolli. nisi fortè existimatis hanc tantam colluuionem illi, tantamq; euersionem ciuitatis, in mentem subitò in rostris nec cogitanti venire potuisse. est quidem ille plenus vini, stupri, somni: plenusq; inconsideratissimæ ac demẽtissimæ temeritatis: veruntamẽ nocturnis vigilys, & coactione hominũ, iustitium illud conceptum ac meditatũ est. Mementote P. C. verbo illo nefario tentatas aures vestras: & perniciosam viam, audiendi consuetudine, esse munitam. Sequitur illud, ne deterioribus repulsis q; honos augeatur. Repulsos videamus. nam deteriores qui sint, pòst docebo sed tamen in eum cadere hoc verbũ maximè, qui sit vnus omniũ mortalium sine vlla dubitatio ne deterrimus, concedendũ est. qui sunt igitur repulsi? nõ vt opinor ij, qui aliquando honorẽ vicio ciuitatis, nõ suo, non sunt assecuti. nam id quidẽ multis sæpe optimis ciuibus, atque honestissimis viris accidit. repulsi sunt ij, quos ad omnia progredientes, quos munera cõtra leges gladiatoria parantes, quos apertissimè largientes, non solũ alieni, sed etiam sui, vicini, tribules, vrbani, rustici, repulerunt. hi ne honore augeantur, monemur. Debet esse gratum, quod prædicunt: sed tamen huic malo populus Romanus ipse, nullo Aruspicũ admonitu sua sponte prospexit. deteriores cauete. quorum quidẽ est magna natio: sed tamen eorũ omnium hic dux est, atq; princeps. Etenim si vnum hominẽ deterrimum poëta præstanti aliquis ingenio fictus cõquisitusq; vicys deformatũ vellet inducere: nullum profectò dedecus reperire posset: quod in hoc non inesset: mutaq; in eo penitus defixa, atq; hærentia præteriret. parentibus, & dys immortalibus, & patriæ nos

primum natura conciliat: eodẽ enim tempore, & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certã in ſedem ciuitatis, ac libertatis aſcribimur: iſte parentũ nomen, ſacra, memoriã, gentem, Fontẽiano nomine obruit. deorũ igneis, ſolennes menſas, abditos ac penetrales focos, occulta, & manibus non inuiſa ſolũ, ſed etiã inaudita ſacra inexpiabili ſcelere peruertit: idemq; earũ templũ inflammauit dearũ: quarum ope etiam aliys incendys ſubuenitur. quid de patria loquar? qui primũ eum ciuẽ vi, ferro, periculis, vrbe, omnibus patriæ præſidijs depulit: quem vos patriæ conſeruatorẽ eſſe ſæpiſſime iudicaueratis: deinde euerſo ſenatus, vt ego ſemper dixi, comite, duce, vt ille dicebat, ſenatum ipſum principem ſalutis, mentisq; publicæ, vi, cæde, incendysq; peruertit: ſuſtulit duas leges Heliam & Fuſiam maximè Reip. ſalutares: cenſurã extinxit: intercẽſſionem remouit: auſpicia deleuit: conſules ſceleris ſui ſocios ærario, prouincys, exercitu armauit: reges qui erant, vendidit: qui non erant, appellauit: Cn. Pompeium vi, ferro, domũ cõpulit: imperatorum monumenta euertit: inimicorum domos diſturbauit: veſtris monumentis nomen ſuũ inſcripſit. infinita ſunt ſcelera: quæ ab illo in patriã ſunt edita, quid? quæ in ſingulos ciues, quos necauit: ſocios, quos diripuit: imperatores, quos prodidit: exercitus, quos tẽtauit? quæ verò ea, et quanta ſunt? quæ in ſe ipſum ſcelera, quæ in ſuos edidit? quis minus vnquam pepercit hoſtium caſtris? quàm ille omnibus corporis ſui partibus? quæ nauis vnquam in flumine publico tam vulgata omnibus? quàm iſtius ætas fuit? quis vnquam nepos tam liberè eſt cum ſcortis, quàm hic cum ſororibus volutatus? quam denique tam immanem Charibdim poëtæ fingendo exprimere potuerunt,

quæ

quæ tantos exhaurire gurgites poſſet? quantas iſte Byzantiorum, Brogytarorumq; prædas exorbuit? aut tam eminentibus canibus Syllam, tamq; ieiunis? quàm quibus iſtũ videtis Gellys, Clodys, Titys roſtra ipſa mandentẽ? Quare, id quod extremũ eſt in aruſpicum reſponſis, prouidete: ne Reip. ſtatus commutetur. etenim, vix hæc, ſi vndiq; fulciamus, iam labefacta, vix inquam innixa in omnium noſtrum humeris cohærebunt. Fuit quondam ita firma hæc ciuitas, & valens: vt negligentiam ſenatus, vel etiam iniurias ciuium ferre poſſet, iam non poteſt. ærarium nullũ eſt: vectigalibus nõ fruuntur, qui redemerunt: authoritas principũ cecidit: conſenſus ordinũ eſt diuulſus: iudicia perierunt: ſuffragia diſtricta tenentur à paucis: bonorum animus ad nutũ noſtri ordinis expeditus iam non erit: ciuẽ qui ſe pro patriæ ſalute opponat, in vidiæ fruſtra poſthac requiretis. Quare hunc ſtatũ, qui nunc eſt, qualiſcunq; eſt: nulla alia re, niſi concordia retinere poſſumus. nam vt meliore ſimus loco: ne optandũ quidem eſt illo impunito. deteriore autẽ ſtatu vt ſimus, vnus eſt inferior gradus, aut interitus, aut ſeruitutis. quõ ne trudamur, dij immortales nos admonent: quoniam iam pridẽ humana conſilia ceciderunt. Atq; ego hanc orationem P. C. tam triſtem, tam grauẽ, non ſuſcepiſſem: nõ inquam: niſi hanc perſõnam, & has partes honoribus populi Romani, veſtris plurimis ornamentis mihi tributis deberem, & poſſem ſuſtinere. ſed tamen facilè tacentibus cæteris reticuiſſem. ſed hæc oratio omnis fuit non authoritatis meæ, ſed publicæ religionis. mea fuerunt verba fortaſſe plura, ſententiæ quidem omnes Aruſpicum. ad quos aut referri nuntiata oſtenta non conuenit: aut eorum reſponſis commoueri neceſſe eſt. Quod ſi cætera

magis pervulgata nos sæpe & leviora moverunt: vox ipsa deorum immortalium non mentes omnium permovebit? nolite enim id putare, accidere posse: quod in fabulis sæpe videtis fieri: ut deus aliquis elapsus de cœlo cœtus hominum adeat: versetur in terris: cum hominibus colloquatur. cogitate genus sonitus eius, quem Latinienses nunciarunt: recordamini illud etiam, quod nondum est relatum: quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiæ nunciatur, terræmotus horribilis, cum quibusdam multis metuendisq; rebus: hæc eadem profectò, quæ futura prospicimus, impendentia pertimescetis. Etenim hæc deorum immortalium vox, hæc pene oratio indicanda est: cum ipse mundus, cum agri, terræmotu quodam novo contremiscunt: & inusitato aliquid sono incredibiliq; prædicunt. in quo constituendæ nobis sunt quidem procurationes, & obsecratio: quemadmodum monemur. sed faciles sunt preces apud eos: qui vltrò nobis viam salutis ostendunt. nostræ nobis sunt inter nos iræ, discordiæq; placandæ.

PRO

PRO CN. PLANCIO. ORATIO XXXII.

CVM propter egregiam, & singularem Cn. Plancij Iud. in mea salute custodienda fidem, tam multos, & bonos viros eius honori viderem esse fautores: capiebam animo non mediocrem voluptatem: quod eius officium mihi saluti fuisset: ei meorum temporum memoriæ suffragari videbam. cum autem audirem meos partim inimicos, partim invidos, huic accusationi esse fautores: eandemq; rem aduersariam esse in iudicio Cn. Plancio: quæ in petitione fuisset adiutrix: dolebam Iudices, & acerbè ferebam: si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior: quod is meam salutem, atq; vitam sua beneuolentia, præsidio, custodiaq; texisset. Nunc autem vester Iud. conspectus, & consessus iste reficit & recreat mentem meam: cum intueor, et contemplor vnumquemq; vestrum. video enim hoc in numero neminem: cui mea salus cara non fuerit: cuius non extet in me suum meritum: cui non sim obstrictus memoria beneficij sempiterna. Itaq; non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meæ salutis apud eos obsit: qui me ipsum maximè saluum videre voluerunt: sæpiusq; Iudices mihi venit in mentem, admirandum esse, M. Laterensem hominem studiosissimum, & diligentissimum salutis meæ, reum hunc potissimum sibi delegisse: quam metuendum, ne vobis id ille magna ratione fecisse videatur, quanquam mihi non sumo tantum iudices, neq; arrogo, vt Cn. Planciu suis erga me meritis impunitatem consecuturum putem. nisi eius integerrimam vitam,

modestissimos mores, summã fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de pœna recusabo. sin omnia præstitero, quæ sunt à bonis viris expetenda, petam Iud. à vobis: vt cuius misericordia salus mea custodita sit: ei vos vestram misericordiam me deprecante tribuatis. Equidẽ ad reliquos labores, quos in hac causa maiores suspicio: quàm in cæteris: etiam hanc molestiam assumo: quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est: cuius ego salutem non secus ac meam tueri debeo: sed etiã pro me ipso: de quo accusatores plura penè quàm de re, reoq; dixerunt. quanquam Iud. si quid est in me ipso ita reprehensum: vt id ab hoc alienum sit, non me id magnopere conturbet. non enim timeo: ne quia perraro grati homines reperiantur: iccircò, cum me nimium gratum illi esse dicant: id mihi criminosum esse possit. quæ verò ita sunt agitata ab illis: vt aut merita Cn. Plancij erga me minora esse dicerent: quàm à meipso prædicarentur: aut si essent summa: negarent ea tamen ita magni, vt ego putarem, ponderis apud vos esse debere: hæc mihi sunt tractanda Iudices, & modicè: ne quid ipse offendam: & tum deniq;, cum respondero criminibus: ne non tam innocentia reus sua, quàm recordatione meorum temporum defensus esse videatur. Sed mihi in causa facili, atque explicata per difficilis Iud. & lubrica defensionis ratio proponitur. nam si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere: tamen id ipsum esset in tanto vsu nostro: tantaq; amicitia molestum. vetus enim est lex illa iustæ, veraq; amicitia: quæ milli cum illo iam diu est: vt idem amici semper velint: neq; est vllum certius amicitiæ vinculum: quàm consensus & societas consiliorum, & voluntatum. mihi autem

autem non est id in hac re sõlum molestum: contra illum dicere: sed multò id magis: quod in ea causa cõtradicendum est: in qua quædam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. quærit enim Laterensis, atque hoc vno maximè vrget: qua se virtute, qua laude Plancius, qua dignitate superarit? ita si cedo illius ornamentis, quæ multa & magna sunt: non solum huius dignitatis iactura facienda est: sed etiam largitionis recipienda suspicio est. sin hunc illi antepono: contumeliosa habenda est oratio: & dicendũ est, id quod ille me flagitat: Laterẽsem à Plancio dignitate esse superatum. Ita aut amicissimi hominis existimatio offendenda est: si illã accusationis conditionem sequar: aut optimè de me meriti salus deserenda est. Sed ego Laterensis cæcũ me, & præcipitem ferri confitear in causa: si te aut à Plancio, aut ab vllo dignitate potuisse superari dixero. Itaque discedam ab ea contentione: ad quam tu me vocas: & veniam ad illam: ad quam me causa ipsa deducit. Quid? tune inanem dignitatis iudicem putas esse populum? fortasse nonnunquam est. vtinam verus semper esset. sed est perraro, &, si quando est: in ijs magistratibus est mandãdis: quibus salutem suam committi putat. his leuioribus comitijs, diligentia & gratia petitorum honos paritur: non ijs ornamentis quæ esse in te videmus. nã quod ad populum pertinet. semper dignitatis iniquus iudex est, qui aut inuidet, aut fauet. quanquam nihil potes in te Laterensis constituere, quod sit proprium laudis tuæ: quin id tibi sit commune cum Plancio. sed hoc totum agetur alio loco: nunc tantum disputo de iure populi: qui & potest, & solet nonnunquam dignos præterire: nec si à populo præteritus est, quem non oportuit:

à iudicibus condemnandus est : qui præteritus non est. Nam si ita esset : quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt: vt reprehensores essent comitiorum: id haberent Iudices, vel quod multò etiam minus est ferendum. tum enim magistratum non gerebat is, qui cœperat: si patres authores non erant facti. nunc postulatur à vobis, vt eius exilio, qui creatus sit, iudicium populi Rom. reprehendatis. Itaque, quanquam qua nolui ianua sum ingressus in causam : sperare videor, tantum abfuturā esse orationem meā à minima suspicione offensionis tuæ: te vt potius obiurgem: quod iniquum in discrimen adducas dignitatem tuam: quam vt ego eam vlla contumelia coner attingere. tu cōtinentiam, tu industriam, tu animum in Rempublicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quod ædilis non sis factus: fractos esse & abiectos & repudiatos putas? vide tādem Laterensis quantum à te dissentiam. si medius fidius decē soli essent in ciuitate viri boni, sapientes, iusti, graues, qui te indignum ædilitate iudicauissent: grauius de te iudicatum putarem : quam est hoc, quod tu metuis ne à populo iudicatū esse videatur. non enim comitys iudicat semper populus : sed mouetur plerunq; gratia: cedit precibus, facit eos, à quibus est maxime ambitus: denique si iudicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad iudicandum : sed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate: non est enim consilium, in vulgo: non ratio: non discrimen: non diligentia: semperq; sapientes, ea quæ populus fecisset, ferenda : non semper laudanda duxerunt. quare cum te ædilem fieri oportuisse dicis : populi culpam, non competitoris accusas. At fueris dignior quàm Plancius: de quo ita tecum contendam

tendam paulopost: vt conseruem dignitatem tuam. sed vt fueris dignior : non competitor, à quo es victus : sed populus, à quo es præteritus, in culpa est. In quo primum illud debes putare: comitys, præsertim ædilitys, studium esse populi, non iudicium. eblandita illa, non enucleata esse suffragia. eos qui suffragium ferant, quid denique ipsi debeant considerare sæpius : quā quid cuiq; à Republica videatur deberi. sin autem mauis esse iudicium, nō tibi id rescindendum est : sed ferendum. malè iudicauit populus. at iudicauit. non debuit. at potuit. non fero. at multi clarissimi & sapientissimi ciues tulerunt. est enim conditio liberorum populorum : precipueq; huius principis populi, & omnium gentium domini, atq; victoris: posse suffragijs vel dare, vel detrahere quod velit cuiq;. nostrum autem est : qui in hac tempestate populi iactemur, ac fluctibus : ferre modicè populi voluntates : allicere alienas: retinere partas : placare turbatas : honores si magni non putemus : non seruire populo. sin eos expetimus: non defatigari supplicando. Venio nunc ad ipsius populi partes : vt illius contra te oratione potius quàm mea disputem. qui si tecum congrediatur: & si vna voce loqui possit: hæc dicat. Ego tibi Laterensis Plancium non anteposui : sed cum essetis æquè boni viri: meum beneficium potius ad eum detuli, quæ à me contenderat: quàm ad eum, qui mihi non nimis submissè supplicarat. Respondebis credo, te splendore & vetustate familiæ fretum, non valde ambiendum putasse. At verò te ille ad sua instituta, suorumq; maiorum exempla reuocabit. semper se dicet rogari voluisse : semper placuisse: M. Seiū qui ne equestrem quidem splendorem incolumem à calamitate iudicij retinere potuisset : homini nobilissimo,

innocentissimo, eloquentissimo, M. Pisoni prætulisse: præposuisse se Q. Catulo in summa familia nato, sapientissimo & sanctissimo viro, non dico C. Serenum subtilissimum hominem (fuit enim & animi satis magni, & consily) sed Cn. Manlium non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida. Desiderarunt te inquit oculi mei: cum tu esses Cyrenis: me enim, quam socios tua frui virtute malebam & quo plus intererat, eo plus aberas à me. certè non videbam. deinde sitientē me virtutis tuæ deseruisti, ac dereliquisti. cœperas enim petere tribunatum plebis temporibus ijs: quæ istam eloquentiam & virtutem requirebant. quam petitionem cum reliquisses: si hoc iudicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse: de virtute tua dubitaui: si nolle, de voluntate. sin quod magis intelligo, temporibus de alys reseruasti: ego quoq; inquam & Resp. ad ea te temporareuocaui: ad quæ tu te ipse seruaras. pete igitur eum magistratum in quo mihi magnæ vtilitati esse possis. ædiles quicunque erunt, idem mihi quod ostenderas, aut si, quod mea minus interest, id te magis fortè delectat: reddam tibi istam ædilitatem etiam negligenter petenti, sed amplissimos honores vt pro dignitate tua consequare: condiscas censeo, mihi paulo, diligentius supplicare. Hæc populi oratio est. Mea verò Laterensis hæc. quare victus sis, non debere iudicem quærere: modo ne largitione sis victus. nam si quotienscunq; præteritus erit is, qui non debuerit præteriri: totiens oportebit eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam est quod populo supplicetur: nihil quod direptio, nihil quod supplicatio magistratuum, renunciatio suffragiorum expectetur. simul vt qui sint professi: video quid

quid dicam: hic familia consulari est: ille prætoria. reliquos video esse ex equestri loco: sunt omnes sine macula: sunt æquè boni viri, atq; integri: sed seruari necesse est gradum: cedat consulari generi prætorium: nec contendat cum prætorio equester locus: sublata sunt studia: extinctæ suffragationes: nullæ contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus: nulla expectatio suffragiorum: nihil vt plerunque euenit, præter opinionem accidet: nulla erit posthac varietas comitiorum. Sin hoc persæpe accidit: vt & factos aliquos, & non factos esse miremur: si campos atque illa vnda comitiorum, vt mare profundum, & immensum sic efferuescunt quodam quasi æstu: vt ad alios accedant, ab alys autem recedant: in tanto nos impetu studiorum & motu temeritatis modum aliquem & consilium & rationem requiramus? quare noli me ad contentionem vestrum reuocare Laterensis. etenim si populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, datq; eam libertatem, vt quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur: cur tu in iudicio exprimis, quod non fit in campo? hic quàm ille dignior perquàm graue est dictu. quomodo igitur est æquu? sic credo. quod agitur: quod satis est iudici: hic factus est. cur iste potius quam ego? vel nescio: vel non dico: vel deniq; quod mihi grauissimum esset sic dicere: sed impunè tamen deberem dicere: non rectè. nam quid assequerer: si illa extrema defensione vterer. populum quod voluisset feciisse, non quod debuisset? quid? si populi quoque factum defendo Laterensis? & doceo Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit omnibus hoc nostro equestri loco? possum ne eripere orationi tuæ

contentionem

contentionem vestrum? quæ tractari sine contumelia non potest? & te ad causam crimenq́ deducere? Si quod equitis Romani filius est, inferior esse debuit: omnes tecum equitum Romanorum filij petiuerunt, nihil dico amplius. hoc tamen miror: cur tu huic potissimum irascare: qui longissimè à te abfuit. Equidem si quando, vt fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via: cum ego ad Fabianum fornicem impellor: sed eum qui in me ipsum incurrit, atq; incidit. tu neq; Q. Pedio forti viro succenses, neq; huic A. Plocio ornatissimo homini familiari meo: & ab eo, qui hos dimouit, potius, quàm ab ijs, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas. sed tamen hæc tibi est prima cum Plancio generis vestri familiæq; contentio: qua abs te vincitur. cur enim non confitear, quod necesse est? sed non hic magis quàm ego à meis competitoribus, & aliàs, & in consulatus petitione vincebar. Sed vide ne hæc ipsa, quæ despicis, huic suffragata sint. sic enim conferamus. est tuum nomen vtraq; familia consulare. non dubitas igitur quin omnes, qui fauent nobilitati: qui id putant esse pulcherrimum: qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur: te ædilem fecerint. equidem non dubito. sed si parum multi sunt, qui nobilitatem ament: num ista est nostra culpa? etenim ad caput, & ad fontem vtriusq; generis veniamus. Tu es ex municipio antiquissimo Thusculano: ex quo plurimæ familiæ sunt consulares: in quibus est etiam Iuuencia: quot è reliquis mnnicipijs omnibus non sunt. Hic est è præfectura Atinati, non tam prisca, non tam honorata, non tam suburbana. quantum interesse vis ad rationem petendi? primum vtrum magis fauere putas Atinates, an Thusculanos suis?

suis? alteri (scire enim hoc propter vicinitatem facilè possum) cum huius ornatissimi, atq; optimi viri Cn. Saturnini patrem ædilem, cum Prætorem viderunt: quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in præfecturam illam sellam curulem attulisset: mirandum in modum lætati sunt. alteros (credo quia refertum est municipium consularibus: nam maleuolos non esse certo scio) nunquam intellexi vehementius hospitum suorum honore lætari. habemus hoc nos: habent nostra municipia. quod ego de me, de fratre meo loquar. quorum honoribus agri propè dicam ipsi, montesq; fauerunt. num aliquando vides Thusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, num de T. Coruncano, municipe suo, num do tot Fabijs gloriari? verbum nemo facit. at in quencunq; Arpinatem incideris: etiam si nolis: erit tamen tibi fortasse de nobis aliquid, & de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit studia suorum ardentia. tu tanta, quanta in hominibus iam saturatis honoribus esse potuerunt. deinde tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci: siquidem cum Atinatibus conferantur. huius præfectura plena virorum fortissimorum: sic vt nulla tota Italia frequentior dici possit. quam quidem nunc multitudinem videtis Iud. in squalore & luctu supplicē vobis. Hi tot equites Romani, tot tribuni ærarary (nam plebem à iudicio dimisimus: quæ cuncta comitijs adfuit) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt? non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco: sed dignitatem, sed oculorum coniectum, sed solidam & robustam, & assiduam frequentiam præbuerunt. Iam municipia coniunctione etiam vicinitatis vehementer

mouentur

mouentur. omnia quæ dico de Plancio, dico expertis in nobis. sumus enim finitimi Atinatibus. laudanda est, vel etiam amanda vicinitas retinens veterem illum officij morem, non infuscata malevolentia, non assueta mendacijs, non fucata, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano, vel etiam vrbano. nemo Arpinas non Plancio studuit: nemo Soranus: nemo Cassinas: nemo Aquinas. totus ille tractus celeberrimus Venafranus, Alifanus, tota denique nostra illa aspera, & montuosa, & fidelis, & simplex, & fautrix suorum regio, se huius honore ornari, se augeri dignitate, arbitrabatur: ijsdemq; nunc è municipijs adsunt equites Romani publicè cum legationis testimonio: nec minore nunc sunt solicitudine: quàm tum erant studio. etenim est grauius spoliari fortunis: quàm non augeri dignitate. Ergo vt alia in te erant illustriora Laterensis: quæ tibi maiores tui reliquerant: sic te Plancius hoc non solum municipij, verum etiam vicinitatis genere vincebat. nisi fortè te Lauicana, aut Gabina, aut Bouillana, aut Sabina vicinitas adiuuabat. quibus è municipijs vix iam qui carnem Latinis petant, inueniuntur. Adiungam, si vis, id quod tu etiam huic obesse putas: patrem Publicanum. qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? flos enim equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentũ Reipub. publicanorum ordine continetur, quis est ergo? qui neget, ordinis eius studiũ fuisse in honore Plancij singulare? neq; iniuria: vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publicanorum: vel quod is ab socijs vnicè diligebatur: vel quod diligentissimè rogabat: vel quia pro filio supplicabat: vel quia huius ipsius in illum ordinẽ summa officia quæsturæ tribunatusq; constabant:

bant: vel quod illi in hoc ornando, ordinem se ornare, & consulere liberis suis arbitrabantur. Aliquid præterea, timidè dico: sed tamen dicendum est: non enim opibus, non inuidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficij, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. appellaui populum: tribubus submisi me, & supplicaui: vltrò mehercules se mihi etiam offerrentes, vltrò pollicentes rogaui. valuit causa rogandi, non gratia: nec si vir amplissimus, cui nihil est, quod roganti concedi non iure possit: de aliquo, vt dicis, non impetrauit: ego sum arrogans, qui me valuisse dico. nam vt omittam illud: quod ego pro eo laborabam, qui valebat ipse per se: rogatio ipsa semper est gratiosissima: quæ est officio necessitudinis coniuncta maximè. neque ego sic rogabam, vt petere viderer: quia familiaris esset meus: quia vicinus: quia huius parente semper plurimum essem vsus: sed vt quasi parenti, & custodi meo. non potentia mea, sed causa rogationis fuit gratiosa. nemo mea restitutione lætatus est: nemo iniuria doluit: cui non huius in me misericordia grata fuerit. etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se vulgo viri boni, cum hic tribunatum peteret, vltrò offerebant, cui nomen meum honori fuisset: ei meas præsentes preces, non putas profuisse? an Minturnenses, quod coloni, C. Marium ciuili errore, atque ex impijs manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia, fluctibusq; recrearunt: quod viaticum congesserunt, quod naugium dederunt: quod eum linquentem terram eam, quam seruauerat, lachrymis votisq; omnibus prosecuti sunt, æterna in laude versantur? Plancio quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem receperit, inuenerit, custodierit,

stodierit, is & senatui populoq; Ro. vt haberent quod rẽducerent, conseruarit: honori hanc fidem, misericordiã, virtutem fuisse miraris? Vitia mehercule res hæ Cn. Plancy, de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu in ea vita, de qua iam dicam: tot & tanta adiumenta huic honori fuisse mirere. Hic est enim qui adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo grauissimo & sanctissimo, atq; omni laude & honore dignissimo viro, dilectus est: vt & contuberny necessitudo, & adolescentuli modestissimi pudor postulabat. quod, si adesset: non minus ille declararet: quàm hic illius frater patruelis, & socer, T. Torquatus illi omni virtute & laude par: qui est quidem cum illo maximis vinculis, & propinquitatis, & affinitatis coniunctus: sed ita magni amoris: vt illæ necessitudinis causæ leues esse videantur. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini propinqui sui, miles huius Q. Metelli: quibus cum fuerit probatissimus, hodieq; sit: omnibus esse se probatum debet sperare. in ea prouincia legatus fuit C. Sacerdos, qua virtute? qua constantia vir? L. Flaccus, qui homo? qui ciuis? qualem hunc putent, assiduitate testimonioq; declarant. In Macedonia Tribunus militum fuit. in eadem prouincia postea Quæstor. primum Macedonia sic eũ diligit: vt indicant hi principes ciuitatum suarum: qui cum missi sint ob aliam causam: tamen huius repentino periculo commoti huic assident: pro hoc laborant: huic si præstò fuerint: gratius se ciuitatibus suis facturos putant: quàm si legationem & mandata sua confecerint. L. verò Apuleius hunc tanti facit: vt morem illum maiorum, qui præscribit in parentum loco Quæstoribus suis Prætores esse oportere: officijs beneuolentiaq;

superarit.

superarit. Tribunus plebis fuit non fortasse tam vehemens: quàm isti, quos tu iure laudas: sed certè talis: quales si omnes semper fuissent: nunquam desideratus vehemens esset tribunus. omitto illa, quæ si minus necessaria sunt: at certè cum sint prolata, laudantur: vt viuat cũ suis: primum cum parente: nã meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutũ: quem veretur vt deũ (neq; enim multò secus parens liberis) amat verò vt sodalem, vt fratrem, vt æqualem. quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc Cn. Saturnino ornatissimo viro? cuius quantam honoris huius cupiditatem fuisse creditis? cum videatis luctus societatem? quid de me dicam? qui mihi in huius periculo reus esse videor? quid de his tot viris talibus? quos videtis veste mutata? atqui hæc sunt indicia solida Iudices, & expressa hæc signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. facilis est illa occursatio, & blandicia popularis: aspicitur, non attrectatur: procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur. omnibus igitur rebus ornatum hominem, quem externis, quem domesticis nonnullis rebus inferiorem, quàm te (generis & nominis dico) superiorẽ alys, municipũ, vicinorum, societatum studio, temporum meorũ memoria, patris virtute, integritate, modestia ædilem factum esse miraris? hunc tu vitæ splendorem maculis aspergis istis. iacis adulteria, quæ nemo non modo nomine, sed ne suspicione quidem possit agnoscere: maritum appellas: vt verba etiam fingas, non solum crimina: ductum esse ab eo in prouinciam aliquẽ dicis libidinis causa: quod non crimen est, sed impunitum in maledico mendacium. raptam esse Mimulam. quod dicitur Atinæ factum à iu-

ũene, vetere quodam in scenicos iure maximeq; oppidano. O' adolescentiam traductam eleganter: cui quidem cum quod licuerit, obyciatur: tamen id ipsum falsum reperiatur. Emissus aliquis è carcere. equidem emissus, vt cognostis, necessarij hominis optimiq; adolescentis rogatu. idem postea præmandatis requisitus. Atque hæc, nec vlla alia sunt coniecta maledicta in eius vitam: de cuius vos pudore, religione, integritate dubitetis. Pater verò inquit etiam obesse filio debet. O' vocem duram, atque indignam tua probitate Laterensis. pater vt in iudicio capitis, pater vt in dimicatione fortunarum, pater vt apud tales viros obesse filio debeat? qui si esset turpissimus sordidissimus: tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices, & misericordes: valeret inquam communi consensu omnium, & dulcissima cõmendatione naturæ. Sed cum sit. Cn. Plancius is Eques Romanus: ea primũ vetustate equestris ordinis: vt pater, vt auus, vt maiores eius omnes equites Ro. fuerint: summum in præfectura florentissima gradum tenuerint & dignitatis, & gratiæ: deinde, vt ipse in legionibus P. Crassi Imperatoris inter ornatissimos homines, equites Romanos summo splendore fuerit: vt postea princeps: inter suos plurimarũ rerum sanctissimus & iustissimus iudex, maximarum societatum author, plurimarum magister: si nõ modo in eo nihil vnquam reprehensum: sed laudata sunt omnia: tamen is oberit honestissimo filio pater? qui vel minus honestum & alienum tueri vel authoritate sua, vel gratia possit? Asperius inquit locutus est aliquid aliquando. immo fortasse liberius. at id ipsum inquit non est ferendum. ergo hi ferendi sunt: qui queruntur libertatem Equitis Romani se

ferre

ferre non posse? vbinã ille mos? vbi illa æquitas iuris? vbi illa antiqua libertas? quæ malis oppressa ciuilibus extollere iam caput, & aliquando recreata se erigere debebat? Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scæuolam virũ omnibus ingenio, iustitia, integritate præstantem asperè, & ferociter, & liberè dicta commemorem? Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, cum ille edicto iustitio domum descendens rogasset Granium: quid tristius esset, an quod auctiones essent? immò verò inquit quod legiones. Idem Tribuno pl. potentissimo homini M. Druso, sed multa in Rempub. molienti, cũ ille eum salutasset, vt fit: dixissetq;, quid agis Grani? respondit: immò verò tu Druse quid agis? Ille L. Crassi, ille M. Antonij voluntatẽ asperioribus facetijs sæpe perstrinxit impunè. nunc vsq; eo oppressa vestra arrogantia ciuitas est: vt quæ fuit olim præconi in ridẽdo, nunc equiti Romano inplorando non sit concessa libertas. quæ enim vnquam fuit Plancio vox contumeliæ potius, quàm doloris? quid est autem vnquam questus? nisi cum à socijs & à se iniuriam propulsaret? cum Senatus impediretur, quo minus id, quod hostibus semper erat tributum: responsum Equitibus Romanis redderetur. omnibus illa iniuria dolori publicanis fuit. sed eum ipsum dolorem hic tulit paulò apertius: communis ille sensus in alijs fortasse latuit. hic quod cum cæteris animo sentiebat, id magis quàm cæteri, & vultu promptum habuit, & lingua. Quanquam Iudices, agnosco enim ex me, permulta in Plancium, quæ ab eo nunquam dicta sunt, conferuntur. ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed contentione dicendi, aut lacessitus:

& quia, vt fit in multis, exit aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisq; dixit, me id dixisse dicunt. ego autem, si quid est, quod mihi scitũ esse videatur, et homine ingenuo dignum atq; docto, non aspernor. stomachor verò cum aliorũ non me digna in me conferuntur. Nam quod primus sciuit legẽ de publicanis: tamẽ cum vir amplissimus cõsul id illi ordini per populum dedit: quod per Senatum si licuisset, dedisset: si in eo crimen est, quia suffragium tulit: quis non tulit publicanus? si quia primũ sciuit: vtrum id sortis esse vis? an eius qui illam legem ferebat? si sortis, nullum crimen est in casu: si consulis, splendor etiam Plancy, hunc à summo viro principem ordinis iudicatum. Sed aliquando veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitys, omnes ambitus legis complexus es. neq; enim quicquã aliud in hac lege nisi editicios iudices es secutus. quod genus iudiciorum si est æquum vlla in re, nisi hac tribuaria: non intelligo quamobrem senatus hoc vno in genere tribus edi voluerit ab accusatore: neque eandem editionem transtulerit in cæteras causas. de ipsõ denique ambitu, de reiectione fieri voluerit iudicum alternorum. cumq; nullum genus acerbitatis prætermitteret: hoc tamen vnum prætereundum putarit. quid? huius rei obscuræ causa est? an & agitata? cum ista in Senatu res agebatur: & disputata hesterno die copiosius à Q. Hortensio? cui tum est Senatus assensus. hoc igitur sensimus, cuiuscunque tribus largitor esset: & per consensionem magistratuũ honestæq; sodalitatis nominaretur: quam quisq; tribũ turpi largitione corrumperet: eum maximè his hominibus, qui eius tribus essent, esse notum. ita putauit Senatus, cum reo

tribus

tribus ederentur hæ: quas is largitione deuinctas haberet: eosdem fore testes & iudices. Acerbum omnino genus iudicy: sed tamen si vel sua, vel ea, quæ maximè esset cuique coniuncta, tribus ederetur? vix recusandum. Tu autem Laterensis quas tribus edidisti? Terentinam credo? fuit certè id æquũ, & certè expectatum est: & fuit dignum constantia tua. cuius tu tribus venditorem & corruptorem & sequestrem Plancium fuisse clamitas: eam tribum profectò, seuerissimorum præsertim hominũ, & grauissimorum edere debuisti. at Volitiniam: libet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari: hanc igitur ipsam cur non edidisti? quid Plancio cum Lemonia? quid cum Veientina? quid cum Crustumina? nam tertiam etiam, non quæ iudicaret: sed quæ reiceretur, esse voluisti. dubitatis igitur Iudices: quin vos M. Laterensis suo iudicio non ad sententiam legis, sed ad suam spem aliquam de ciuitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, cum ille non ediderit, iudicarit officijs ab hoc obseruatas, non largitione? quid enim potest dicere? cur ista editio non summam habeat acerbitatem remota ratione illa: quam in decernendo secuti sumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut deniq; eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles existimes? tu me ignaro, nec opinante, inscio, notes & tuos, & tuorum necessarios: vel iniquos meos, vel etiam defensorum meorum? eodemq; adiungas, quos natura putes asperos, atque omnibus iniquos? deinde effundas repente: vt ante conspectum eorum iudicum videam, quàm potuerim, qui essent futuri, suspicari? apud eosq; me, ne quinq; quidem reiectis, quod in proxi-

mo reo de consilij sententia constitutum est : cogas causam de fortunis omnibus dicere ? non enim si aut Plancius ita vixit, vt offenderet sciens neminem : aut tu ita errasti, vt eos ederes imprudens: vt nos, inuito te, tamen ad iudices non ad carnifices veniremus: iccircò ista editio per se non acerba est. an verò nuper clarissimi ciues nomen editi iudicis non tulerunt ? cum ex CXXV iudicibus, principibus, equestris ordinis, quinque & LXX reus reijceret, L. referret : omniaq; potius permiscuerunt: quam ei legi conditionique parerent ? nos neque ex delectis iudicibus, sed ex omni populo, neque editos ad reijciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus: vt neminem reijciamus? neq; ego nunc legis iniquitatem queror: sed factum tuum à sententia legis doceo discrepare: & illud acerbum iudicium, si quem admodum senatus censuit, populusq; iussit, ita fecisses: vt huic & suam, & ab hoc obseruatas ederent: non modo non quererer: sed hunc iudicibus editis, qui testes ijdem esse possent, absolutum putarem. neq; nunc multò secus existimo. cum enim has tribus edidisti, ignotis te iudicibus vti malle quàm notis iudicauisti. fugisti sententiam legis: aequitatem omnem reiecisti: in tenebris quam in luce causam versari maluisti. Volitinia tribus ab hoc corrupta. Terentinam habuerat venalem. quid diceret apud Volitinienses? aut tribules suos iudices? immo verò tu quid diceres? quem iudicem ex illis aut tacitum testem haberes: aut verò etiam excitares? etenim si reus tribus ederet, Volitiniam fortasse Plancius propter vicinitatem ac necessitudinem suam non edidisset? & si quæsitor edendus fuisset : quem tandem potius quam hunc C. Alfium? quem habet, cui notissimus

mus esse debet: vicinum, tribulem, grauissimum hominem, iustissimumq; edidisset? cuius quidem æquitas & mea similis voluntas erga Cn. Plancij salutem, quam ille sine vlla cupiditatis suspicione præ se fert: facilè declarat, non fuisse fugiendum tribulem huc iudicem : cui quæsitorem tribulem exoptandum fuisse videatis. Neq; ego nunc consilium reprehendo tuum : quod non eas tribus, quibus hic maximè notus erat, ederis: sed à te doceo consilium non seruatum Senatus. etenim quis te iam audiret illorum? aut quid diceres? sequestrem ne Plancium? respuerent aures: nemo agnosceret: repudiaretur. an gratiosum? illi libenter audirent: nos non timidè confiteremur. noli enim putare Laterensis legibus istis, quas Senatus de ambitu sancire voluerit, id esse actum: vt suffragatio, vt obseruantia, vt gratia tolleretur. semper fuerunt boni viri, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. neque verò tam durus in plebem noster ordo fuit : vt eam coli nostra modica liberalitate noluerit : neque hoc liberis nostris interdicendum est: ne obseruent tribules suos : ne reficere necessarijs suis suam tribum possint : ne par ab his munus in sua petitione respectent. hæc enim plena sunt officij: plena obseruantiæ : plena etiam antiquitatis. Isto in genere & fuimus ipsi, cum ambitionis nostra tempora postulabant & clarissimos viros esse vidimus, & hodie esse videmus quamplurimos gratiosos. decuriatio tribuliũ, descriptio populi, suffragia largitione deuincta, seueritatem senatus & bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. hæc doce: hæc profer: huc incumbe Laterensis: decuriasse Plancium: conscripsisse: sequestrem fuisse: pronunciasse: diuisisse. tum mirabor te his armis vti, quæ

tibi lex dabat, noluisse. tribulibus enim iudicibus non modo scueritatem illorum, si ista vera sunt: sed ne vultus quidem ferre possemus. hanc tu rationem cum fugeris: cumq; hos iudices habere nolueris: quorum in huius delicto cum scientia certissima, tum dolor grauissimus esse debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc sibi oneris imposueris? cur se potissimũ delegeris? cur denique se diuinare malueris: quàm eos, qui scirent iudicare.? Ego Plancium Laterensis & ipsum gratiosum esse dico: & habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos. quos tu si sodales vocas: officiosam amicitiã nomine inquinas criminoso. sin quia gratiosi sunt, accusandos putas: noli mirari te id, quod tua dignitas postularit, repudiandis gratiosorum amicitijs non esse assecutum. Iam vt ego doceo gratiosum esse tribulibus Plancium: quod multis benignè fecerit: pro multis spoponderit: in operas plurimos patris authoritate & gratia miserit; quod denique omnibus officijs per se, per patrem, per maiores suos totam Atinatem præfecturam comprehenderit: sic tu doce sequestrem fuisse. largitum esse: conscripsisse: tribules decuriauisse. quod si non potes, noli tollere ex ordine nostro liberalitatem: noli maleficium putare esse gratiam: noli obseruantiam sancire pœna. Itaque hæsitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine, ad communem ambitus causam contulisti. in qua desinamus aliquando, si videtur, vulgari & peruulgata declamatione contendere. sic enim tecum ago. quam tibi commodum est, vnam tribum delige tu: doce id, quod debes: per quem sequestrem, quo diuisore corrupta sit: ego si id facere non potueris: quod vt opinio mea fert, ne incipies quidem: per quem tulerit, docebo.

cebo. est' ne hæc vera contentio? placet' ne sic agi? non possum magis pedem conferre, vt aiunt, aut propius accedere. quid taces? quid dissimulas? quid tergiuersaris? etiam atque etiam insto, atq; vrgeo: insector: posco atq; adeo flagito crimen. quãcunq; tribum inquam delegeris, quam tulerit Plancius: tu ostendito si poteris vitiũ. ego qua ratione tulerit, docebo. nec erit hæc alia ratio Plãcio, ac Laterẽsi. nam vt, quas tribus tu tulisti, sic iam ex te requiram: vtrũ possis quorum studio tuleris explicare. sicq; ego hoc contendo: me tibi ipsi aduersario cuiuscunq; tribus rationem poposcerisredditurum. sed cur ego sic ago? quasi non comitys iam superioribus sit Plancius designatus Aedilis: quæ comitia primum habere cœpit Consul tum omnibus in rebus summa authoritate: tũ harum ipsarum legum ambitus author. deinde habere cœpit subitò, præter opinionem omnium: vt ne, si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi. vocatæ tribus: latum suffragium: descriptæ: renunciatæ. longè plurimum valuit Plancius, nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. an tandem vna centuria prærogatiua tantum habet authoritatis: vt nemo vnquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit? tu aut his ipsis comitijs consularibus? aut certè in illum annum ædilem Plancium factum miraris? in quo non exigua pars populi, sed vniuersus populus voluntatem suam declararit? cuius in honore non vnius tribus pars, sed comitia tota comitijs fuerint prærogata? Quo quidem tempore, si id Laterensis facere voluisses: aut si grauitatis esse putasses tuæ: quod multi nobiles sepe fecerunt: vt cum minus valuissent suffragijs, quam putassent: postea prolatis comitijs prosternerent se: & populo Ro. fra-

ēto animo, atq; humili supplicarent: non dubito quin omnis ad te conuersura fuerit multitudo. nunquam enim nobilitas, integra præsertim atq; innocens, à populo Ro. supplex repudiata fuit. sed si tibi grauitas tua, & magnitudo animi pluris fuit, sicut esse debuit, quàm ædilitas: noli, cum habeas id quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris. Equidem primum vt honore dignus essem, maximè semper laboraui. secundo vt existimarer. tertium mihi fuit illud: quod plerisque primum est. ipse honos: qui iis deniq; debet esse iucundus: quorū dignitati populus Romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit. Quæris etiam Laterensis quid imaginibus tuis, quid ornatissimo, atq; optimo viro patri tuo, respondeas mortuo? noli ista meditari: atq; illud caue potius, ne tua ista querela, dolorq; nimius, ab illis sapientissimis viris reprehendatur. vidit enim pater tuus Appium Claudium nobilissimum hominem viuo patre suo potentissimo & clarissimo ciue C. Claudio, Aedilem non esse factum: & eundem sine repulsa factum esse consulem: vidit hominem sibi maximè coniunctū, egregium virum L. Volcatium: vidit M. Pisonē in ista Aedilitate offensiuncula accepta, summos à populo Ro. esse honores adeptum. auus verò tuus, & P. Nasicæ tibi ædilitiam prædicaret repulsam: quo ciue neminem ego statuo in hac Repub. fortiorem: & C. Marij, qui duabus ædilitatis acceptis repulsis, septies Cōsul est factus: & L. Cæsaris, Cn. Octauij, M. Tullij: quos omnes scimus ædilitate præteritos, consules esse factos. sed quid ego ædilitias repulsas colligo? quæ sæpe eiusmodi habitæ sunt: vt his qui præteriti essent: benignè à populo factum videretur. Tribunus militum L. Philippus summa nobilitate & eloquentia,

quētia, Quæstor Q. Celius clarissimus ac fortissimus adolescens, Tribunus pl. Rutilius Ruffus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes facti non sunt: quos tamen omnes consules factos scimus esse. Quæ tibi vltrò pater & maiores tui non consolandi tui gratia dicerent: neque verò quo te liberent aliqua culpa: quam tu vereris, ne à te suscepta videatur: sed vt te ad cursum istum tenendum, quem à prima ætate suscepisti, cohortentur. nihil est enim mihi crede Laterensis, de te detractum. detractum dico, si me hercules verè, quod accidit, interpretari velis: est aliquid etiam de virtute significatum tua. noli enim existimare non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuæ: de qua ne aliquid iurares, destitisti. denunciasti homo adolescens, quid de summa Reipub. sentires. fortius tu quidem quàm nonnulli defuncti honoribus: sed apertius quàm vel ambitionis vel ætatis tuæ ratio postulabat. quamobrē in dissentiente populo noli putare nullos fuisse: quorum animus tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse, nunc tuo loco dimouere potuerunt: prouidentem antè, & præcauentem nunquā certè mouebunt. an te illa argumenta duxerunt? dubitatis inquit quin coitio facta sit? cum tribus plerasq; cum Plotio tulerit Plancius? an vnà fieri potuerunt: si vnà tribus non tulissent? cum nonnullas punctis penè totidem. quippe cum iam facti propè superioribus comitijs declaratiq; venissent. quanquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit: neq; enim vnquam maiores nostri sortitionem constituissent ædilitiam: nisi viderent accidere posse: vt competitores pares suffragijs essent. & eis prioribus comitijs Anienſem à Plotio, Terentinam à Plancio tibi esse concessam. nunc ab vtroque eas auul-

sas:

ſas: ne in anguſtum venirent. quàm conuenit, nondum cognita populi voluntate hos, quos iam tum coniunctos fuiſſe dicis: iacturam ſuarum tribuum, quo vos adiuuaremini, feciſſe: eoſdem, cum iam eſſent experti quid valerent, reſtrictos & tenaces fuiſſe. etenim verebantur credo anguſtias: quaſi res in contentionem aut in diſcrimen aliquod poſſet venire. ſed tamẽ tu an Plotium virũ ornatiſſimum in idem crimen vocandũ iudicas? an dicis eum te arripuiſſe à quo non ſis rogatus? nam quod queſtus es, plures te teſtes habere de Volitinia: quam quot in ea tribu puncta tuleris: indicas aut eos teſtes te adducere: qui quia nummos acceperint, te præterierint: aut te ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe. Illud verò crimen de nummis, quos in Circo Flaminio deprehenſos eſſe dixiſti: caluit re recenti, nunc in cauſa refrixit. neque enim qui illi nummi fuerint, nec quæ tribus, nec qui diuiſor, oſtenderis. atq; is quidem adductus ad conſules, qui tum in crimen vocabatur: ſe iniquè à tuis iactatum grauiter querebatur. qui ſi erat diuiſor, præſertim eius quem tu habebas reum: cur abs te reus non eſt factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium præiudicij comparaſti? ſed neq; tu habes hæc: neq; eis confidis: alia te ratio, alia cogitatio, ad ſpem huius opprimendi excitauit. magnæ ſunt in te opes: latè patet gratia: multi amici: multi cupidi tui: multi fautores laudis tuæ: multi huic inuidẽt: multis etiam pater, optimus vir, nimium retinens equeſtris iuris & libertatis videtur: multi etiam communes inimici reorum omnium: qui ita ſemper teſtimonium de ambitu dicunt: quaſi aut moueant animos ſuis teſtimonijs: aut gratum populo Romano ſit: aut ab eo facilius ob eam cauſam, dignitatem quã

volunt,

volunt, conſequantur. quibus cum me Iud. pugnantem meo more priſtino non videbitis: non quod mihi fas ſit quicquam effugere: quod ſalus Plancij poſtulet: ſed quia neq; neceſſe eſt, me id perſequi voce, quod vos mente videatis: & quod ita de me meriti ſunt illi ipſi: quos ego te ſtes video paratos: vt eorum reprehenſionem vos veſtræ prudentiæ aſſumere, meæ modeſtiæ remittere debeatis. illud vnum vos magnopere oro atq; obſecro Iudices, cum huius, quem defendo, tum communis periculi cauſa: ne fictis auditionibus, ne diſſeminato, diſperſoq; ſermoni fortunas innocentiũ ſubijciendas putetis. multi amici accuſatoris, nonnulli etiã noſtri iniqui, multi communes obtrectatores, atq; omniũ inuidi multa finxerunt. nihil eſt autẽ tam volucre, quam maledictũ. nihil facilius emittitur: nihil citius excipitur: nihil latius diſſipatur. neq; ego, ſi fontem maledicti reperietis: vt negligatis, aut diſſimuletis, vnquã poſtulabo. ſed ſi quid ſine capite manabit, aut ſi quid erit eiuſmodi: vt non extet author, qui audierit: aut ita negligens vobis eſſe videbitur: vt vnde audierit, oblitus ſit: aut ita leuem habebit authorem: vt memoria dignũ non putarit: huius illa vox vulgaris audi. tu ne quid reo innocenti noceat, oramus. Sed venio iam ad L. Caſſium familiarem meũ: cuius ex oratione ne illum quidem Iuuentiũ tecum expoſtulaui: quẽ ille omni & virtute & humanitate ornatus adoleſcens, primũ de plebe Aedilem curulem factum eſſe dixit. In quo Caſſi ſi ita tibi reſpondeam: neſciſſe id populũ Romanum: neq; fuiſſe, qui id nobis narraret, præſertim mortuo Longino. non vt opinor admirarere: cum ego ipſe non abhorrens à ſtudio antiquitatis, me hic id ex te primum audiſſe confitear. Et quoniam tua ſiut perelegans, ac perſubti-

lis

lis oratio digna equitis Ro. vel studio, vel pudore: quoniamq; si ab his es auditus: vt magnus honos & ingenio, & humanitati tuæ tribueretur: respondebo ad ea, quæ dixisti: quæ pleraq; de ipso fine fuerunt: in quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo: tamen mihi non ingrati acciderunt. Quæsisti, vtrum mihi putarem equitis Ro. filio faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam: an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari? Ego verò, quanquam illi omnia malo, quam mihi: tamen illi honorum aditus nunquam faciliores optaui, quàm mihi fuerunt. quin etiam, ne fortè ille sibi me potius peperisse iam honores, quàm iter demonstrasse adipiscendorum putet: hæc illi sŏleo præcipere: quanquam ad præceptā ætas non est gnati: quæ ille à Ioue ortus suis præcepit filys. Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis. nostis cætera. Nonne id quod multi inuident: quæ scripsit grauis ille & ingeniosus poëta: scripsit, non vt illos regios pueros, qui iam nusquam erant: sed vt nos & nostros liberos ad laborem & laudem excitaret. Quæris quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius? magis Ædilis fieri non potuisset: sed hoc præstare, quod ei minus inuideretur. etenim honorum gradus summis hominibus & infimis sunt pares, gloriæ dispares. quis nostrum sē dicit M. Curio? quis C. Fabritio? quis P. Duellio parem? quis Attilio Calatino? quis Cn. & P. Scipionibus? quis Africano? Marcello? Maximo? eosdem sumus honorum gradus, quos illi, assecuti. est enim in virtute multis ascensus: vti is gloria maximè excellat: qui virtute plurimum præstet. honorum populi finis est Consulatus. quem magistratum iam octingenti fere

fere consecuti sunt. horum, si diligenter quæras, vix decimam partem reperias gloria dignam. sed nemo vnquam sic egit vt tu. cur iste fit Consul? quid potuit amplius: L. Brutus esset: qui ciuitatem dominatu regio liberauit? honore nihil amplius: laude multum. sic igitur Plancius, nihilominus Quæstor est factus, & tribunus plebis, & ædilis: quàm si esset summo loco natus. Sed hæc pari loco orti, sunt innumerabiles alij consecuti profers triumphos T. Gracchi, & C. Mary: & quæris quid simile in Plancio. quasi verò isti, quos commemoras, propterea magis laude fuerint digni: quod triumpharunt: & non qua commissi sunt ijs magistratus: in quibus re bene gesta triumpharent. Rogas quæ castra viderit: qui & miles in Creta Metello hoc imperatore, & tribunus in Macedonia militum fuerit: & quæstor tantum ex re militari detraxerit temporis: quantum in me custodiendū transferre maluerit. quæris num diserius? immò id quod secundum est, ne sibi quidem videtur. num iuris consultius? quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat? Omnes enim istiusmodi artes in ijs reprehenduntur: qui cum professi fuerint, satisfacere non possunt: non in his, qui abfuisse ab istis studijs confitentur. virtus, probitas, integritas in candidato non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. nos in mancipijs parandis, quamuis frugi hominem, si pro fabro, aut pro textore emimus, ferre molestè solemus, si eas artes quas in emendo secuti sumus, fortè nesciuerit. sin autem emimus, quem villicum imponeremus: quem pecori præficeremus: nihil in eo nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam esse curamus. Sic populus Romanus deligit magistratus, quasi Reipublicæ villicos: in

quibus

quibus si qua præterea est ars: facilè patitur. sin minus, virtute eorum & innocentia contentus est. quotus enim quisq; disertus? quotus quisq; iuris peritus est? vt eos numeres, qui volunt esse. quod si præterea honore dignus nemo: quidnam tot optimis & ornatissimis ciuibus est futurum? Iubes Plancium de vitijs Laterensis dicere. nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabis fuisse. Idem effers Laterensem laudibus. facilè patior, id te agere multis verbis: quod ad iudicium non pertineat: & id te accusantem tam diu dicere: quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui non modo confiteor summa in Laterense ornamenta esse: sed te etiam reprehendo: quod ea non enumeres: alia quædam inania & leuia conquiras. Præneste fecisse ludos. quid? alij Quæstores nonne fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos: iustum in socios fuisse. quis negat? sed ita multa Romæ geruntur: vt vix ea, quæ fiunt in prouincijs, audiantur. Non vereor ne mihi aliquid Iudices videar arrogasse: si de Quæstura mea dixero. quamuis enim illa floruerit: tamẽ eum me postea fuisse in maximis rebus arbitror: vt non ita mihi multũ sit ex quæsturæ laude repetendum. sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia quæsturam aut grauiorem, aut clariorem fuisse. verè mehercules hoc dicam. sic tum existimabam, nihil homines vnquam aliud Romæ, nisi de Quæstura mea, loqui. frumenti in summa caritate maximum numerum miserã: negociatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, socijs abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. excogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. Itaq; hac spe decedebam: vt mihi populum Romanum vltro omnia delaturum putarem. at ego, cũ casu diebus his itineris faciendi causã, decedens è prouincia Puteolos fortè venissem: cum plurimi & latissimi solent esse in his locis: concidi penè Iudices: cũ ex me quidã quæsisset, quo die Roma exissem: & nunquid in ea esset noui. cui cũ respondissem, me è prouincia decedere: etiam mehercules, inquit, vt opinor ex Africa. huic ego iam stomachans fastidiosè: immò ex Sicilia inquam. tum quidam, quasi qui omnia sciret: quid? tu nescis inquit hunc Syracusis quæstorem fuisse? quid multa? desitit stomachari: & me vnum ex his feci, qui ad aquas venissent. sed eares Iud. haud scio an plus mihi profuerit: quàm si mihi tũ essent omnes congratulati. nam posteaquã sensi populum Romanũ aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere: desitit quid de me aduenturi essent homines cogitare: feci vt postea quotidie me præsentem viderent: habitaui in oculis: pressi eorum neminẽ à congressu meo: neq; ianitor meus, neque somnus absterruit. & quid ego dicam de occupatis meis temporibus? cui fuerit ne ocium quidẽ vnquã ociosum? nam quas tu commemoras Cassi, legere te solere orationes, cum ociosus sis: has ego scripsi ludis, & feriis: ne omninò vnquam essem ociosus. etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarũ: semper magnificum & præclarum putaui: clarorũ virorũ atque magnorum non minus ocij, quàm negocij rationem extare oportere. ita si quã habeo laudem, quæ quanta sit nescio, parta Romæ est: quæsita in foro: meaq; priuata consilia publici quoque casus comprobauerunt: vt etiam summa Respublica mihi domi fuerit gerenda: & vrbs in vrbe seruanda. Eadem igitur Cassi via munita Laterensi est: idem virtutis cursus ad gloriam: hoc fa-

cilior fortasse : quod ego huc à me ortus , & per me nixus ascendi: istius egregia virtus adiuuabitur cõmendatione maiorum. Sed vt redeam ad Plancium: nunquã ex vrbe abfuit , nisi fortè, lege, necessitate : non valuit rebus ijsdem , quibus fortasse nonnulli : at valuit assiduitate : at valuit seruandis amicis : valuit liberalitate: fuit in oculis: petiuit: est vsus ratione: qua minima inuidia noui homines plurimi eosdem honores consecuti sunt. nam quod ais Cassi, nõ plus me Plancio debere: quàm bonis omnibus : quod ys æquè mea salus cara fuerit. ego me debere bonis omnibus fateor: sed etiam ij, quibus ego debeo : boni viri & ciues ædilitys comitijs aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. verum fac me multis debere: & in ijs Plancio. vtrum igitur me conturbare oportet? an cæteris cũ cuiusq; dies venerit: hoc nomen, quod vrget, nunc cum petitur dissoluere. quanquam dissimilis est pecuniæ debitio, & gratiæ. nam qui pecuniam dissoluit: statim non habet id quod reddidit. qui autem debet: is retinet alienum. gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipso quod habet, refert. neque ego nunc Plancio desinam debere, si hoc soluero : nec minus ei redderem voluntate ipsa: si hoc molestiæ non accidisset. Quaris à me Cassi, quid pro fratre meo: qui mihi est carissimus: quid pro meis liberis, quibus nihil potest mihi esse iucundius : amplius quàm pro Plancio facio, facere possim : nec vides istorum ipsorum caritate ad huius salutem defendendam maximè stimulari me, atque excitari. Nam neque illis huius salute , à quo meam sciunt esse defensam, quicquam est optatius : & ego ipse nunquam illos aspicio: quin per hunc me his conseruatum esse meminerim:

rim: huiusq; meriti in me recorder. Opimium damnatum esse cõmemoras. seruatorem ipsum Reipub. Calidium adiungis: cuius lege Q. Metellus in ciuitatem sit restitutus. reprehendis meas pro Plancio preces: quod nec Opimius suo nomine liberatus sit : nec Q. Metelli Calidius. de Calidio tibi tantũ respondebo, quod ipse vidi: Q. Metellum Pium consulẽ prætorys comitijs petente Q. Calidio populo Ro. supplicasse : cum quidem non dubitaret & consul, & homo nobilissimus patronum illum esse suum, & familiæ suæ nobilissimæ dicere. Quo loco quæro ex te: num id in iudicio Calidij putes, quod ego in Plancij facio , aut Metellum Pium si Romæ esse potuisset: aut patrem eius, si vixisset: non fuisse facturum? Nam Opimij quidẽ calamitas, vtinam ex hominum memoria posset euelli. vulnus illud Reipub. dedecus huius imperij, turpitudo populi Romani, non iudiciũ putandum est. quam enim illi iudices, si iudices , & non parricidæ patriæ nominandi sunt : grauiorem potuerunt Reipub. infligere securim : cum illum è ciuitate ejecerunt: qui Prætor finitimo , consul domestico bello Rempub. liberarat? At enim nimis ego magnum beneficium Plancio, & vt ais, id verbis exaggero. quasi verò me tuo arbitratu, & non meo gratum esse oporteat. Quod istius tantum meritum inquit? an quia te non iugulauit? immò verò quia iugulari passus non est. Quo quidem tu loco Cassi etiam purgasti inimicos meos: meæ vitæ nullas ab illis insidias fuisse dixisti. posuit hoc idem Laterensis. quamobrem de isto paulò post plura dicam. de te tantum requiro : vtrum putes odium in me mediocre inimicorum fuisse? quod fuit vllorum tantum? requiro , Vtrum putes odium vnquam Barbarorum

tam immane ac tam crudele in hostem? an fuisse in ijs aliquem aut famæ metum, aut pœnæ? quorũ vidisti toto illo anno ferrũ in foro, flammam in delubris, vim in tota vrbe versari? nisi existimas, eos iccircò vitæ meæ pepercisse: quod de reditu meo non timerẽt. & quenquam putas fuisse tam excordem: qui viuis his, stante vrbe & Curia redituru me, si viuerem, non putaret? Quamobrem non debes is homo, & is ciuis prædicare vitam meam, quæ fidelitate amicorum conseruata sit: inimicorum molestia non est appetitam. Respondebo tibi nunc Laterensis minus fortasse vehementer, quàm abs te sum prouocatus: sed profectò nec considerate minus, nec minus amicè. nam primũ illud fuit asperius, me quæ de Plancio dicerẽ, mentiri, & temporis causa fingere. scilicet homo sapiens excogitaui, quamobrẽ viderer maximis beneficij vinculis obstrictus, cũ liber essem & solutus. quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multæ, parum iustæ necessitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris, amicitiæ? quæ si non essent: vereor credo ne turpiter facerem: si hoc splendore, & hac dignitate hominem defenderem: fingenda fuit mihi Iud. causa peracuta: vt ei quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerẽ. at id etiam gregarij milites faciunt inuiti: vt coronam dent ciuicam: & se ab aliquo seruatos esse fateantur. non quo turpè sit protectũ in acie, hostiũ manibus eripi, nam id accidere nisi forti viro, & pugnanti cominus non potest, sed onus beneficij reformidant: quod permagnum est alieno debere idẽ, quod parenti. Ego, cũ cæteri vera beneficia etiam minora dissimulent: ne obligati esse videantur: eo beneficio obstrictum esse ementiar, cui ne referri quidem gratia posse videatur. an hoc tu La-

tu Laterensis ignoras? qui, cum mihi esses amicissimus: cum vel periculũ vitæ tuæ mecum sociare voluisses: cum me in illo tristi, & acerbo luctu, atq; discessu non lachrymis solum tuis, sed animo, corpore, copijs prosecutus esses: cum meos liberos, & vxorem me absente tuis opibus auxilioq; defendisses: sic mecum semper egisti: te mihi remittere, atq; concedere: vt omne studium meum in Cn. Plancy honorem consumerem: quod eius in me meritum tibi etiam gratũ esse dicebas. nihil autẽ me noui, nihil temporis causa dicere, nonné etiã illa testis est oratio, quæ est à me prima habita in senatu? in qua cum perpaucis nominatim egissem gratias: quod omnes enumerari nullo modo possent: scelus autem esset quenquam præteriri: statuissemq; eos solum nominare, qui causæ nostræ duces & quasi signiferi fuissent: in his Plancio gratias egi. reciteturq; oratio: quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est: in qua ego homo assiduus ei me dedam, cui nihil magnopere deberem: & huius tanti officij seruitutem astringam testimonio sempiterno? nolo cætera quæ à me mandata sunt literis recitare. prætermitto illa: ne aut proferre videar ad tempus: aut eo genere vti literarum: quod meis studijs aptius, quàm consuetudini iudiciorum esse videatur. atq; etiã clamitas Laterensis: quousque ista dicis? nihil in Crispio profecisti? absolutæ iam sunt preces tuæ. de Crispio mihi videlicet obycies: quẽ ego de me bene meritũ, quia te teste cognouerã, te eodẽ authore defendi? & ei dices, quousque? quem negas quod pro Crispio contenderit impetrare potuisse? nam istius verbi quousque, hæc poterat esse inuidia: datus est tibi ille: condonatus ille, non facis finem: ferre non possumus. ei quidem qui pro vno labo-

rarit, et ipsum id non obtinuerit: dici quousque, irridentis magis est, quàm reprehendentis. nisi fortè ego vnus ita me gessi in iudicys: ita & cum his, & inter hos vixi: is in causis patronus, is in Republica ciuis & sum: & semper fui: solus vt à te constituar, qui nihil à iudicibus debeam vnquam impetrare: & mihi lachrymulam Crispiani iudicij obiectas. sic enim dixisti: vidi ego tuam lachrymulam. vide quàm me verbi tui pœniteat. non modo lacrhymulam, sed multas lachrymas, & fletum cum singultu videre potuisti. an ego, qui meorum lachrymis me absente commotus, simultates quàs mecũ habebat deposuisset: meaq3 salutis non modo non oppugnator, vt inimici mei putarant, sed etiam defensor fuisset: huius in periculo non dolorẽ meũ significarem? tu autem Laterensis, qui tum lachrymas meas gratas esse dicebas: nunc easdem vis inuidiosas videri. negas tribunatum Plancy, quicquam attulisse adiumenti dignitati meæ. atque hoc loco, quod verissimè facere potes, L. Racily fortissimi & constantissimi viri, diuina in me merita cõmemoras: cui quidẽ ego, sicut in Plancio, nunquam dissimulaui me plurimum debere, semperq3 præmeferam. nullas enim sibi ille neq3 contentiones, neq3 inimicitias, neq3 vitæ dimicationes nec pro Republica, nec pro me defugiendas putauit. atque vtinam quam ego sum in illum gratus: tum licuisset per hominum vim & iniuriam populi Romani ei gratiam referri. sed si non eadem contendit in tribunatu Plancius: existimare debes, non huic voluntatem defuisse: sed me, cum iam Plancio deberem: M. Racily beneficys fuisse contentũ. an vero putas iudices iccirco minus mea causa facturos: quod me esse gratũ crimineris? an, cum populus Romanus

nus illo Senatusconsulto, quod in monumento Marij factum est: quo mea salus omnibus est gentibus commendata: vni Cn. Plancio gratias egerit: vnus enim fuit de magistratibus defensor salutis meæ: cui senatus pro me gratias agendas putauit. ei ego à me referendam gratiam non putem? atqui, eum cum vides: quo me tandem animo in te putas esse Laterensis? vllum esse tantum periculum? tantum laborem? tantam contentionẽ? quam ego nõ modo pro salute tua, sed etiã pro dignitate defugerem? quo quidem etiã magis sum non dicã miser (natura quidẽ abhorret à virtute verbi) sed certè exercitus: non quia multis debeo (leue enim onus beneficy gratia) sed quia sæpe concurrit, propter aliquorũ de me meritorum inter ipsos contentiones, vt eodẽ tempore in omnes verear ne vix possim gratus videri. sed ego hoc meis ponderibus examinabo: non solũ quid cuiq3 debeã: sed etiam, quid cuusq3 interfit: & quid à me cuiusq3 tempus poscat. Agitur studium tuum: vel etiam, si vis, existimatio, laus, ædilitas. An Cn. Plancij salus, patria, fortunæ, saluum tu me esse cupisti. hic fecit etiã vt esse possem. distineor tamen, & diuellor dolore: & in causa dispari offendi te à me doleo. sed mediusfidius multò citius meã salutẽ pro te obiecero: quàm Cn. Plancy salutẽ tradidero contentioni tuæ. etenim Iudices cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam: tamẽ nihil est quod malim: quàm me & gratum esse, & videri. hæc est enim vna virtus non solum maxima: sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni ciues? qui belli? qui domi de patria benè merentes? nisi qui patriæ be-

neficia meminerunt? qui sancti? qui religionem colentes? nisi qui meritā diis immortalibus gratiā iustis honoribus & memori mente persoluunt? quæ potest esse iucunditas vitæ, sublatis amicitijs? quæ porrò amicitia potest esse inter ingratos? quis est nostrum liberaliter educatus? cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse alius aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? cuius opes tantæ esse possunt? aut vnquam fuerunt? quæ sine multorū amicorum officijs stare possint? quæ certè sublata memoria & gratia, nulla extare possunt? Equidem nil tam propriū hominis existimo: quàm non modo beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari. nihil porrò tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quæ cum ita sint: iam succumbam Laterensis isto tuo verbo: in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium: quoniam ita vis: nimium me gratum esse concedam: petamq; à vobis Iudices: vt eum beneficio complectamini: quem qui reprehenderit, in eo reprehendit, quod gratum præter modum dicat esse. neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixi idem: vos nec nocentes, nec litigiosos esse: quo minus me apud vos valere oporteret: quasi verò in amicitia mea non hæc præsidia (si qua fortè sunt in me) parata semper amicis esse maluerim, quàm necessaria. etenim ego de me tantum audeo dicere: amicitiam meam voluptati pluribus, quàm præsidio fuisse: meq; vehementer vitæ meæ pœniteret: si in mea familiaritate locus esset nemini nisi litigioso, aut nocēti. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti: saneq; in eo creber fuisti:

te iccir-

te iccirco in locos causam conijcere noluisse: ne ego mea consuetudine aliquid de thensis misericordiæ causa dicerem: quod in alijs ædilibus antè fecissem. nonnihil egisti hoc loco. nam mihi eripuisti ornamentū orationis meæ. deridebor si mentionem thensarum fecero: cum tu id prædixeris. sine thensis autem quid potero dicere? hîc etiam addidisti, me iccirco mea lege ex illo ambitu traxisse: vt miserabiliores epilogos possem dicere. non vobis videor cum aliquo declamatore, non causa laboris, & fori disputare? Rhodi enim inquit non fui. me vult fuisse. sed fui inquit, putabam in Niceis dicturum: bis in Bithynia. si locus habet reprehensionis causam aliquam, nescio cur seueriorem Niceam, putes, quàm Rhodum. si spectanda causa est: & tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti: & ego Rhodi non minore. Nam quod in eo me reprehendisti: quod nimium multos defenderim: vtinam & tu, qui potes, & ceteri, qui defugiunt: vellent me labore hoc leuare. sed fit vestra diligentia: qui in causis ponderandis omnes ferè repudiatis: vt ad nos plæraq; confluant: qui miseris & laborantibus nihil negare possumus. admonuisti etiam, quod in Creta fuisses: dictum aliquod in petitione tua dici potuisse: me id perdidisse. vter igitur nostrum est cupidior dicti? ego ne? qui quod dici potuit, non dixerim? an tu? qui etiā ipse in te dixeris? te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse: quod mihi meæ, quas ad aliquem misissem, obfuissent. quas ego mihi obfuisse non intelligo: Reipub. video prodesse potuisse. sed sunt hæc leuiora. illa verò grauiora, atq; magna: quod meum discessum, quem sæpe deflebas: nunc quasi reprehendere, & subaccusare voluisti. dixisti enim non auxilium mihi, sed me auxilio defuisse.

ego verò fateor mehercule quod viderim mihi auxilium non deesse: iccirco me illi auxilio pepercisse. quis enim status, quod discrimen, quæ fuerit in Repub. tempestas illa, quis nescit? tribunitius me terror, ac consularis furor mouit, decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquijs eorum, quos ego florentes, atq; integros sine ferro viceram, consules post hominum memoriam teterrimi, atq; turpissimi, sicut & illa principia, & hi recentes rerum exitus declarant: quorum alter exercitum perdidit: alter vendidit: emptis prouincijs à senatu, à Republica, à bonis omnibus defecerant: qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurimum poterant: cum quid sentirent, nesciretur: furialis illa vox nefarijs stupris, religiosis altaribus effœminata, secum & illos & consules facere acerbissimè personabat: egentes in locupletes, perditi in bonos, serui in dominos, armabantur: aderat mecum senatus, & quidem veste mutata: quod pro me vno post hominum memoriam publico consilio susceptum est. sed recordare qui tum fuerint Consulum nomine hostes: qui soli in hac vrbe senatum senatui parere non siuerint: edictoq; suo non luctum patribus conscriptis, sed luctus indicia ademerint. aderat mecum cunctus equester ordo: quem quidem in concionibus saltator ille Catilinæ consul, proscriptionis denunciatione terrebat, ac tota Italia conuenerat: cui quidem belli intestini & vastitatis metus inferebatur. hisce ego auxilijs studentibus, atq; incitatis vti me Laterensis potuisse confiteor: sed erat non iure, non legibus, non disceptando decertandū. nam profectò, præsertim tam bona in causa, nunquam quo cæteri abundarunt, id mihi ipsum auxilium defuisset. armis fuit, armis inquam fuit dimicandum. quibus

bus à seruis, atque à seruorum ducibus cædem fieri senatus, & bonorum, Reipublicæ exitiosum fuisset. vinci autem improbos à bonis, fateor fuisse præclarum: si finem eum vincendi viderem: quem profectò non videbam. vbi enim præstò fuisset mihi aut tam fortis Consul: quam L. Opimius? quàm C. Marius? quàm L. Flaccus? quibus ducibus improbos ciues Respub. vicit armatis. aut si minus fortes: attamen tam iusti, quàm P. Mutius? qui arma, quæ priuatus P. Scipio sumserat: ea T. Graccho interempto iure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus. nihil amplius dico: nisi illud, victoriæ nostræ graues aduersarios paratos, interitus nullos vltores esse videbam. hisce ego auxilijs salutis meæ si iccirco defui: quia nolui dimicare: fateor id quod vis: non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse. sin autem quo maiora studia in me bonorum fuerunt: hoc his magis consulendum, & parcendū putaui: tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est, hodieq; est, & semper erit maximæ gloriæ. quem, vt potes ex multis audire, qui tum affuerunt, inuictissimis viris, constat bonis cessisse: nec fuisse dubium, quin contentione, & armis superior posset esse. ergo ille cum suum, non cum senatus factum defenderet: cum perseuerantiam sententiæ suæ, non salutem Reip. retinuisset: tamen ob illam constantiam, quod illud voluntarium vulnus accepit: iustissimos omnium Metellorum & clarissimos triumphos gloriæ laude superauit: quod & illos ipsos improbissimos ciues interfici noluit: & ne quis bonus interiret in eadē cæde, prouidit. ego tantis periculis propositis, cum si victus essem, interitus Reipublicæ, si vicissem, infinita dimicatio pararetur: cōmitterem, vt idem

perditor

perditor Reipub. nominarer, qui seruator fuissem? mortem me timuisse dicis. ego verò ne immortalitatem quidem cõtra Rempublicam accipiendam putarẽ: nedum emori cum pernicie Reipub. vellem. nam qui pro Rep. vitam reddiderunt (licet me desipere dicatis) nunquã mehercule eos mortem potius, quàm immortalitatem assequutos putaui. Ego verò si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem: in perpetuum Respub. ciuile præsidium salutis suæ perdidisset. quin etiam si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset: tamen auxilia posteritatis essent imminuta: quod perempti esset mea morte id exemplum: qualis futurus in me retinendo fuisset Senatus populusq; Romanus. an si vnquam in me vitæ cupiditas fuisset: ego mense Decembri mei consulatus omnium parricidarum tela commouissem? quæ si viginti quiessem dies: in aliorum vigiliam consulum recidissent? Quamobrem si vitæ cupiditas contra Rempub. est turpis: certè multo mortis cupiditas mea turpior fuisset cũ pernicie ciuitatis. nã quod te in Rep. liberum esse gloriatus es: id ego & fateor, & lator: & tibi etiam in hoc gratulor. quod me autẽ negasti: in eo neq; te, neq; quenquã diutius patiar errare. Nam si quis: iccirco aliquid de libertate mea diminutum putat: quod non ab omnibus eisdem: à quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam. primum si bene de me meritis gratũ me præbeo: non desino incurrere in crimen hominis nimiũ memoris, nimiumq; grati. sin autem sine vllo Reipublicæ detrimento, respicio etiam aliquando salutem tum meam, tum meorum: certè non modo non sum reprehendendus: sed etiam si ruere vellem: boni viri me vt id ne facerem, rogarent. Res verò ipsa publica si loqui posset,

ageret

ageret mecum, vt quoniã sibi seruissem semper, nunquã mihi: fructus autẽ ex sese non vt oportuisset lætos & vberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem: vt iam mihi seruirem: consulerem meis: se non modo satis habere à me: sed etiam vereri, ne parum mihi, pro eo, quod tum à me haberet: reddidisset. quid si horũ ego nihil cogito? & idẽ sum in Republica: qui fui semper: tamẽ ne tu libertatẽ requires meam? quã tu ponis in eo: si semper cũ ys, quibus cũ aliquando contendimus, depugnemus. quod est longè secus. stare enim omnes debemus tanquam in orbe aliquo Reipublicæ: qui quoniã versetur: eã deligere partẽ debemus: ad quã nos illius vtilitas, salusq; cõuerterit. Ego autem (n. Pompeiũ, non dico authorẽ, ducem, defensorem salutis meæ (nam hæc priuatim fortasse officiorum memoriam & gratiã quærunt) sed dico hoc, quod ad salutem Reip. pertinet, ego eum nõ tuear? quem omnes in Rep. principẽ esse concedunt? ego C. Cæsaris laudibus desim? quas primũ populi Romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurimis atq; amplissimis iudicijs videam esse celebratas? tum hercule me confitear non iudicium aliquod habuisse de Reip. vtilitate: sed hominibus amicũ, aut inimicum fuisse. an cum videam nauẽ secundis ventis cursum tenentẽ suum? si non ea eum petat portũ, quẽ ego aliquando probaui: sed aliũ non minus tutum atq; tranquillũ: cum tẽpestate pugnẽ periculosè potius, quã illi, salute præsertim proposita obtemperẽ, & paream? Neq; enim inconstantis puto sententiam tanquã aliquod nauigium atq; cursum ex Reip. tempestate moderari. ego verò hæc didici: hæc vidi: hæc scripta legi: hæc de sapientissimis & clarissimis viris, & in hac Republica, & in alijs ciuitatibus monumenta nobis literæ prodiderunt:

runt: non semper easdem sententias ab eisdem. sed quascunq; Reipub. status, inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet, esse defendendas. quod ego & facio Laterensis, & semper faciam: libertatemq;, quam in me requiris: quā ego neq; dimisi vnquā, neq; dimittam: non impertinacia, sed in quadā moderatione positam putabo. Nunc venio ad illud extremum, quod dixisti: dū Plancij in me verbis meritum extollerem: me arcem facere ex cloaca: lapidemq; è sepulchro venerari pro deo: neque enim mihi insidiarū periculum vllum, neq; mortis fuisse. cuius ego temporis rationem explicabo breui, neq; inuitus, nihil enim ex meis est temporibus, quod minus peruagatū, quodq; minus aut mea celebratione commemoratum sit, aut hominibus auditum, atq; notum. Ego enim Laterensis ex illo incendio legum, senatus, iuris, bonorum omnium cedens, cum mea domus ardore suo deflagrationē vrbi, atq; Italiæ toti minaretur, nisi quieuissem: Siciliā petiui: animo quæ & ipsa erat mihi sicut domus vnà coniuncta: & obtinebatur à C. Virgilio: quo cum me vno vel maximè tum vetusta amicitia, tū mei fratris Collegia, tum Respub. sociaret. vide nunc caliginem temporum illorum. cum ipsa penè insula mihi sese obuiam ferre vellet, prætor ille eiusdem Tribuni plc. concionibus, propter eandem Reipub. causam sæpe vexatus, nihil amplius dico: nisi me in Siciliam venire noluit. quid dicam? C. Virgilio tali ciui, & viro beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem, defuisse? nihil videlicet est eorum. sed quam tempestatem nos vobiscum non tulissemus: metuit vt eam ipse non posset opibus suis sustinere. tum consilio repentè mutato, iter à Vibone Brundusiū

terra

terra petere contendi: nam maritimos cursus præcludebat hyemis magnitudo, cum omnia illa municipia, quæ sunt à Vibone Brundusium, in fide mea Iudices essent: tunc iter mihi tutū multis minitantibus magno cū suo metu præstiterunt. Brundusiū veni: vel potius ad mœnia accessi: vrbem vnam mihi amicissimam declinaui: quæ se vel potius excindi, quàm è suo complexu vt eriperer, facilè pateretur. In hortos me M. Lenij Flacci contuli: cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, hæc perpeti, si acciderent, maluit: quàm custodiam mei capitis dimittere. Huius ego, & parentis eius prudentissimi, atq; optimi senis, & viriusq; filiorum manibus in naui tuta ac fideli collocatus, eorumq; preces, & vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. quo cum venissem, cognoui id, quod audieram: refertam esse Græciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum: quorum impium ferrum, ignesq; pestiferos meus ille consulatus à manibus extorserat. qui antequam de meo aduentu audire potuissent: cum tum abessent: aliquot dierum viam in Macedoniā, ad Plancium perrexi. Hìc verò simul atq; me mare transisse cognouit: audi, audi, atq; attende Laterensis: vt scias quid ego Plancio debeam: confitearer aliquando quod faciam, me & gratè & piè facere: huic quæ pro salute mea fecerit, si minus profutura sint: obesse certe non oportere. nam simulac me Dyrrachium attigisse audiuit: statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est. O' acerbam mihi Iud. memoriam temporis illius, & loci: cum hic in me incidit: complexus est: conspersitq; lachrymis: nec loqui præ mœrore potuit: O

rem

rem cum auditu crudelem: tum visu nefariam: O reliquas omnes dies noctesq; eas quibus iste à me non recedens Thessalonicam me, in Quæstoriumq; perduxit. hîc ego nunc do Prætore Macedoniæ nihil dicam amplius: nisi eum & ciuem optimum semper, & mihi amicum fuisse. sed eadem timuisse, quæ cæteros. Cn. Plancium fuisse: vnum: non qui minus timeret: sed, si acciderent ea, quæ timerentur: mecum ea subire & perpeti vellet. Qui, cum ad me L. Tubero meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset: decedens ex Asia venisset: easq; insidias, quas mihi paratas ab exulibus coniuratis audierat: animo amicissimo detulisset: in Asiam me ire propter eius prouinciæ metum, & cum meo fratre necis insidias comparatas non est passus. vi me inquam Plancius, & complexu suo retinuit: multosq; menses à capite meo non discessit: abiecta Quæstoria persona, comitisq; sumpta. O' excubias tuas Cn. Planci miseras: O' flebiles vigilias: O' noctes acerbas: O' custodiam etiam mei capitis infelicem: siquidem ego tibi viuus non prosim, qui fortasse mortuus profuissem. memini enim, memini, neq; vnquam obliuiscar noctis illius, cum tibi vigilanti, assidenti, mœrenti, vana quædam miser atq; iniania falsa spe inductus pollicebar: me si essem in patriam restitutus: præsentem tibi gratiam relaturũ. sin autem vitam mihi sors ademisset, aut vis aliqua maior reditum peremisset: hos, hos, quos enim ego tum alios animo intuebar? omnia tibi illorum laborum præmia pro me persoluturos? quid me aspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar: sed horum erga me beneuoentiã promittebam: hos pro me lugere, hos gemere, hos

decertare

decertare pro meo capite vel vitæ periculo velle videbã, de eorum desiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum simul audiebam. nunc timeo ne nihil tibi præter lachrymas queam reddere: quas in meis acerbitatibus plurimas effudisti: quid enim possum aliud nisi mœrere: nisi flere? nisi te cũ mea salute complecti? salutem tibi idem dare possunt, qui mihi reddiderunt. huc exurge tamen quæso: retinebo, & cõplectar: nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitẽ socium q; profitebor. atque, vt spero, nemo erit tam crudeli animo, tamq; inhumano, nec tam immemor meorum non dicã in bonos meritorum, sed bonorum in me. qui à me mei seruatorem capitis diuellat, ac disturbat. non ego meis ornatum beneficijs à vobis deprecor Iudices: sed custodem salutis meæ: non opibus contendo, non authoritate, non gratia: sed precibus, sed lachrymis, sed misericordia. mecum vos simul miserrimus & optimus obtestatur parens: & pro vno filio duo patres deprecamur. nolite Iud. per vos, per fortunas vestras, per liberos, inimicis meis, his præsertim quos ego pro vestra salute suscepi, dare lætitiam, gloriantibus vos iam oblitos mei, salutisq; eius, à quo mea salus conseruata est, hostes extitisse: nolite animũ meum debilitare tum luctu, tum etiam metu cõmutatæ vestræ voluntatis erga me: sinite me quod vobis fretus huic sæpe promisi: id à vobis ei persoluere. teq; C. Flaui oro, & obtestor: qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum quas gessi adiutor fuisti. meq; non modo saluum semper, sed etiam ornatum florentemq; esse voluisti: vt mihi per hos conserues eum: per quem me tibi, & his conseruatum vides. plura ne dicam, tuæ me etiam

lachrymæ impediunt: vestræq́; iudices, non solum meæ: quibus ego magno in metu meo, subitò inducor in spem: vos eosdem in hoc conseruando futuros: qui fueritis in me. quoniam istis vestris lachrymis de illis recordor quas pro me sæpe, & multum profudistis.

ΑΠΟΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ
IN SECVNDVM VOLVMEN ORATIONVM CIC.

Academicorum opiniones contrariæ Stoicis 125.
Adoptionis ius 220.
Aedilitiæ repulsæ 269..
Agraria lex à Cicerone abiecta 179.
Alexander historicorum amator 190.
Alleuamentum 179..
ἀλλιγορία 95.
Ambitus vestigia 268.
Amicitiæ vinculum 286..
Amplificatio distributione singulorum 105..l 25.
Amplificatio ex enumeratione rerum magnarum 122..
Antiochia florens literarum studys 186.
Αντίθετον *in exordio* 213.
Apopthegmata Granij præconis 266.
Arcem facere é cloaca: prouerb. 279..
Archiæ facultas poëtica 189.
Archiæ poëtæ libri 189.
Archias res Ciceronis gestas describere instituit 191.
Argumentatio oratoria, in qua maior propositio. Qui sceleratissimè semper vixit, is vicinus culpæ, non cuius vita semper fuit probata. Maior amplificationem & contentionem habet 180.
Argumentatio remotione facta 95..
Argumentum credibile 275.
Argumentum ex causis 261.l 2.

Arg. ex comparatione contrariorum 278.. l 17.
Arg. ex coniunctis 178. l 1. & 265. l 11.
Arg. ex quasi consequentibus probabile 163. l 23.
Arg. ex contrarijs 176. 178. l 10. 215. l 1. 211. 23. 219. l 10.
Arg. ex differentijs 261. l 4. & 273.. l 17.
Arg. ex dissimilibus 75. l 21.
Arg. ex loco 177..
Arg. à maiori 74..
Arg. ex minore 189.
Arg. ex pari & simili 126. l 11.
Arg. ex pari 120.. l 29.
Arg. ex repugnantibus 125.
Arg. ex verisimili nota 93.
Artium commune vinculum est 185..
Asia 159..
Athenienses 159..
Augurum lex 221.
Aurelij gradus 160.
Bonæ Deæ sacrificium 252.
Bonis ex æquari difficile est 205.
Bonorum consecratio 238.
Brogitarus rex factus pecunia à Clodio 230..
C. Marius pater patriæ & parens libertatis 96.
C. Marius charus Arpinatibus 263.
C. Marius durus ad studia literarum 189..
C. Marius de suo exilio 202.
C. Marius reuersus in patriam 199.
Calphurnia lex 135.
Capitolium dedicatum à M. Oratio 241..
Capua superbiæ & crudelitatis parens 64.
Capua domicilium superbiæ 208..

Capuæ

Capuæ arrogantia atque luxuries 85..
Caria 160.
Carthago vtraque 62.
Casu non fiunt quæ sunt 248.
Catilinæ conspiratio 99.
Catilinariæ cohortes 108.
Catilinæ sepulchrum 164.
Cato maior comis 139..
Cato Stoicus 124..
Catonis etiam ocij reddendam rationem 273.
Catonis dictum, pedibus compensari pecuniam 161.
Cerimoniarũ & sacrorum antistites pontifices 234.
χιασμὸς in diuisione 131. l 4.
Cicero charus Arpinatibus 263.
Ciceronis domus ad Palatium 233..
Ciceronis bona adempta eiecto in exilium 207.
Cicero equis insignibus & curru aurato reportatus in patriam 210..
Cicero de suis honoribus 123.
Ciceronis oratio in Senatu habita, recitata de scripto 275.
Ciceronis vrbanitates 273.
Cic. res gestas Archias describere instituit 191..
Ciuica corona 274..
Clodij scelus 252.
Cn. Flauius scriba 129..
Cn. Plancius custos capitis Ciceronis 212.
Cohortes Catilinariæ 108.
Comparatio amplificatoria 230..
Comparatio exemplorum amplificandi gratia 97..

Comparatio distributione amplificata 128.
Comparatio singulorum cum singulis 128..
Conatus ἀντὶ τῆς κατασκευῆς 132.
Conglobatio consequentium rerum & euentorum 120.. (& 201.
Conglobatio definitionum oratoriarum 82. l 3.
Conglobatio euentuum 73.
Conglobatio euentorum inuidiosorum 75.
Conglobatio effectorum 76. 152. & 257..
Conglobatio partium 105.. l 25.
Consecratio bonorum 238.
Consequentium & euentorum conglobatio 120.. & 201.
Consignatio tabularum & literarum 154.
Consilia hominum siccorum 61.
Conspiratio Catilinæ 99.
Consulares Prouinciæ 217..
Consules octingenti vsq; ad ætatem Ciceronis 271..
Consules facti ædilitate præteriti 269..
Contraria contrarys opposita singula singulis, & plura pluribus 109..
Contraria & differentia conglobata 162. l 10.
Corona ciuica 274..
Corpore effugere aliquid. prouerb. 100..
Coruncanus peritissimus Pontifex 241.
Creta Asiatica 154.
Crudelitatis & superbiæ parens Capua 64.
Declinatio à re proposita exaggerationis causa 99. l 10.
Dedicatio templorum 238.

Defini-

Definitionum oratoriarum conglobatio 82. l 3.
Deiotarus regali nomine dignus existimatus à Senatu (250..
Deinque regna, postremò etiam 78..
Deos esse 248.
Digestio 114.. l 20. 119.. l 20. 142. & 176. l 20.
Διλημμα 162. l 15.
Distributio copiosa 224..
Doctrina & relaxatio animorum 187..
Doctrina sine natura 188..
Dolores animi maiores quàm corporis 252..
Domus Ciceronis ad Palatium 233..
Duplicatio verbi 98. l 18.
Editituj iudices 266.
Effectorum conglobatio 76. 152. & 257..
Ενθύμημα 215. l 30.
Ενθυμηματικὴ 106..
Ennius charus Africano 190.
Ennianum carmen 113.
Ennius in sepulchro Scipionum constitutus 190.
Enumeratio & distributio copiosa 224..
Επιμονὴ in eadem re 154. l 19. 175.. l 15.
Epulones Iouis 248..
Euentuum conglobatio 73.
Euentorum inuidiosorum conglobatio 75
Exemplorum comparatio amplificationis gratia 77. (82. & 97..
Exul 227.. l 11.
Finitor 73. & 75.

Fuluius Martis manubias Musis consecrauit 191.
Gabiny mollicies & voluptates 207.
Galli 248.
Gloria 191.
Gracchi T. & C. 253.
Gradatio 155..
Græci 248.
Græci testes 148.
Græcorum tria genera 159..
Gramij præconis apopthegmata 266.
Gratitudo 276. & 203.
Hierosolyma 160.
Hispani 248.
Homeri patria 189..
Humanæ res etiam ad mortuos perueniunt 191..
Humana vita 96.
Imperij nomen graue 75.
Inferorum supplicia 120.
Infestus, passiue 259. l 12.
Itali 248.
Iudæi 160.
Iudices editicij 266..
Iudicium populi 260..
Iupiter Capitolinus Optimus Maximus cur appellatus 242..
Iuris consultus 128.
Καλλιφορὰ elegans & amplificatoria 252.. l 23.
Κύκλος 175.
Lacedæmonij 159..
Latini 248. 229.

L. Cottæ

L. Cottæ accusator P. Africanus 138.
L. Murena à Cicerone defensus 164..
Legationis liberæ 162..
Legatorum ius 251..
Lex augurum 221.
Lex Calphurnia 135.
Lex Helia & Fusia 206..
Lex Licinia de ambitu 266..
Lex Papyria de consecrandis ædibus 239.
Lex Portia 92..
Lex Tribunitia de consecrandis ædibus 238..
Lex Valeria de Sylla 88.
Lex de vi contra eos qui vniuersam Rempub. oppugnasse viderentur 247.
Libertini 122.
Licinia lex de ambitu 266..
Literarum laudes 188.
Literarum & tabularum consignatio 154.
Ludi matris magnæ Megalenses 249.
Ludi polluti 249.
M. Flacci domus euersa & publicata quia Gracchi fautor (233. l 18.
M. Manlij domus euersa propter regni cupiditatem (233..
M. Vacci domus euersa 233..
Magna quæ chara 122.
Marius. Vide C. Marius
Massilia 159.
Membra quatuor continuata, vnica redditione, eaq; longiore 129.. l 16.

Membratim facta oratio 61. l 7. 99. l 17. & 119. l 4.
Membrum κατ' ὑπέρβατον productum 129. l 5.
Membrum περιοδικῶς productum 124. l 3.
Mercatura quæstuosissima ac turpissima 79.
Metaphora 157.. l 28.
Metaphoræ continuatæ 100. l 31.
Mors non ingrata sapienti 119.
Mors non misera viro magno 116..
Mysorum vltimus 160.
Mythridatico bello facta in Asia cædes ciuium Romanorum 158..
Natura sine doctrina, & cum doctrina 188..
Ocium 273.
Ocij reddendam rationem 273.
Odimus quem metuimus 183.
Odium 203.
Olympionicon honos 152..
Opimij condemnatio 274.
Oratio membratim absoluta 99. l 17. 119. l 4.
Oratio ex verbo dilatata: meus consulatus summo cum periculo coniunctus fuit, sed Reipub. salutaris 118.
παράγραμμα 157.. l 9.
Paria paribus coniuncta bina & singula 146.. l 19.
Paria paribus relata membratim quaterna quaternis 157.. l 10.
Paria paribus & contraria contrarijs relata, terna ternis 126. l 1.
Partitio pro Murena 126.
Pater patriæ & parens libertatis C. Marius 96.
Periodica 154.. l 14.
περιοδικὰ καὶ ὑπερβολικὰ 146.
Periodica enumeratio 63. l 6.
Periodicum bimembre pluribus incisis vtrobique 69. l 10.
περιόδικον quinq; membrorum 90.. l 1.
Periodus bimembris συμπερασματικὴ 128. l 5
Periodus bimembris ex contrarijs 61. l 5.
Periodi duæ bimembres quibus quatuor membrorum duæ aliæ sunt annexæ 153. l 10.
Periodus quadrimembris 93. 126. l 21. 127.. l 10. & 243. l 1.
Periodus quatuor membrorum, sed incisorum propter breuitatem 155.. l 2.
Periodus cuius postremum membrum dissoluta habet 69.. l 31.
Personæ vituperatio 217..
Phryx plagis fit melior 159..
Pietas 276.
Pietas fundamentum omnium virtutum est 265. l 6.
πνεῦμα 17 l 20.
πνεῦμα concitatius 201. l 5.
πνεῦμα oblongum enumeratione 224..
Pœni 248.
Poëta 189.
Poëtæ sancti appellati ab Ennio 189.
Poëtæ malo Sylla præmium dedit 190..
Pompeius victor Hierosolymæ 160.
Pontifices antitistes cerimoniarum & sacrorum 234.
Pontifices minores 246.

Pontificum trium authoritas 246.
Portia lex 92..
Præteritio numerosa 68..
Priuilegium 222.
προσωποποιία 101. 102.. & 261.
Prodigia interpretata 115.
Promeritum 204.
Prouerb. Arcem facere è cloaca, & è sepulchro lapidem venerari pro deo 279.
Prouinciæ Consulares 217..
P. Africanus L. Cottæ accusator 138.
P. Scipio optimus iudicatus à populo Romano 250.
P. Sulpitius 253.
Quæsliones deprecatur obscurè 182.
Q. Cic. amor erga fratrem 199..
Q. Claudia matronarum castissima 250.
Q. Metelli reditus in patriam 199.
Q. Thermus à Cic. defensus 165.
Q. Tubero Stoicus 142.
Reip. orbis 279.
Relaxatio doctrinæ 187..
Rempub. religione gubernari 248.
Repetitio primi verbi incisim 115.. l 26.
Repetitio primi verbi in binis 106.. l 18.
Repetitio primi verbi sed mutati per casus 169.
Repetititio verbi elegans, ter mutato verbo 165. l 5.
Repetitio extremi verbi in extremo loco membrorum (70..
Repulsæ ædilitiæ 269..
Repulsi 257.

Romuli

Romuli simulachrum in capitolio 115.
Roscij Comœdi mors 189.
Sacrificia gentilitia 251.
Sacrorum antistites Pontifices 234.
Scipio Stoicus lenis 139.
Seruij Sulpitij nobilitas 127..
Sex. Clodius 218.
Simile 124.
Similitudo amplificandi gratia 103..
Sodalis nomen criminosum 268..
Solum vertere 229.
Sp. Cassij regnum affectantis domus euersa 233..
Sp. Melij domus complanata 233.
Superbiæ & crudelitatis parens Capua 64. & 206..
Sylla regalem potestatem habuit 256.
Syllana proscriptio 222.
Tabularum & literarum consignatio 154.
Tanagræa meretrix 236.
τάξις partim περιοδική καὶ πνευματική 91. l 1.
Templorum dedicatio 238.
Testes Græci 148.
Testes non considerandos sed vitam esse 182.
Testes refutantur 148. 153.
Thesis de ratione comitiorum 132..
Tito Annio Miloni deuota & constituta hostia Clodius 244.
Trinum nundinum 221.. & 222.
Valeria lex de Sylla 88.
Verba distincta & propria 126.. l 12.
Verba propria & distincta 138. & 144.
Verba significantia 243.. l 25.

Verba

Verba singulis singula addita 69. l 17.
Verbi duplicatio 98. l 4. & l 18.
Verbi primi repetitio in binis 106.. l 18.
Verbi primi repetitio incisim 115.. l 26.
Verbi primi repetitio sed mutati per casus 169.
Vertere solum 229.
Vesta 242..
Virtutum omnium fundamentum est pietas 265.
Vita humana 96.
Vitam considerandam esse non testes 182.
Volaterrani ciues Romani 229.
Vrbanitas 154.. 157. 161. 231. & 273.
Vrbanitates Ciceronis 266..
Vrbes tres imperio dignæ 83..

FINIS.

j aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn
oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz
AA BB CC DD EE FF GG
HH II KK LL MM NN.
Omnes quaterniones, præter xx quinternionē.

Argentorati per Iosiam Rihelium.

ANNO M. D. LXXVIII.
Mense Iunio.

